Ἡ ὑπεραγία Δεσποίνη ἡμῶν, Θεοτόκος Μαρία
ΤΗΣ ΑΪΔΙΟΥ ΒΟΗΘΕΙΑΣ.



S. Maria de perpetuo succursu.

ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ ΠΡΟΧΕΙΡΟΝ

ΑΜΦΟΤΕΡΩΝ ΤΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΩΝ

ΤΗΣ ΤΕ ΑΝΑΤΟΛΙΚΗΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΔΥΤΙΚΗΣ.

KALENDARIUM MANUALE

UTRIUSQUE ECCLESIAE

ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS.

Imprimi permittitur et commendatur.

Brixinae, 19. Octob. 1895.

† Simon,
Eppus.

KALENDARIUM MANUALE

UTRIUSQUE ECCLESIAE

ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS

ACADEMIIS CLERICORUM ACCOMMODATUM

AUSPICIIS COMMISSARII APOSTOLICI

AUCTIUS ATQUE EMENDATIUS ITERUM EDIDIT

NICOLAUS NILLES S. J.

S. THEOLOGIÆ ET SS. CANONUM DOCTOR, HORUMQUE IN CÆSAREO-REGIA UNIVERSITATE ŒNIPONTANA PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

TOMUS I.

ŒNIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH (K. PUSTET).

1896.

Πολλοὶ τὰς μὲν ἑορτὰς ἄγουσι καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἴσασι, τὰς δὲ ὑποθέσεις, ὅθεν ἐτέχθησαν, ἀγνοοῦσιν . . . ὅπερ ἐσχάτης αἰσχύνης ἂν εἴη καὶ πολλοῦ τοῦ καταγέλωτος (ΧΡΥΣΟΣΤΟΜ. Εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ι. Χ.).

Multi quidem festa celebrant, et nomina eorum noverunt, historias autem et occasiones, unde orta sunt, non noverunt . . . quod summa notandum ignominia risuque dignum est (S. J. Chrysost. *In s. baptisma Salvatoris nostri J. Ch.*, apud Migne. Patr. gr. t. 49, p. 365).

ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΥ ΠΡΟΧΕΙΡΟΥ

ΜΕΡΟΣ Α'.

ΠΕΡΙΕΧΟΝ

τὰς ἀκινήτους τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἑορτάς.

KALENDARII MANUALIS

PARS I.

COMPLECTENS

immobilia totius anni festa.

VOS, QUORUM NOSTRIS CELEBRATUR LAUREA CHARTIS,
ADSITIS CLARO EX AETHERE, COËLICOLAE.

MORC. *K. CP.*

DE RATIONIBUS NOVAE EDITIONIS.

Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Jos. Stadler, archiepiscopi Vhrbosnensis, Commissarii Apostolici,

ad universum ven. clerum intra fines sui Commissariatus constitutum d. d. 2. Februarii 1895.

Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII, qui suprema e specula in salutem omnium late gentium intentus, dum ejus obtinendae quascunque init rationes ac vias, tenuitatem quoque nostram, nullis licet praecedentibus meritis, in partem tanti operis vocare dignatus est, deferendo nobis munus *Commissarii Apostolici* ad pacem et unionem cum Ecclesia romana in istis gentibus reconciliandam, quas a centro unitatis avulsas moerens intuetur. *„Nos equidem"*, verba sunt SSmi. Dni. in epistola ad nos data d. 12. Octob. 1894, *„Nos equidem, quibus antiquius nihil est, quam ut alienati ab romana professione fratres ad Ecclesiae complexum revocentur, quique summis precibus a Deo flagitamus omnique ope contendimus, ut unitas haec populorum sub uno pastore maturetur, . . . te hortamur enixe, ut in incoepto (labore pro unitate) permaneas idque pro virili parte coneris prosequi. Placet quinimmo, . . . hoc tibi in istis gentibus reconciliandae pacis cum Ecclesia Romana praecipuum veluti ac proprium demandare munus. Tuae igitur erunt partes, venerabilis frater, qua meliore poteris industria, consulere, ut qui a nobis infelici discordia sejunguntur, radiis illustrati sapientiae coelestis, diuturnas simultates deponant . . . Erit etiam tuum pavidis timorem eripere, ne ex conjunctione nobiscum quidquam ipsorum jura, privilegia vel rituales consuetudines captura sint detrimenti . . . Optamus igitur, venerabilis frater, ut si qua tibi praeclari operis urgendi consilia suppetunt, ea Nobis fidenter aperias . . . persuasum habens, te a Nobis studio quovis auxilioque juvandum."*

Pro eo, quod episcopum decet, religionis catholicae amplificandae studio, proque sacrosancto illo, quod Supremo Pastori omni ex parte perfectum debemus, obsequio statim pronissima voluntate considerationem de exequendo gravissimo munere nobis demandato suscipientes, primam veluti conditionem gratiae inter dissidentes componendae in eo collocandam esse censemus, ut ambae partes, sincera fide atque ex animo reconciliandae, ante omnia se inter se propius noscant ac vicissim recte intelligant; ut altera alterius ritum et res omnes, quae eo spectant, dies festos, jejunia, caeremonias omneque pietatis genus, diligenter addiscat, benevole interpretetur, ex aequo aestimet, meritoque honore prosequatur.

Deinde vero necessarium esse judicamus, ut, omni polemica disceptatione longe relegata, placido ac quieto stylo variae discrepantes opiniones dilucide explicentur ex textibus liturgicis et ex libris Sanctorum ipsius orientalis ecclesiae: qui ut caeteris solent esse accessu faciliores, sic et christianis orientalibus apertiores sunt ad intelligendum atque inde ad vulgarem popularemque sensum prae aliis accommodati.

Quod utrumque ut obtineatur, patet opus esse idoneo aliquo commentario, in quo cuncta, quae memoravimus, capita etsi breviter, accurate tamen, ut par est, tractentur.

Jam vero ejusmodi librum gratulamur nobis invenisse in *Kalendario utriusque Ecclesiae*, ante hos 15 annos a R. P. Nilles, S. J., professore oenipontano, ad usum junioris cleri variorum rituum, duobus tomis in lucem edito: quod unanimo praestantissimorum virorum judicio quam maxime probatum atque a plurimis diversarum nationum episcopis, uno omnium conspirante consensu, clericis suis majorem in modum fuisse commendatum, res est publico testimonio celebrata. Quum vero, exemplaribus universis primae editionis dudum distractis, pro usibus nostris jam alia cudere necesse sit, rogavimus auctorem, ut praeclarissimum opus iterum typis evulgando exspectatam opem nobis in explendo amplissimo Commissarii Apostolici officio ferre vellet. Optatis nostris auctor lubens annuit, tum quod ejusmodi labor non esset a propria ipsius professione alienus, tum vero maxime, quod preces Commissarii Apostolici ad extremum revocari posse viderentur ad executionem mandati Summi Pontificis, cujus nutus et consilia homini Societatis Jesu nunquam non lex essent atque imperium. Addidit immo (quandoquidem id nobis probari sciret), mentem sibi esse, nonnulla ex eis, quae post absolutam primam editionem de eodem argumento esset in variis Actis literariis commentatus, quaeque uberiori clericorum in re liturgica eruditioni non inopportuna censeret, in nova hac editione nostra sparsim adjicere, quo liber auctior atque emendatior prodiret.

Non quidem est, quod nostris laudationibus famam *Kalendarii* tanta omnium eruditorum acclamatione excepti nunc augere velimus; verum id nobis omnino praestandum restat, ut cunctis viris ecclesiasticis, qui intra fines Apostolici Commissariatus nostri cum christianis rituum orientalium permixti vivunt, studium hujus operis etiam atque etiam commendemus, quo et ipsi exactam rituum orientalium notitiam sibi acquirant, et acquisita pro temporis opportunitate prudenter uti valeant ad eos, quos adhuc a nobis sejunctos dolemus, ad sacram Unionem alliciendos. Hanc, quam diu optamus, pacem ut ecclesiis suis sanctis D. O. M. quantocius restituere dignetur, enixe humiliterque oremus quotidie cum ecclesia graeca: *Περὶ τῆς εὐσταθείας τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, καὶ τῆς τῶν πάντων ἑνώσεως· τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν:* h. e., *Pro felici statu sanctarum Dei ecclesiarum, et pro omnium unione: Dominum deprecemur;* sive, ut fratres nostri ritus graeci slavice cantant in sacra liturgia: „O blagosostojanii svjatih Božiih cerkvej i sojedinenii vsěh, Gospodu pomolimsja“.

Sarajevi d. festo Purificationis B. M. V. 1895.

† **Josephus**,
archiepiscopus.

SELELECTA QUAEDAM JUDICIA PRAELATORUM DE I. EDITIONE.

I. Ex literis encyclicis

Emi. et Rmi. D. Mich. Angel. Cardinalis Celesia,

archiepiscopi Panormitani ad ven. clerum utriusque ritus, latini et graeci, d. d. 7. Febr. 1882.

Raccomando caldamente al mio clero latino e greco la stupenda e dotta opera del P. Nicolò Nilles, Gesuita e professore all' Università d' Innspruck, intitolata: *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis,* ecc., già lodatissima da dotti Vescovi e da varii periodici. Essa è divisa in due volumi; nel primo tratta delle feste immobili, nel secondo delle mobili. Oltre ad erudite prefazioni e dissertazioni sui riti delle diverse Chiese, vi sono i Calendarî della Chiesa orientale e dell' occidentale, dei Santi che loro appartengono e delle feste di tutto l' anno con un' esatezza veramente mirabile, sviluppando i diversi riti, le usanze, le tradizioni e ciò che vi ha di più importante in fatto di sacra liturgia. Quindi occorre di parlarvi del rito greco, dell' armeno, del siriaco, del greco-slavo, del greco-arabo, del greco-rumeno, e vi si dà piena notizia anche del rito italo-greco. Tutto ciò è spiegato con molta dottrina e chiarezza; e si comprende benissimo, quante fatighe, quanti studii e quanti viaggi ha dovuto intraprendere l' illustre Gesuita per fare un sì dotto e magnifico lavoro.

Ma ciò che vi ha di più importante in esso, è certamente l' aver l' autore riunito i più bei tratti delle diverse liturgie, che mostrano ad evidenza la mirabile unità delle diverse Chiese nel domma e nelle credenze cattoliche, unità che pure si è conservata in alcuni tratti delle liturgie di Chiese dissidenti. Vi si trovan quindi degli squarci interi di Santi Padri e di antichi libri liturgici, che manifestano così bella armonia, e che possono dar tanto campo ai predicatori e a tutti gli apologisti della nostra santa religione cattolica.

Vi si aggiungono poi tutte le controversie moderne, e le lettere apostoliche di Pio IX e di Leone XIII riguardanti le nuove feste e le quistioni sui riti orientali, cosicchè l' opera anche per questa parte può dirsi intera e completa.

La ricchezza degli Indici, le Appendici e la serie delle fonti da cui l' opera è tratta, come anche l' esattezza ed eleganza dei tipi, le graziose figure e la carta geografica del mondo cristiano, la rendono più bella ed interessante, e la sua lettura sarebbe di grande utilità ai chierici del mio Seminario ed a tutto il clero dell' uno e dell' altro rito della mia Archidiocesi.

† **D. Michelangelo Celesia,**
Arcivescovo di Palermo.

II. Ex literis commendatitiis

Rmi. D. D. Stephani Stefanopoli,

archiepiscopi Philippensis Graecorum, ad alumnos Pontificii Collegii Urbani de Propaganda Fide datis.

Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ τῆς δυτικῆς. Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis, academiis clericorum accommodatum. Pars I. complectens immobilia totius anni festa. — Hoc titulo non ita pridem Oeniponte prodiit, auctore R. P. Nicolao Nilles S. J., opus egregium, cujus praestantiam atque opportunitatem licet vobis, auditores humanissimi, anno superiori jam paucis coram declaraverimus, nunc tamen, examinata etiam altera ejus parte, pro summa rei gravitate visum est propriis hisce literis ad vos omnes vestrosque in Collegio studiisque socios datis fusius demonstrare. . . . Est igitur Kalendarium hoc Nillesianum concordantia quaedam Kalendariorum orientalium, graeci praesertim, cum occidentali seu romano, per singulos dies omnium anni mensium perpetuo commentario exornata. Notis proinde historicis non modo ubique illustratur, sed ipsa etiam Sanctorum Acta identidem attinguntur, ex quo in universum sanctitas eorum cultusque firmatur: secretis rejectisque falsis ac dubiis, quae tempore lugendi schismatis in Kalendaria graeca et slavica irrepserunt. Pro coronide demum cl. auctor peractae isti illustrationi plura Kalendaria propria variarum nationum Orientis adjungit, v. g., Ruthenorum, Armenorum, Melchitarum, Syrorum, Maronitarum, Serborum, ut adeo studiosus lector facile possit propria singulorum festa cum communibus sive graecis sive latinis non sine magno utilitatis fructu comparare. — Opus sane praestantissimum atque utilissimum vobis, juvenes ornatissimi, vestrisque sacrarum rerum studiis et exercitationibus academicis maxime accommodatum ducimus; praeter enim quam quod in scientia heortologica tutum praebet iter, insignem ubique eruditionem exhibet omnigenosque fontes historicos indicat, collatis etiam recentioribus doctoribus, transalpinis maxime, qui acumine et solertia in sacris antiquitatis rebus explorandis praecellunt: e quibus, si quis materias istas ardentius sitiat penitusque cognoscere cupiat, ulterius haurire pleneque ea praesertim indagare poterit, quae in Kalendariis orientalibus aut ambagibus sunt involuta aut vulgaribus erroribus demersa. Quod quum Nilles noster pro re nata sedulo praestet, studiosis tironibus scientiam veluti emolliens, tum et eorundem aedificationi studens, hanc etiam sibi veniam fecit, ut ex scriptis Sanctorum, quum in eorum aliorumve sacras commemorationes incidisset, pretiosa fragmenta decerperet, decerptaque juveni lectori proponeret: quae immo eo pluris sunt facienda, quod dum christianae pietati confovendae inserviunt, illustria simul argumenta exhibent, quibus catholicae fidei dogmata ipsorum orientalium testimoniis comprobantur. — Maximae quoque utilitatis id esse patet, quod cl. auctor in clericorum *φιλαρχαίων* gratiam vocabula technica ritus graeci diligenter solideque interpretetur, auctoritate etiam a graecis

scriptoribus petita, ex quo divini Officii ratio, quae plerisque non immerito sat difficilis videtur, aperta jam ac facilis etiam iis evadit, qui libris ad hunc usum commodis sunt destituti. — His aliisque praeclarissimis rebus illo uno in opere contentis ac laudandis opportune accedunt latini idiomatis ubique servata puritas et elegantia, typorum in pluribus alphabetis adhibitis atque in jugi characterum variatione eximia nitiditas, quae ex papyraceis pagellis belle candidis artificioseque laevigatis non sine amoenitate effulget; denique, quod in tanta diversissimarum materiarum utilitate opportunitatem libri non parum auget, tenuitas ipsa voluminis ad octavam folii complicati partem redacti. — Nec postremo praetereundum silentio est, quod dignissimum opus commendari debeat universum, et non prior ejus pars tantum, sed eadem prorsus ratione altera quoque *de mobilibus anni festis*, ex qua nos ipsi plura jam delibavimus, eademque iis, quae in priori parte laudavimus, digna prorsus ac consona. — Quibus omnibus consideratis, vobis iterum, optimi adolescentes, testamur ac confirmamus, edito isto libro nunc revera feliciter perfectum pleneque praestitum esse, quod nos ipsi, examinata priori ejus parte, jam sperabamus futurum, scilicet universum Nillesianum opus de utriusque Ecclesiae Kalendario academiis clericorum haec in studia incumbentibus veram esse ac dici oportere in scientiam liturgicam, ecclesiae praesertim orientalis, quam maxime accommodatam introductionem, vobis, auditoribus carissimis, in quos nobilissima illa disciplina erudiendos praecipuas nostras curas et cogitationes conferimus, caeterisque omnibus rerum sacrarum cupidis summopere commendandam.

Romae die 1. Julii 1881.

† **Stephanus,**
Archiepiscopus Philippen. Graecorum, studiis sacr. liturg.
in Collegio de Propag. Fide regendis praefectus.

III. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Jacobi Bosagi,

archiepiscopi Caesareensis rit. arm. ad ven. clerum d. d. 2. Oct. 1881.

Fra le opere liturgiche venute in luce ai nostri giorni a nostro avviso la più utile per il clero studioso, sì della Chiesa orientale che occidentale è quella del chiarissimo e dotto P. Nicolao Nilles S. J.; — e chi le assegna il primo posto fra le sue emule, non corre, per fermo, il pericolo d'indiscreto. — Ne fa testimonianza il titolo stesso del libro:

Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν, τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ τῆς δυτικῆς.	*Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis.*
Μέρος α'. περιέχον τὰς ἀκινήτους ἑορτάς.	*Pars I. complectens festa immobilia.*
Μέρος β'. περιέχον τὰς κινητὰς ἑορτάς.	*Pars II. complectens festa mobilia.*

E noi al legger quest' opera non solo riconoscemmo l' alto disegno dell' illustre autore, di rendere, cioè, agli studiosi agevole lo studio dei riti sacri della Chiesa cattolica, m' anche ne ammirammo l' acume della mente e l' ampia erudizione in quest' importante ramo della scienza liturgica, cui deve, segnatamente, di aversi aperta via in mezzo a tortuoso laberinto delle ricerche dubbie, intrigate e scabrose. Noi quindi per parte nostra raccomandiamo caldamente al nostro ottimo Clero Armeno, che ne faccia l' acquisto con la lusinga che se ne' suoi dubbî ricorre a consultare questo prezioso libro, se ne sarà convinto della verità di quanto di fu detto.

Vienna addì 2. Ott. 1881.

† **Giacomo,**
Arcivescovo di Cesarea, abbate generale della Congregazione Mechitaristica di Vienna.

IV. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Nicolai Tóth,

episcopi Eperjesiensis Ruthenorum, ad ven. clerum dioecesanum datis.

Nr. 3758.

Honorabili clero nostro curato etc. . . . — Admodum Reverendus ac Clarissimus Dominus Nicolaus Nilles S. J. . . . edidit opus, cui titulus: *„Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis"*. . . . Quum egregium hoc opus pro uberiori cognitione cultuque s. Ritus nostri orientalis valde accommodum sit, idem honorabili clero curato enixe commendo, ac una permitto, ut opus etiam pro parte Bibliothecae parochialis e cassa ecclesiae, ubi vires ejusdem admittunt, per respectivos curatos adprocurari possit. Praenumerationis pretium vel immediate ad auctorem, vel mediante Officio dioecesano promoveatur.

Eperjesii, die 1. Februarii 1880.

† **Nicolaus,**
Episcopus Eperjesiensis graeci Ritus Catholicorum.

V. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Josephi Bugliari,

episcopi Dansarensis, deputati pro ordinationibus Graecorum, ad ven. clerum graeco-catholicum Calabriae et Basilicatae datis.

Σεβαστοὶ Κύριοι Ἐφημέριοι καὶ Ἱερεῖς,

Ἐν τοῖς ἔτεσι τούτοις ἐπεφάνη ἐν Ἴνσβρυκκ, Γερμανικῇ Τυρολίδι, λίαν ἐνδιαφέρον ἔργον, ἐπιγραφόμενον· Ἑορτολόγιον, τόμ. α'., περὶ ἀκινήτων ἑορτῶν, τόμ. β'., περὶ κινητῶν ἑορτῶν.

Ἐπὶ τούτου φρονοῦμεν ἡμέτερον ἀρχιερατικὸν καθῆκον ὅπως ἐπιστήσωμεν τὴν προσοχὴν Ὑμῶν καὶ συστήσωμεν θερμῶς τὴν ἀπόκτησιν. Τὸ ἔργον, παραβάλλον τὸ Ἑορτολόγιον ἀμφοτέρων τῶν Ἐκκλησιῶν, διαιρεῖται εἰς δύο τόμους. Ἡμεῖς ἐξετάσαντες αὐτὸ μετ' ἀκριβείας, τὸ εὕρομεν σταθερᾶς διδασκαλίας, ἔργον ἐκλεκτῆς παιδείας, καὶ μεγάλης ὑπολήψεως διὰ τὰ σεβαστὰ ἀρχαῖα ἔθη τῆς ἡμετέρας ἁγίας Ἑλληνικῆς Ἐκκλησίας. Καὶ συνιστῶμεν τοῦτο τοσοῦτον μᾶλλον, καθ' ὅσον τὰ πολύτιμα προϊόντα τῶν νέων, κριτικῶν, ἱστορικῶν καὶ φιλολογικῶν ἀναζητήσεων τῶν σοφῶν Γερμανῶν καὶ Ῥώσσων, αἵτινες ἕνεκα τῆς δυσκολίας τῶν γλωσσῶν τούτων μᾶς μένουσι καθ' ὅλου ξέναι, κατεγράφησαν ἐν αὐταῖς καὶ ἐπωφελήθησαν, ὅπως ἑδραιώσωσι ἐπὶ πλέον τὴν ἀλήθειαν τῆς ἡμετέρας Καθολικῆς Θρησκείας, καὶ νὰ διασαφίσωσι διαφόρους περιόδους τοῦ ἡμετέρου ἐκκλησιαστικοῦ ἔτους, μεινάσας μέχρι τοῦδε δυσνοήτους.

Οἱ σεβαστοὶ ἐκεῖνοι Ἐφημέριοι καὶ Ἱερεῖς τῶν ἡμετέρων Ἰταλοελληνικῶν Ἐπαρχιῶν, οἱ βουλόμενοι ν' ἀποκτήσωσι τὸ ὡς εἴρηται βιβλίον τὸ τοσοῦτον ὠφέλιμον πρὸς τὴν ἱερατικὴν ὑπηρεσίαν, — ὅπερ καὶ εὐχόμεθα ὅπως πάντες θελήσωσιν — δύνανται εὐαρεστούμενοι νὰ μᾶς ζητήσωσι αὐτὸ, καὶ θέλομεν προθύμως αἰτήσει τοῦτο παρὰ τοῦ συγγραφέως Νικολάου Νείλλους τ. Ἑ. τ. Ἰ., οὗ τὴν φιλίαν περὶ πολλοῦ ποιούμεθα. Καὶ ἀσπαζόμενοι Ὑμᾶς μετὰ τῆς μείζονος ὑπολήψεως, ἱκετεύομεν διὰ πάντας τὰς τοῦ Κυρίου εὐλογίας.

Ἅγ. Σοφία Ἠπείρου, — Καλαβρία —, κε' Ἰουλίου 1881.

† ΙΩΣΗΦ

Ἐπίσκοπος Δανσαρίας, ἐπιτετραμμένος ἐπὶ τῆς χειροτονίας τῶν Ἰταλοελλήνων τῆς Καλαβρίας καὶ Βασιλικάτας.

VI. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Josephi Sembratowicz,

archiepiscopi et metropolitae gr. cath. Leopoliensis, ad ven. clerum archidioecesanum datis d. 15. Decemb. 1879.

N. 10232.

Окружное посланіе къ Честному Священьству Архіепархіи.

Сего року напечаталося въ Иннсбруку, головномъ мѣстѣ Тироля (Innsbruck in Tyrol) уваги достойное сочиненіе подъ заглавіемъ: „Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis. Auctore N. Nilles S. J. Ex officina Feliciani Rauch. 1879.“ Въ томъ сочиненію собраны суть при календарѣ западной и восточной церкви также календари или мѣсяцесловы поодинокихъ восточныхъ народовъ христіанскихъ и даются въ короткости описанія праздниковъ Господскихъ, Богородичныхъ, Ангеловъ и великихъ Святыхъ, тоже памятей малыхъ Святыхъ со ссылкою на книги богослужебны, святыхъ Отцевъ и иныхъ писателей церковныхъ. Межи житіями Святыхъ, которыи загально въ обохъ церквахъ чтутся, помѣщенны суть также житія тыхъ Святыхъ, которыи у каждого христіанского народа еще особно чтутся. Сочинитель перенятый есть духомъ любви христіанской и ко восточнымъ христіанскимъ народамъ, опираючися на постановленія св. Престола Римского, дотычачися восточныхъ обрядовъ, якіи постановленія наводитъ. Также указуе сочинитель относительно до мѣсяцеслова русского на источники наши.

У книгопродавца вызначена есть цѣна за экземпляръ сего сочиненія 3 зр. 20. а. в. Но и у самого сочинителя можно купити одинъ экземпляръ того сочиненія за 2 зр. 42 кр. съ додаткомъ 15 кр. на почтовое.

Отже поручается всеч. урядамъ деканальнымъ сію куренду подати до вѣдомости всеч. духовенства кондеканального и на соборчику деканальномъ и высланіемъ ей въ деканатъ, а если зайде желаніе отримати сіе сочиненіе, особливо для библіотеки деканальной, то подобаетъ поступити ведля высше наведенного освѣдченія сочинителя.

Львовъ, дня 15. декабря 1879.

Іосифъ,
Митрополитъ.

VII. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Victoris Mihályi de Apsi'a

archiepiscopi et metropolitae gr. cath. Fogarasiensis et Albae-Juliensis, olim episcopi gr. cath. Lugosiensis Rumenorum, ad ven. clerum dioecesanum datis d. 11. Mart. 1880.

Cercularíu càtra Ven. Cleru diecesanu. Nru 337—1880. XXVII.

Se recomenda Veneratului Cleru diecesanu spre a fi procuratu pentru bibliotecele districtuali sî parochiali opulu eruditu alu Parintelui Nicolau Nilles S. J. intitulatu: „Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis. Oeniponte (Innsbruck) ex officina Feliciani Rauch. 1879".

Acestu opu pre lenga illustrarea Menologiului basericei grecesci cu note scientifice, tractéza, sî despre càrtile liturgice ale basericei nóstre, despre terminii tecnici ce ocuru in acele càrti, despre usulu dogmaticu alu testimonialoru scóse din càrtile liturgice ale basericei resaritene: dreptu ce folosírea acestui opu póte fi de mare ajutoriu Veneratului Cleru intru ministeriulu sacru alu pastorirei sufleteloru.

Din Siedinti'a Consistoriului Episcopescu tienuta in Logosiu la 11. Martiu 1880.

binevoitoriu:
Victor Mihàlyi,
Episcopul Lugosiului.

VIII. Ex binis literis encyclicis

Rmi. D. D. Georgii Posilović,

archiepiscopi et metropolitae Zagrabiensis, olim episcopi Seniensis et Modrussensis, ad ven. clerum dioecesanum utriusque linguae liturgicae, latinae et slavonicae, datis.

Učeni profesor na bogoslovnom fakultetu u Innsbruku, Nikola Nilles, isusovac, napisao je djelo na latinskom jeziku pod naslovom: *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis*, Tom. I. *complectens immobilia totius anni festa.* — Na kratko evo mu sadržaja: s preda kao za uvod ima pregled iztočne crkve u Austro-Ugarskoj, i kratak izvještaj o porabi slavenskoga jezika u crkvah lat. obreda; za tim govori o važnijih liturgičkih knjigah iztočne crkve: n. p. što su mineja, ustav ili tipik, horologion ili časoslov, oktoich ili osmoglasnik itd.; nadalje o tehničkih nazivih, koji u liturgičkih knjigah češće dolaze, n. p. što je

ode ili pjesn, prosomija ili podobni, što je jektenija, metanija ili poklon itd. Iza toga sliedi samo glavno djelo: koledar iztočne grčke crkve i s njim uzpored koledar rimske crkve (grčki koledar pisan je i grčkimi slovi) i komentar ili tumač tomu koledaru, naročito grčkomu. Pri svem tom obazire se pisac sveudilij na koledar iztočne slavenske crkve, donoseć slavenska imena svetkovinam. Na kraju kano dodatak sliede koledari njekih pojedinih iztočnih crkava kano srbske, ruske itd., te ima historičkih crtica o. sv. Savi prvom arhiepiskopu srbskom, i o sv. Stefanu Urošu V, srbskom caru. Za tim ima jošte kratak traktat o petorici patriarha (rimskom. carigradskom itd.) i o biskupih; ima index sanctorum, i index nominum et rerum. — Iz toga sadržaja može se razabrati važnost ovakova djela za naše svećenstvo. Mi koji smo toliko izmiešani sa sljedbenici iztočne crkve valja da poznamo i razumijemo njezin koledar i njezine svetkovine. Svetci njezini jesu gotovo svi takodjer svetci kat. crkve. Od onih su mnogi krasna svjedočanstva izdali o jedinstvu crkve na temelju primata Petrova i rimskih biskupa, te je pisac takova svjedočanstva u svom djelu na raznih mjestih napisao. Da Bog dade, da i to nešta doprinese sporazumku, pa onda i željnom ujedinjenju crkve iztočne sa zapadnom. (U Senju dne 1. svibnja 1879.)

Tom. II. *Complectens mobilia totius anni festa.* — Prvi svezak ovoga djela jur je sasvim razpačan, te se nemože više dobiti; al ovaj drugi svezak sadržaje sobom posebnu cielost, te je vriedan i onim, koji prvoga svezka nebi imali.

Najbolja, kô što najkraća preporuka ovomu bi djelu bila; uzmi pa čitaj! jer se jedrina, vrstnoća i razlikost sadržine neda skupiti u malo rieči. Radi o nedjeljah jedne i druge crkve, te ob onih svetkovinah, koje neimaju stalna dana u koledaru, nego su pomične pa tu temeljito i znanstveno razlaže imena i poviest znamenovanje pojedinih pomičnih svetkovina. Što su svetkovine rimske crkve, to treba svakako da podpunije znade svaki svećenik; al je za nas takodjer jako važno znati i razumjeti svetkovine crkve grčke, i obrede i običaje, koji su sa svetkovinami u savezu. Ima u ovom djelu i malih exkursija, takodjer za nas osobito znamenitih: kano svjedočanstva za purgatorij, za izhod Duha svetoga i od Sina, vadjeno iz bogoslužnih knjiga. Ima takodjer čitave poljepše komade grčkoga officija za njeke znamenitije svetkovine, n. p. svete pashe na grčkom jeziku uz točan latinski prievod. U obće vidi se, da učeni pisac svoj predmet raspravlja ne samo s velikom učenošću, nego i s ljubavlju i ukusom, te je prava duhovna naslada čitati mu djelo. (U Senju dne 31. siečnja 1882.)

Juraj v. r.

IX. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Joannis Szabó,

episcopi gr. cath. Armenopolitani, ad ven. clerum dioecesanum datis.

N. 1894.

Prin cerculariulu Nostru de dto 13. Aug. 1881 Nr. 4650 vi s'a facutu cunoscutu, cà Clarisimulu Domnu Dr. *Niculau Nilles* profesore la Universitatea din Oeniponte (Innsbruck, Tirol) terminà tomulu alu doile din opulu seu *„Eortologionu"*; de órace acelu opu a esitu deja de sub tipariu sub titlulu „Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis" si fiindu acel'a fórte folositoriu sî instructivu pentru fiàcare preotu, am afflatu de bine a ve atrage atentiunea din nou asupr'a densului.

Opulu integru consiste din trei tomuri, din care dóue deja s'au publicatu; éra alu treile inca e sub tipariu. Scopulu auctorelui se vede din cuvintele apuse la acestu opu *„Multi tienu serbatorile sî sciu numele acelor'a, insa istori'a, sî ocasiunile din care s'au introdusu nu le sciu, . . . ce este lucru de rusine si demnu de risu" (S. Joanu Chrysost. in bapt. D. N. Christi).* Din acestu punctu de vedere purcediendu auctorulu cu dilígintia estraordinaria sî eruditiune rara demustra concordanti'a Calendariului basericei de ritulu orientalu cu acelei de ritulu latinu, insemnandu fia care dî sî adaugendu la fia care dî si serbatóre notitii istorice, dogmatice sî etimologice sî esplicandu terminii technici teologici, precum sî cuprinsulu Cartiloru de ritulu nostru orientale, mai alesu alu celoru corale. Arata si unele abateri eretice, multime de fonti teologici, care tractéza despre acestu objectu.

Din aceste cause dorimu, cá acestu opu de un'a valóre necontestabila se nu lipséscа de pe més'a neci unui preotu, cu atâtu mai vertosu, cà-ci credintiosulu nostru poporu incà primesce cu o deosebita placere sî interesare esplicarea ritului sî ceremonieloru basericesci. Ve recomendàmu dar acestu opu pentru procurare, potendu-ve adressá si dea dreptulu catra auctoru, séu pe calea acéstui ordinariatu.

Gherl'a la 10 Martiu 1882.

Joanu Szabó m. p.
Episcopulu gr. cat. de Gherl'a.

X. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Michaelis Pavelu,

episcopi Magno-Varadinensis, olim Episcopi Armenopolitani rit. gr., ad ven. clerum dioecesanum datis.

N. 6108.

Reverendisimiloru in Christosu Frati Vicari Foranei, Archi-Diaconi sî multu-onoratiloru Frati Protopopi sî Preotii! — Clarisimulu Domnu Dr. Nicolau Nilles membru al Ordului Jesuitiloru sî profesore la Universitatea regésca din Oenipontu (Innsbruck) a pusu sub tipariu unu opu forte interesantu cu titlu „Heortologion seau Kalendarium“ compusu in limb'a latina, in care se descria viétia fiacarui santu din Sinaxariu, in ordinea Calendariului nostru Iulianu precum si a celui nou Gregorianu, care opu e forte de lipsa pentru fiacare preotu catolicu. . . . Dreptu acea ve recercamu pe Fratiile vóstre, cumca carii ati dori alu procura . . . se faceti acésta cunoscutu aici pre calea oficiului protopopescu; candu apoi cerandu-se dela auctoru esemplariele de lipsa acele vi-se voru espedá dela oficiulu diecesanu.

Din Siedinti'a Consistoriala tienuta in Gherl'a 31 Decemvrie 1878.

Michailu Pavelu m. p.
Episcopulu Gherlei.

XI. Ex literis encyclicis

Rmi. Ordinariatus episcopalis Magno-Varadinensis ritus graeci catholicorum,

Sede Vacante, ad ven. clerum dioecesanum circummissis.

Totu odata pentru cuprinsulu seu de cea mai profunda eruditiune sî de celu mai mare folosu pentru cleru, se comenda Fr. vóstre procurarea opului intitulatu: *Kalendarium utriusque Ecclesiae* . . . edatu in Innsbruck: carea se pote intemplá pre calea Ordinariatului diecesanu. . . .

Oradea Mare din Siedinti'a Consistoriala tienuta in 7 Maiu 1879.

XII. Ex literis protrepticis

Rmi. D. D. Josephi Cozza-Luzi, O. S. Bas.

Abbatis Monasterii τῆς Κρυπτοφέῤῥης
Subbibliothecarii S. R. E.
ad auctorem datis.

. . . . Primum egregii operis tui volumen *Ἑορτολόγιον πρόχειρον* vere thesaurus sacer visus est, in quo etsi compendiose, dilucide tamen et sapienter de memoriis sanctorum, qui in variis ecclesiis celebrantur egisti. Et ut studio et commoditati tironum in sacris studiis consuleres, indicationes praecipuas praebuisti ad majores historiae et rituum inquisitiones apud pleniores quoque fontes ineundas. — Altero autem volumine opus nunc absolvis de variis agens festivitatibus, quibus non est in aliqua mensium die certa sedes, proindeque festa mobilia nuncupantur. In his quoque non modo juvenilibus studiis affers opem utilissimam, sed et omnibus sacrarum rerum scrutatoribus, quibus plerumque neque tempus, neque libri, neque suorum studiorum ratio vel linguarum peritia tantum suppetit, ut res hujusmodi plene exquirere possint. Quinimo permultas et praecipue recentiores notitias, quae tum tironibus tum magistris difficiles essent accessu, tu paucis perstringis et indicas. Opere igitur hoc tuo diligentiae et doctrinae pleno valde de studiis sacris, de ecclesiae ritibus et de bono fidelium, maxime orientalium, bene meritus es. Nos vero tibi gratulamur eo praesertim, quod dum graecum ritum sequimur, de graeco Kalendario et festis te tanto cum zelo et doctrina egisse novimus. Opus tuum haud parvam symbolam affert magno illi, cui instat Ecclesia sancta, operi pro fidelibus rituum orientalium, cui et nunc Leo XIII. sapientissime intendit, ut palam est ex iis quae gessit pro Armenis, pro Slavis, pro Graecis ut et pro nobis, apud quos votis annuens nostris ritus pristinam puritatem revocavit. Vale et usque impensius ad pulchritudinem sponsae Christi, quae est Ecclesia circumdata varietate, illustrandam perge, dum tibi uberes in terris fructus et majora in coelis praemia ominamur.

Ex Monasterio S. M. Cryptaeferratae die 30. Septembris 1881.

XIII. Ex literis encyclicis

Rmi. D. D. Joannis Pásztelyi,

episcopi gr. cath. Munkácsiensis Ruthenorum, ad ven. clerum dioecesanum datis d. 12. Septemb. an. 1879.

$\frac{1273}{1527}$ sz. sz.

Krisztusban kedvelt fiaim, Nagyontisztelendő alesperes és lelkészek.

A hitbuzgalom valamint az egyházhoz való őszinte ragaszkodás emelésére semmi sem hat jobban, mint az egyház szertartásainak és azon szellemnek valódi és alapos ösmerete, mely az egyház ünnepeiben és ezen ünnepek indokául szolgáló hitágazatokkal kapcsolatban nyilvánul. — Mint mindenkor ugy a jelen alkalommal is a hivőkhöz tartandó sz. beszédek tárgyául a legmelegebben ajlnlom a jelzett tárgyakat, és ezen szempontból felhívom Kedveltségteket: hogy segédkönyvül Nilles Miklós Jézus-társasági atyának „Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis, academiis clericorum accommodatum“ czimü müvét megszerezni igyekezzenek, mert ezen alapos tanulmányok folytán kidolgozott mű, mig az ünnepek eredetére nézve szép történeti részleteket tartalmaz, másrészről azok egymáshozi viszonyait meglepö világossággal tünteti föl.

Egyébiránt püspöki áldása adása mellett maradok Ungvárt 1879 évi szeptember hó 12én

Kedveltségteknek Krisztusban szives atyja

† **Pásztelyi János,**
Munkácsi Püspök.

Reliquas approbationes, quas praeterea a plurimis aliis praelatis orientalibus sibi haud absimili forma factas *Kalendarium* gaudet, omittimus, ne praeliminaria haec in immodicam spissitudinem excrescant, qua lector *μακρολογίας* impatiens offendatur.

Praefatio et occasio scribendi.

Academias, quae aliis *Seminaria* vocantur, Josephus Seybold, clarus olim in alma hac literarum Universitate juris canonici professor, cum aliis scriptoribus *ὁδηγηταῖς* definit *Jurisprudent. part. 2, fund. 2,* „exercitationes dogmatum seu principiorum alicujus disciplinae, in coetu auditorum ad hoc exercitium convenientium, sub uno praeside, qui conventum dirigit."

Pervetus est academiarum in Universitatibus institutio; eas quippe ordinariis magistrorum praelectionibus subsidium esse illisque inservire atque ancillari voluit antiquitas.

Praelectiones, quae a professore compositae in scriptis ad calamum traduntur, certis tantum dogmatis constare ac modicis regionibus circumscriptae esse solent; in academiis contra accuratius expenduntur, quae strictim tantum a magistro sunt auditoribus praelegendo tradita; ad omnem rerum verborumque excurritur originem, historiam, sensum; variae quaestiones affines, quae speciatim nostrorum veluti temporum sunt, ac vel primum nunc excitatae vel majori dissidentium partium contentione agitatae, ideoque prae caeteris scitu necessariae, attinguntur: quo una cum seminibus propago quoque studiosis atque seges occurrat materiarum ad vitam perutilium. Haec de academiis generatim [1]).

---

[1]) Si quis plura de rationibus academiarum videre cupiat, consulere facile poterit *Commentarium* nostrum *de vocatione ad statum ecclesiasticum, ex actis academiae* (oenipotanae) *juris canonici erutum* (Oeniponte 1892), in quo cuncta, quae ad praesentem materiam spectant, fusiori explanatione atque ad usum accommodate declaravimus.

Academiam ἑορταστικήν speciatim quod attinet, ea in scholis theologicis instituta ad hunc finem est, ut sacrae theologiae auditores utriusque ecclesiae, statis per hebdomadem diebus in coetum collecti, variis exercitiis genuinam Kalendarii formam, secretiores dierum festorum rationes atque inde omnem interiorem ac reconditam anni ecclesiastici notitiam arctissimamque occurrentium solemnitatum cum catholico dogmate connexionem addiscerent: qua in re nihil est, quod non sit cum divino cultu ac vera pietate conjunctum.

Plura quidem sunt sacrarum disciplinarum genera, in quibus *heortologia* versatur, ut puta: historia ecclesiastica [1], archaeologia christiana [2], jus canonicum [3], theologia polemica [4], pastoralis [5], liturgica [6]; verum qui iis tradendis constituti sunt professores, propter multitudinem rerum explicandarum, solemnium Ecclesiae dierum vix aliter mentionem facere solent, quam rei aliunde jam notae, aut certe alibi pertractandae, extremis, ut ajunt, digitis materiam attigisse contenti. Inde non raro fieri videmus, ut multis omnino utriusque ecclesiae ministris nobilissima haec scientia peregrina ignotaque maneat provincia. Cui incommodo ut efficaciter occurratur, satagendum sane est, ut clerici discendi cupidi in academicis conventibus iis plene instruantur, quae in ordinariis professorum scholis succincte tantum aut omnino non audierunt.

Accedit in Austro-Hungaria nostra, quod Armeni Graecique, propriis utentes ritibus, magno numero [7]) cum Latinis

---

1) Cfr. De Smedt S. J., *Introductio generalis in hist. eccles.* tract. 2. c. 2. Gandavi, Poelman, 1876.

2) Cfr. Mannhart S. J., *De antiquitatibus christianorum,* § 5. Augustae Vindel., Rieger, 1767. Itemque vide Augusti, *Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie,* tt. 1—3. Lipsiae, Dyk, 1817—1820.

3) Cfr. Zech S. J., *De jure rerum eccles.* sectio 2, tit. 22. Ingolstadii, Craez, 1758.

4) Cfr. Gretser S. J., *De festis Christianorum libri duo;* oper. tom. 5. pars 2, Ratisbonae, Peez et Bader, 1735.

5) Cfr. Azor. S. J., *Institution. moral.* pars 2, l. 1. Coloniae Agrippinae, Hierat, 1608.

6) Cfr. Ferd. Tetam., *Diarium liturgico-theologico-morale,* tt. 1—8. Venetiis, Savioni, 1779—1784.

7) Primum hoc volumen terminabimus cunctis ecclesiis orientalibus

permixti habitant eademque Kalendaria ingeniose composita adhibent, ad regulas utriusque styli exacta ac Christi Domini Sanctorumque solemnia in pluribus, iisque secundum diversorum rituum varietatem distinctis, columnis exhibentia: quorum omnium rationes nisi adolescentes tempore studiorum accurate perdidicerint, postea, e scholis semel egressi, nunquam amplius, quae aut ipsi in Kalendariis suis de aliis ritibus legerint, aut ab aliorum rituum fidelibus circum se fieri oculis viderint, mente intelligent. Ea de causa nostratibus diligentia quadam praecipua curandum est, ut juniores clerici per serias academiarum exercitationes hisce materiis exquisitius erudiantur: quo etiam dissensiones de festis celebrandis, quas identidem propter Kalendarii diversitatem incidere necesse est, facilius dijudicari sedarique possint.

Atque haec omnia a fortiori de iis regionibus valent, ubi quinque vel sex nationes catholicae propriis servatis ritibus promiscue habitantes, eodem Kalendario, singularum festa exhibente, omnes utuntur. Exemplum ejusmodi Kalendarii quincupliciter compositi, in urbe Aleppo editi, Heortologio subjiciendum curavimus pp. 428—438. *Taqvîm* Beryti a P. Damiani arabice vulgatum pro an. 1879 Chaldaeorum festa addit, ut adeo usibus sex nationum sit accommodatum.

Modum quod spectat *academiam istam festorum utriusque ecclesiae* habendi, hunc ferme tenemus. Initio anni scholastici una alterave hora selecta recentiora documenta pontificia de nobilitate ac praestantia rituum orientalium explicamus[1]; deinde per tempus competens quaedam capita et prolegomena ex Bollandianis aliisque scriptoribus hagiologis afferimus, unde excitari possint adolescentium ingenia ad negotium hoc liquidius concipiendum. Singulis vero academiarum coetibus lex generalis est, ut quotquot ad eos conveniunt sacrae theologiae candidati, stata vice atque ordine suam proferant brevem aliquam lucubrationem. Quod reliquum est temporis ita dividimus, ut partem alteram expleat

austro-hungaricis uno in conspectu comparativo positis (pp. 497—501), addita etiam opportuna notitia de usu linguae slavicae in illis ecclesiis ritus latini, quae libros glagoliticos adhibent (pp. 502—512).

[1]) Ut quae praeviae huic exercitationi necessaria sunt, omnes ad manum habeant, nonnulla ejusmodi fragmenta praefationi subjungimus.

rubricae seu canonis *ἑορταστικοῦ* expositio, alteram vero repetitio ac rituum inter se facta collatio, additis etiam variis quaestionibus kalendariis ad temporis nostri genium accommodatis. Designata denique materia, de qua proxime sit disserendum, conventus solvitur. Quo nimirum ad fructum efficaciores evadant academiae, earundem materia auditoribus privato studio domi est paranda; qui enim imparati ad coetum veniunt, dispositione carent ad solidum fructum ex academicis discussionibus capiendum.

Hanc autem praeviam coetuum praeparationem ut faciliorem reddamus, eorum imperat conditio, qui academias frequentant. Etenim eo etiam omisso, quod paucis bibliothecae praesto sunt locupletes, clerici, dum eodem tempore gravissimis theologiae studiis distinentur, tempus procul dubio non habent, plura eaque non exiguae molis volumina evolvendi atque ex iis non sine labore sat molesto conquirendi, quae ad disputationem proxime indictam pertinent. Quapropter rem bonam facturi nobis videbamur, si in ipsorum commodum atque utilitatem hoc *Ἑορτολόγιον πρόχειρον*, quasi expeditam et obviam cuique Heortologii totius methodum, ederemus, quum praesertim ejusmodi *Ἐγχειρίδιον*, quod in promptu ac veluti *ad manum* omnibus esset, ne ab ullo quidem alio tentatum videre nobis licuisset. Huc igitur spectavimus, quum Kalendarium ecclesiae catholicae orientalis, quae cum occidentali [1])

[1]) Nomenclatio *ecclesia orientalis et occidentalis*, inquit Rmus. Papp-Szilágyi, *ὁ μακαρίτης*, a divisione imperii civilis Romani in orientale et occidentale derivatur. Quum tamen evenerit, ut, quemadmodum in Occidente ritus et disciplina ecclesiae Romanae sensim communiter fere receptus sit, ita in Oriente ritus et consuetudines ecclesiae CPolitanae praevaluerint: hodie ecclesia, quae ritum et disciplinam ecclesiae CPolitanae observat, peculiariter *ecclesia orientalis* dicitur (Praefat. in *Enchiridion juris ecclesiae orientalis catholicae)*. Ecclesia CPolitana ipsa se *ἐκκλησίαν τῶν Ῥωμαίων*, et antistitem suum *ἀρχιεπίσκοπον ΚΠολέως τῆς νέας Ῥώμης* appellat. Gubernium Ottomanicum patriarchatui CP. similiter nomen *Rúm-Patrikije, patriarchatus Romanorum,* tribuit, atque inde Christiani omnes ecclesiae CPolitanae seu graecum ritum servantes in toto Oriente *Romani* vocantur; imo et lingua graeca vulgo *ἡ Ῥωμαϊκὴ γλῶσσα* dicitur. Cfr. Pitzipios, *L'église orientale,* introduct. pp. XI—XII. In commentario nostro vocabulum *orientalis ecclesia* latiori sensu accipimus, eoque praeter hos Graecos seu *Ῥωμαίους* alias quoque nationes christianas Orientis (Ar-

uno fidei caritatisque spiritu informata intimeque colligata est. ex archetypo graeco diurnis annotationibus, factaque cum latinis fastis collatione, pro usibus academicis conati sumus paucis interpretari [1]) adhibito titulo: *Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ τῆς δυτικῆς, πρὸς χρῆσιν τῶν πρωτοπείρων κληρικῶν, Kalendarium manuale utriusque ecclesiae, orientalis et occidentalis, in usum clericorum tironum.* Quo in labore ante omnia necessariae serviendum erat brevitati; praeter enim quam quod ingenii et eruditionis nostrae tenuitas fecit, ut nec magna, nec recondita proferre possemus, ipse scriptionis scopus exegit, ut tot res ac tantas tamque varias in Kalendario occurrentes nec subtilius pertractare, nec uberius exponere tentaremus, ne onerasse potius lectorem elementarium, quam adlevasse videremur.

Ita vero omnia studuimus facili ac plana methodo nec voluminosa mole complecti, ut labor noster aliis quoque clericis exteris, in quorum manus devenerit, neque ingratus, neque inutilis esset futurus.

Sed et ipsis Orientalibus, qui praejudicatis erroribus ac consuetudine magis, quam veri odio a sancta Romana ecclesia discedunt, sacra alioquin omneque pietatis genus nobiscum colunt, exilia haec nostra forte lectione dignaturis, quodam etiam modo consulere voluimus, dum aestu omni et quibusvis verborum acerbitatibus longe relegatis, certae probataeque fidei testimoniis ex Actis et scriptis Sanctorum ecclesiae orientalis depromptis, divinum Romani Pontificis Primatum ostendimus [2]):

menorum, Maronitarum, Syrorum, Antiochenorum, Chaldaeorum, Coptorum) designamus.

[1]) Hinc est, cur utramque ecclesiam in titulo libri nominando, orientali principem locum tribuimus: quem scribendi ordinem tamen, nisi certa et peculiaris subsit causa, invertendum esse cum Vaira *De praerogativa oecumenicae nomenclationis et potestatis*, c. 12 monent, qui de *divino Primatu Romanae Sedis* agunt.

[2]) Huc faciunt, quae afferimus *a)* ex officiis ecclesiasticis ss. Silvestri p. 51, catenarum s. Petri p. 72, Leonis PP. I. p. 107, Gregorii M. p. 121, Martini PP. I. p. 137, Petri et Pauli p. 193; *b)* ex Actis et scriptis ss. Basili M. p. 49, Nicephori CP. p. 171, Maximi p. 244, Pauli CP. p. 316, Theodori Studitae p. 322, Joannis Chrysostomi p. 328. — Intimo nexu cum his cohaerent, quae de independentia Ecclesiae ab imperio civili ex magnis Doctoribus Orientis proponimus variis locis pp. 343—344 indicatis.

a Christo Deo humiliter enixeque deprecati, ut, quam cum fratribus orientalibus diu optamus, pacem ecclesiis sanctis ac unionem aliquando tandem restituat [1]).

Sanctos hos ecclesiae orientalis Doctores uno studio nos quoque et amplectimur et colimus et celebramus, quum in una omnes majorum nostrorum sancta et catholica Ecclesia floruerint; eorum ubique hodie reviviscat doctrina, eorum vestigiis omnes insistant: et pax conciliabitur, foedus stabit, una rursum utriusque populi laus et gloria vigebit, quemadmodum recte animadvertit Morcelli *Kal. CP.* § 2, ubi de cultu Sanctorum ecclesiae CP. apud Latinos agit.

Quas habuimus consilii nostri rationes, paucis significandas esse duximus, ne quis in commentario nostro alia quaerat, quam quae ipsi attingere cogitaverimus. *Sed et si cujus peritorum* — liceat hunc cum Helperico, in simili materia kalendaria scribente, praefationi finem imponere — *si cujus peritorum haec aures offenderint; his se uti si quis fastidierit, non sibi esse edita sciat, sed τοῖς στοιχειωμένοις tantum, iis* scilicet, *qui majora adhuc penetrare nequeunt, ut his primum, quasi quibusdam alphabeti characteribus inducti, illa deinceps facilius assequantur* (apud Migne, Patr. lat. tom. 137, p. 48). *Candidi benevolique lectoris curiosa vestigatio autem habebit in his, etsi non copiam satietatis, qua delectetur, qualemcunque nihilominus inquisitionis, qua melius exerceatur* (Praef. in gl. ord. s. script.).

[2]) Etiam Graeci quotidie in Missa et Vesperis orant *(ἐν τοῖς εἰρηνικοῖς)*:

Ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος κόσμου, εὐσταθείας τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, καὶ, τῆς τῶν πάντων ἑνώσεως· τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Pro pace totius mundi, felici statu sanctarum Dei ecclesiarum et pro omnium unione: Dominum deprecemur.

Oeniponte,

Κυριακῇ τῶν προπατόρων. *Dominica III. Adventus.*

1895.

Selectae quaedam auctoritates de ritibus ecclesiae orientalis.

I.

Ex recentibus literis Apostolicis SS. D. N. Leonis PP. XIII. d. d. 30. Nov. 1894.

Orientalium dignitas ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam. Apud illas enim inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit; quum beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, multiplicem erroris vitiique pravitatem disjecturus, lumen veritatis divinae, evangelium pacis, Christi libertatem in dominam gentium urbem caelesti numine intulit. — At ecclesiis orientalibus Romana potissimum, ecclesiarum omnium caput, sane quantum honoris et caritatis inde a memoria apostolica tribuere consuevit et quam fideli obsequio vicissim laetari: easdemque, per varia deinde atque acerba tempora, nequaquam ipsa destitit, providentia et benefactis, a jacturis erigere, devinctas retinere, revocare discordes. Neque ultimum illud fuit vigilantiae officium, ut proprias cujusque orientalis gentis consuetudines sacrorumque rationes, quas pro potestate et sapientia sua legitimas edixisset, integras in eis perpetuo custodiret ac tueretur: cujus rei documento multa sunt, quae Decessores Pontifices, cum primis Pius IX fel. rec., vel suis ipsi actis vel per sacrum Consilium christiano nomini propagando prudentissime censuerunt. — Non minore permoti Nos adductique studio, sub ipsa pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos paramenter convertimus. Maturavimus quidem conferre curas ad earum allevandas necessitates, aliasque sumus deinceps occasiones nacti actuosae benevolentiae testandae: sed nihil profecto antiquius sanctiusque fuit neque est, quam animis cum Sede Apostolica ob-

strictis, adeo in eis ardorem excitare et foecunditatem fidei, ut ad majorum excellentiam et laudem exemplis renovatis nitantur.

Praestantissimum id esse existimamus, ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus, animum curasque adiicere. Qua in re jam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eamdem condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis ecclesiis apostolica origo testatior constet, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa conjunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti *venerunt . . . adorare eum.* — Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata, quae utpote divina immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant. Hoc etiam modo et ejus vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit Davidico: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate . . . in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.*

II.

Ex Actis Pii PP. IX.

1.

Omnino sartas tectas habebimus peculiares vestras catholicas Liturgias, quas plurimi sane facimus, licet illae nonnullis in rebus a Liturgia ecclesiarum latinarum diversae sint. Enimvero Liturgiae ipsae vestrae in pretio pariter habitae fuerunt a Praedecessoribus Nostris, utpote quae et commendantur venerabili antiquitate suae originis et conscriptae sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerunt, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur. (Ex literis Apostol. In suprema ad Orientales d. d. 6. Jan. 1848).

2.

Caritatis spiritu perinde ac Nos excitati Praedecessores Nostri sacros ritus, quos orientalis adhiberet ecclesia quosque orthodoxae fidei minime adversari comperissent, non modo ncn improbandos, sed vero etiam observandos ac retinendos censuerunt, utpote ipsa antiquitatis origine commendatos et a sanctis Patribus non mediocri ex parte profectos; quin imo orientales ritus deserere, nisi impetrata Summi Pontificis venia, providentissimis Constitutionibus edixerunt fas esse nemini. Noverant siquidem immaculatam Christi sponsam mira quadam varietate distingui, quae non officiat unitati; Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam omnes complecti populos, nationes, gentes, quae fidei unitate et consensione coalescant, diversae licet moribus, linguis ac ritibus, quos tamen omnium mater et magistra Romana probarit Ecclesia. (Ex Allocut. d. 19. Decemb. 1853).

3.

Fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri, quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios orientalium eccle-

siarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate et sanctorum Patrum auctoritate commendatos, destruere vel immutare, sed unice velle, ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae deroget honestati. Quodsi orientales ritus alicujus arbitrio aliquando immutati fuerint, id nunquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum. (Ex Constitutione Apost. Romani Pontifices d. d. 6. Januar. 1862)

4.

Summo Pontifici Pio IX. nihil est potius, quam ut disciplina orientalis in sua puritate vigeat ac servetur, summopere in primis desiderans, ut qui, vocante Deo, sacris addicuntur ministeriis, nedum doctrina, verum etiam integritate vitae praefulgeant, ut verbo et exemplo fideles, quibus praesunt, possint instruere in doctrina, et eos, qui contradicunt, etiam puritatis vitae exemplo arguere. (Instructio S. C. de Prop. Fide, d. d. 24. Mart. 1858).

III.
Ex Actis SS. D. N. Leonis PP. XIII.

1.

Ea quae ad orientales ecclesias pertinent, pro supremo eo ministerio, quo ex divina institutione perfungimur, peculiari Nostra sollicitudine ac studio digna omnino putamus, quemadmodum et a Praedecessoribus Nostris omni aetate factum esse comperimus. . . . Noverant ipsi pristinam illarum regionum nobilitatem, in quibus Sol justitiae humano generi affulsit, necnon earum ecclesiarum veterem gloriam, quae praeclara coelestis sapientiae et admirabilis sanctitatis lumina protulerunt. Quapropter et Nos ab ipso Nostri Pontificatus exordio, quum Orientis ecclesias gravissimis procellis divexari conspexerimus, singularem necessitatibus opem afferre contendimus (Allocut. d. 28. Febr. 1879).

2.

Curas singulares sub ipsa Pontificatus Nostri initia in populos Orientis conferre properavimus. . . . Nos quidem

certe pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula et christianae sapientiae primordia: illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit. Neque interitura laus est virorum ex Oriente magnorum, quibus contigit, ut afflatu auspiciisque veritatis catholicae ad omnem excellentiam niterentur, et sanctitate, doctrina, rebus gestis gloriam nominis sui ad posteros propagarent. Atque haec Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto majorum virtus et magnitudo reviviscant; eoque magis, quo illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendant, Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros. (Allocut. d. 13. Dec, 1880).

3.

Decessorum Nostrorum (quos plurimum in ecclesiis orientalibus curarum studiique consumpsisse satis historiae loquuntur) exemplis permovetur et ad bene merendum incitatur animus Noster, caeteroquin sponte sua propensus in Orientem, magnarum virtutum gloria nobilem et christiani nominis originibus consecratum. Diu sane in hac cogitatione sumus, qua maxime ratione conveniat operam nostram in publicam ejus conferre utilitatem. (Const. Benigna d. d. 1. Martii 1883).

IV.

De diversitate rituum ecclesiae orientalis.

Orientalem ecclesiam omnibus notum est quatuor ritibus constare, graeco videlicet, armeno, syriaco ac cophtico (Benedict. PP. XIV. Const. Allatae § 3, Bullar. t. 4, p. 123).

Quas singuli ritus complectantur species, paulo inferius docebit schema p. LXXI.

V.

De diversitate rituum in terris Augustissimae Domus Austriacae.

Diversi ritus, ut lege ecclesiastica sunt in sua integritate conservandi, ita et Decreto Caesareo in juribus suis tuti omnino praestantur.

1.

Fuit hoc semper praecipuum Apostolicae Sedis studium, ut integer servaretur splendor diversis ritibus et ob eorum antiquitatem summa veneratione colendis et approbatis in Ecclesia catholica, cujus cum ipsa concordi eorum varietate pulcherrimum et elegantissimum ornamentum efficiunt. (Lit. S. C. de Prop. Fide ad Nuntium Apost. Viennen. d. d. 2. Apr. 1803).

2.

Dum in hoc regno catholica salvifica religio ex tribus ritibus constat, latino, graeco, et armeno-unito, eapropter hoc praecipue animadvertendum erit, ut praefatae tres filiae unius ejusdemque matris in amore consanguinitatis pariter vivant. Omnis discordia quum intra plebem ipsam, tum intra sacerdotium evitetur. Omnes hi tres ritus in aequali auctoritate conserventur; proin nulli trium horum prae duobus pari cultu dignis aliqua praecellentia concedatur; omnes de religione disputationes inter has tres unitas filias, contemptus mutuarum caeremoniarum aut sacerdotii maxima cum cura vitandi sunt; cavendum erit, ne exercitium horum trium rituum dominantis religionis quoquo modo impediatur aut interrumpatur. (Joseph. II. Instruct. pro magistratib. regni Galiciae edit. a. 1782).

Catalogus operum frequentius adhibitorum.

Libri Liturgici *Ὡρολόγιον*, *Τριῴδιον*, *Πεντηκοστάριον*, *Λειτουργίαι αἱ θεῖαι* etc. editionum Romanarum, Venetarum, Atheniensium.

Μηνολόγιον Βασιλείου τοῦ Πορφυρογεννήτου, hoc est, *Menologium Graecorum*, studio jussuque Basilii junioris Porphyrogeniti saeculo decimo vertente descriptum, exornatumque imaginibus.

Utimur editione Urbinatensi Cardinalis Albani, quam Migne habet Patrol. gr. tom. 117.

Praeter testimonia ibidem collecta, conferri de illustri hoc Menologio possunt, quae ex antiquis fontibus slavicis eruta typis Moscoviensibus non ita pridem (1875—1876) vulgavit Sergius, archimandrita, in opere *Polnyi Měsjacoslov Vostoka* mox citando.

Συμεὼν τοῦ Λογοθέτου τοῦ καὶ Μεταφραστοῦ βίοι ἁγίων, apud Migne, Patr. gr. tt. 114—116.

Celeberrimum hunc Vitarum sanctorum scriptorem in nonnullis sanctorum fastis legi, annotavimus ad 28. Novembris, p. 337.

Μηναῖα τά δώδεκα.

Menaeorum Graecorum recentiorem editionem Venetam an. 1843 haud parum ab antiqua illa differre, qua usi olim sunt Bollandiani[1]), recte animadvertit Martinov in opere mox citando, prolegom., n. 19.

Contractum ex Menaeis est Menologium, quod Maximus Margunius, Cytherorum episcopus († 1602), in lingua Graecorum vernacula Venetiis apud Pinellum edidit sub titulo:

Συναξάρια ἤτοι βίοι ἁγίων ἐκ τῆς ἑλληνικῆς γλώττης μεταφρασθέντα παρὰ Μαξίμου ταπεινοῦ ἐπισκόπου Κυθήρων εἰς κοινὴν ὠφέλειαν.

[1]) Conferri de ea possunt Acta SS. Junii tom. IV, pp. 672—673.

Acta Sanctorum, quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, ex latinis et graecis aliarumque gentium antiquis monumentis collecta, digesta, illustrata a presbyteris Societatis Jesu Bollandianis.

Utimur novissima editione Parisiensi Victoris Palmé.

Tomo 11. mensis Octob. insertus est *Annus ecclesiasticus graeco-slavicus* Joannis Ev. Martinovii, S. J., quod opus plane eximium, diurna collatione adhibita in usus nostros transtulimus[1]. Qua in re profecto gratulandum nobis erat, quod quae sine assidua plurimorum ac diversissimorum librorum graecorum ac slavorum lectione et singulari diligentia colligi non potuerunt, ea nobis doctissimus auctor in unum quasi fascem mirabili claritate redegit, ut adeo uno labore, sine taedio fastidioque, pleraque omnia ad hagiologiam graeco-slavam spectantia reperiremus.

Analecta Bollandiana, commentaria peregregia, quae Bruxellis inde ab an. 1882 eduntur.

Acta martyrum P. Theodori Ruinart opera ac studio collecta, selecta atque illustrata, juxta editionem Veronensem novis curis quam emendatissime recusa Ratisbonae sumptibus G. Josephi Manz, an. 1859.

Acta martyrum occidentalium et orientalium, ed. Steph. Evodius Assemanus, archiepiscopus Apamensis, Romae, typis Collini, 1748.

Echte Akten h. Märtyrer des Morgenlandes. Aus dem Syrischen übers. von P. Pius Zingerle O. S. B. Innsbruck. Wagner, 1836.

Acta syriaca Martyrum et Sanctorum a Bedjan, Corluy, Curreton, Lamy, Moesinger, Wright aliisque doctis variis locis ac temporibus edita.

Μηνολόγιον τῶν εὐαγγελίων ἑορταστικόν. Kalendarium Ecclesiae Constantinopolitanae diurnis commentariis illustratum cura Steph. Antonii Morcelli, tt. 2. Romae, typis Giunchianis, 1788.

Alexii Symmachi Mazochii *in vetus marmoreum sanctae Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium commentarius;* tt. 3. Neapoli, typis Novelli de Bonis, 1744—1755.

[1]) Prodiit etiam typis Bruxellensibus apud Goemaere, an. 1863.

Ignatii Kulczynskii, Ord. S. Bas. M., *Specimen ecclesiae Ruthenicae, ab origine susceptae fidei ad nostra usque tempora in suis capitibus seu primatibus Russiae cum s. Sede Apostolica Romana semper unitae.* Romae, typ. Mainardi, 1723.

Praeter Menologium Basilianum et opera Metaphrastis quam plurima alia literarum monumenta ad historiam sanctorum pertinentia exhibet Migne in utraque *Patrologia, latina* et *graeca.*

In iis citandis sequemur ipsius hujus collectionis tomorum paginarumque ordinem, relictis scilicet grandioribus numeris, qui ex inscriptione columnarum priorum editionum ibidem recusarum textui inserti leguntur.

Martyrologium Romanum cum notationibus Caesaris Card. Baronii. Venetiis, typ. Minim. Societat., 1593.

Consensionem utriusque ecclesiae in festis agendis ostensuri, in interpretatione Heortologii graeci simul indicabimus, quosnam dies Latini iisdem Sanctis voluerint esse sacros, exhibendo scilicet, quantum id academiarum utilitas suadere visa fuerit, ex hoc Martyrologio Romano Sanctorum elogia, vel etiam prolixitatis vitandae causa simpliciter animadvertendo, fastis latinis eos esse ad tales dies adscriptos.

Varias quaestiones martyrologicas saeculo hoc nostro praeter J. B. de Rossi et L. Duchesne erudite pertractarunt Bollandiani de Buck et Matagne, quorum fusiores disputationes paucis contractas reperies apud de Smedt *Introductio generalis in historiam ecclesiasticam* (Gandavi, Poelmam), pp. 147 seqq.; qua de re videri possunt doctae animadversiones professoris H. Grisar S. J. in Actis literariis Oenipontanis *Zeitschrift für kath. Theologie,* an. 1877, pp. 641 seqq., ubi in dijudicanda hac *Introductione* diligenter versatur.

De novis recensionibus Martyrologii Romani tandem egregium *Parergon historico-criticum* cl. Dr. Lämmer non ita pridem vulgavit Ratisbonae, typis G. J. Manz, in iisdem Actis an. 1879 a D. Kerschbaumer ex merito commendatum pp. 131—134.

Polnyj Měsjacoslov Vostoka (Kalendarium Orientis completum), auctore Sergio archimandrita. Moscoviae 1875 et 1876. 2 vol. Tomus prior titulum fert: *Vostočnaja agiologija (Hagiologia Orientalis);* altera vero: *Svjatoj Vostok (sanctus Oriens).*

Ce Martyrologe ou calendrier universel d'Orient, inquit Martinov[1]), mérite assurément l'attention du monde savant. Fruit de longues veilles et de recherches laborieuses, cet ouvrage comble une lacune qui n'était que trop réelle; il révèle en même temps et pour la première fois les trésors hagiographiques cachés dans les grandes bibliothèques de l'Empire russe, à Moscou, à Saint-Pétersbourg, à Kiev, et d'ont l'Occident soupçonne à peine l'existence. Le docte archimandrite a pris la peine de consulter plus de quinze cents mss. grecs et surtout slavons, chiffre fort respectable, et qui temoigne assez de l'importance de son travail, où la richesse des matériaux, dont la plupart nouveaux, s'allie d'ailleurs à une érudition de bon aloi et à une noble impartialité.

Verum auctor, utut de hagiographia meritissimus, quum tamen, notante ibidem Martinov, catholicus non sit, et ex Decretis Caesareae synodi Petropolitanae multos schismatis aut haereseos labe infectos Sanctis accenseat, ex hac parte non est sine cautela legendus.

Maltzew, *Vsenoščnoe bděnie (Die Nachtwache).* Berolini, Siegismund, 1892.

Toscani, O. S. Basil. *Ad Typica Graecorum animadversiones, Kalendarium quadruplex.* Romae, typographia Propagand. F. 1864.

Benedict. PP. XIV. *Commentarius de D. N. Jesu Christi Matrisque ejus festis,* tt. 2. Bruxellis, Goemaere, 1866.

Gretser, S. J. *De festis christianorum libri duo* adversus Danaeum, Dresserum, Hospinianum aliosque sectarios, opp. tom. 5, pars 2, Ratisbonae, Peez et Bader, 1735.

Thomassin. *De dierum festorum celebratione,* in appendice ad Heortologiam Guyeti S. J., edit. Venetiis, Balleoni, 1729.

Suarez, S. J. *De virtute religionis* tract. 2, lib. 2, opp. tom. 13. Parisiis, Vivès, 1859.

Azor, S. J. *Institut. Moral.* pars 2, l. 1. Coloniae Agrippinae, Hierat, 1608.

Card. Quirini. *Diatribe ad vetus officium quadragesimale Graeciae orthodoxae.* Pars posterior. Venetiis 1729. Albrici.

S. Ephraemi Syri *Carmina Nisibena* additis prolegomenis et supplemento lexicorum syriacorum primus edidit,

[1]) In collectaneis Bruxellensibus *Précis historiques,* 1876, p. 577.

vertit, explicavit Dr. Gustavus Bickell. Lipsiae. F. A. Brockhaus, 1866.

Uberiorem notitiam de hac hymnorum collectione dant Rohling in Actis Moguntinis: *Der Katholik,* an. 1868, mense Julio, et Le Hir in Actis lit. *Etudes religieuses,* eodem anno, mense Martio.

Dr. Pelesz. *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom* von den ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart. Wien, Mechitaristen (W. Heinrich), 1878.

Tillemont. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique,* tt. 16. Venetiis, Pitteri, 1732.

Dr. Bardenhewer, *Patrologie,* Friburgi, Herder, 1894. Opus egregium omnique commendatione dignum, quod in cursu operis, ubi occasio tulerit, continenter in rem nostram convertemus.

Index praecipuorum Kalendariorum, quibus usi sumus.

Kalendaria syriaca.

Kalendarium syriacum anni 411 [1]), sub titulo *An ancient Syrian Martyrology* primum in ephemeride anglica *„Journal of sacred Literature"* mense Octob. 1865, atque inde separatim editum a Guil. Wright. A clarissimis viris J. B. de Rossi et L. Duchesne digne illustratum nunc exstat apud Bollandianos in Act. SS., mensis Novembris tomi 2. parte 1, pp. LII—LXV. Legi de eo praeterea possunt De Buck, in *Actis SS.* Octob. tom. 12, pp. 185—186. et cl. D Bickell in Collectaneis literariis Tübingensibus *Theologische Quartalschrift,* 1866, pp. 466—468.

Kûdîkhâs amînâjâ d'ʿîdê mârânâjê l'phûth takhsâ d'ʿîdtâ kaddîschtâ d'khaldâjê. Catalogus perpetuus festorum propriorum secundum ordinem ecclesiae s. Chaldaeorum. In calce Breviarii chaldaici, a Josepho Gurie III. editi Romae 1865.

[1]) Scriptum est Kalendarium mense Tešrin posteriori seu Novembri an. 723 aerae Seleucidarum, hoc est 411 a Christo nato; quoniam vero annus Syrorum a mense Octobri initium ducit, Kalendarium nostrum a multis etiam anno 412 tributum legimus. Sed ea de re consulesis quae ipsi notavimus in *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1887, p. 749.

Kalendarium Syrorum Nestorianorum apud Asseman. *Bibliothec. Orient.* tom. 3, pp. 380—386.

Kalendarium per anni circulum festorum Domini et Sanctorum ordinatum a Jacobo Edesseno [1]), e codice Vaticano Nr. 37 erutum a † professore Mösinger, nobiscum ab amico benigne communicatum, cum pluribus aliis antiquis Kalendariis syriacis, quae ex variis codicibus Vat. fideliter exscripta, in ejusdem defuncti adversariis reperta sunt.

Kalendaria graeca.

Χρόνος. Ἐπετηρὶς νεολόγου. Ἐν Κωνσταντινουπόλει, τυπογρ. Βρετοῦ.

Καζαμίας, ἢ Ἀττικὸν ἡμερολόγιον ἐκδιδόμενον ὑπὸ Μαυρομμάτη. Ἐν Ἀθήναις, τυπογρ. τοῦ ἰδίου ἐκδότου.

Καζαμίας, ἢ Ἀχαϊκὸν ἡμερολόγιον ἐκδιδόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Πάτραις βιβλιοπωλῶν Μητροπούλου καὶ Σεκοπούλου. Ἐν Ἀθήναις, τυπογρ. Μητροπούλου.

Αἰώνιον ἡμερολόγιον, ἢ Καζαμίας Καζαμιῶν συνταχθὲν καὶ ἐκδοθὲν ὑπὸ Σεκοπούλου. Ἐν Πάτραις, βιβλιοπωλ. τοῦ ἰδίου ἐκδότου.

Ἡμερολόγιον καὶ σεληνοδρόμιον, Πασχάλιον κ. τ. λ. Ἐν Βενετίᾳ, τυπογρ. τοῦ ἁγίου Γεωργίου.

Kalendarium Sanctorum ad usum monachorum ordinis s. Basilii ritus italo-graeci. Romae, Propag. F., 1845.

Kalendaria graeco-slavica.

(Literis slavicis.)

Vremennik instituta stauropigijskogo. (Kalendarium instituti stauropigiani), Leopoli, typis instituti.

Měsjacoslov izdan obščestvom svjatago Vasilija velikago. (Menologium seu Kalendarium editum a societate s. Basilii Magni). Unghvarini, typis Jaeger et Repay.

Měsjacoslov cělogo roku (Kalendarium totius anni), quod ex praeclaro opere Rmi. D. Silvestri Sembratovicz *Narodnij Ruskij Molitvenik* exscriptum in Appendice repraesentamus pp. 416—427.

[1]) De Jacobo Edesseno († 710) consulatur cl. D. Bickell, *Conspectus rei Syrorum literariae* pp. 41—42.

Měsjacoslov vsěch Svjatich, vostočnoju pravoslavnoju cerkoviju prazdnujemich (Menologium omnium Sanctorum, qui in orientali orthodoxa ecclesia celebrantur). Carlovicii, Typ. gymn., 1860.

Serbliak (Proprium Sanctorum Serbiae). Belgrad 1861.

Vseobščij Kalendar (Kalendarium universale). Petropoli, typ. Hoppe.

Bukovinsko-Russkij Kalendar izdan obščestvom „Russkaja Besěda" (Kalendarium bukovino-ruthenorum editum a societate „Russkaja Besěda"). Cernovitii, typis Petrovskoj.

Kalendaria slavica.

(Literis latinis.)

Danica. Koledar i Ljetopis Društva svetojeronimskoga (Kalendarium societatis s. Hieronymi). Zagrabiae.

Bošnjak. Kalendar . . . Sarajevi.

Kalendaria graeco-rumenica.

(Literis latino-rumenicis.)

Calendariu edat de societatea pe'ntru cultura sî literatura romîna în Bucovina. Cernaeuti, typis Eckhart.

Amicul poporului. Calindar compus de Visarion Roman. Sibiiu, typis Filtsch.

Calindarul bunului econom, intocmit de Comsa si Eugen Brote. Sibiiu, typis Drotleff et soc.

Kalendaria graeco-arabica.

(Literis syriacis.)

Fihris el-aʿjâd (Index festorum). Kalendarium praefixum Officio feriali *(š'chîmtô)* juxta ritum ecclesiae Syrorum Maronitarum. Romae typogr. S. C. de Propaganda F. 1830.

Fihris el-aʿjâd vat-tidzkârât fî ajjâm es senet (Index festorum et commemorationum in diebus anni). Kalendarium adjectum Officio feriali juxta ritum ecclesiae Syrorum. Romae, typogr. S. C. de Propaganda F. 1851.

Chisâb el-aʿjâd el muntaqile (Diagramma festorum mobilium), adjectum Missali Syriaco *(K'thôbô d'tekhsô d'qurôbo)* ecclesiae antiochenae. Romae, typogr. S. C. de Proganda F. 1843.

(Literis arabicis.)

Taqvîm ai matbûkh lisanat 1879, vafîhî chisâb el-aschhur val-ajjâm el-gharbî vasch-scharqî val qamarî. . . . Talîf el-ab Dâmjân jesû'î. Bimatba'at el-âbâ el-mursalîn el-jusû'îin. Fî Beirût sanat 1879, h. e., *Dispositio nimirum parata pro anno 1879, in qua computus mensium ac dierum, tum occidentalis tum orientalis. . . .* Compositio patris Damiani Jesuitae. In typographeo Patrum missionariorum Jesuitarum. Beryti anno 1879.

Iidem Patres S. J. aliud quoque Kalendarium omnium christianarum nationum in Syria habitantium composuerunt, quod caeteros arabicos festorum catalogos copia rerum facile superat, idque quum in sacris Bibliis arabicis *(El Kitâb el-mukaddas)* anno 1877 Beryti editum, tum et separatim vulgatum ibidem est sub titulo *Gadâvil el-anâgîl, Pericopae evangelicae, quae leguntur apud omnes nationes catholicas in Syria.*

Kitâb a'jâd essenet chisb tartîb kul min elkhamsa tavâif, Catalogus festorum anni secundum computum omnium quinque nationum (ad verbum *omnium e quinque nationibus*), scilicet Armenorum, Latinorum, Maronitarum, Romanorum seu Graeco-Melchitarum et Syrorum. Aleppo, 1858.

Quod Kalendarium quum variarum nationum festa prae caeteris angustiori spatio contracta contineat, in Appendice exhibendum censuimus pp. 428 seqq.

Kalendaria Sanctorum ad usum Graecorum Melchitarum disposita apud Card. Mai *Script. vet.* tom. 4, pp. 46—60; 169—170, jctis. pp. 323, 520—521, 560.

Commentarii liturgici, quos ad academiarum utilitatem contulimus.

Duchesne, *Liber pontificalis.* Paris, Thorin, 1886—1888.

Pitra Card., *Hymnographie de l'Eglise grecque,* relat. in *Ἑορτολογίῳ* p. 193.

— *Analecta sacra,* relat. ibid. p. 194.

Borosiu, *Ritualu.* Lugosiu, Traunfelner, 1881.

d'Avril, Baron, *Les églises autonomes et autocéphales.* Paris (Revue des questions historiques), 1895.

Tondini, *La Primauté de Saint-Pierre prouvée par les titres que lui donne l'église russe dans sa liturgie.* Paris, V. Palmé, 1867.

Gagarin S. J., *La Primauté de Saint-Pierre et les livres liturgiques de l'église russe.* Paris, Remquet et C[e]. (Duniol 1863).

Levicki Michaelis metropolitae et archiepiscopi Leopoliensis rit. gr. (Cardinal. 1856), *Literae encyclicae* d. d. 10. Martii 1841 (apud Theiner, Die Staatskirche Russlands, pp. 354 seqq.)

Cozza-Luzi, O. S. Bas., *De Romani Pontificis auctoritate doctrinali testimonia liturgica ecclesiae graecae.* Romae, typ. Propagand. F., 1870.

David, Chayyath, Behnam, Azarian, Macaire referuntur in *Ἑορτολογίῳ* p. 196.

Martin, *Saint Pierre et Saint Paul dans l'église syrienne monophysite,* ibid. p. 194. — Ejusdem doctissimi viri tractatus *Saint Pierre et Saint Paul* dans l'église arménienne vulgatus est in *Revue des sciences ecclésiastiques* an. 1879). Jam antea ediderat idem auctor cum interpretatione officium *chaldaicum* SS. Petri et Pauli (S. Pierre et S. Paul dans l'église nestorienne, Paris, 1875).

De usu dogmatico testimoniorum ex libris liturgicis ecclesiae orientalis desumptorum.

S. Josaphat, hieromartyr, archiepiscopus Polocensis (16. Sept.), pertinacissimos quosque schismaticos parvo negotio Unioni adjungebat, argumentis ex Russorum libris liturgicis potitssimum usus, quae etiam in volumen redigenda curavit sub titulo Defensionis Unionis (Martinov, *An. eccl. gr. sl.* ad diem 12. Nov.).

Ex epistola Jacobi Susza, eppi. rit. graec. Chelmensis et Belzensis uniti d. d. 12. Mart. 1658 ad Nuntium apostolicum Guidonum, apud Theiner: Monuments historiques de Russie. Rome, imprimerie du Vatican 1859, p. 33—34:

„Persuadendum Duci Moschoviae, nos idem sentire, quod incorrupti antiquitus sentiunt in catholica fide libri Moschovitici; Rutheni

vero et Graeci schismatici dogmata fidei catholicae, inter nos et ipsos controversa, ex libris suis exterminavere. Et utinam ad hoc deveniatur, ut aliqui e medio nostrum de auctoritate Serenissimi cum protectione et literis ejusdem Majestatis sive coram delegatis Ducis Moschoviae, sive coram ipso Duce, reddere possent rationes fidei, tum sole clarius manifestaremus ex libris Slavonicis Moschoviticis, non nos, sed Ruthenos et Graecos schismaticos hallucinari: fieretque Deo operatore, ut quae odia Moschorum in catholicos et unitos a schismaticis dictis radicata evellerentur, qua etiam spes universalis unionis cum Moscho et Schismaticis oriretur."

Ex epistola ejusdem eppi. Susza d. d. 14. Junii 1658, ad Summum Pontificem, ibid. p. 35:

„Unionis nostrae rationes fidei reddemus ex libris eorum Slavonicis minime suspectis contra schismaticos Ruthenos librosque eorum depravatos."

Ex epistola epporum. Gabrielis Kolenda eppi. Polocensis, administratoris metropoliae Kioviensis totius Russiae; Jacobi Susza, eppi. Chelmensis et Belzensis unit., Procopii Chmielowski, eppi. Premisliensis et Sambariensis, d. d. 3. Aug. 1668, ibid. pp. 34—37, ad Regem Poloniae:

„Supplicavimus Serenissimum, ut qua cum Moschis qua cum nostratibus Ruthenis colloquium institui possit, in quo praecise ex libris nostris ecclesiasticis et Moschis, qui incorrupte suos servant, et nostris schismaticis, qui multis in locis eos depravarunt, controversos inter nos fidei catholicae articulos exponeremus et formaremus."

Ex *Hymnographia* Card. Pitra cit. p. 27:

„Admirons comment Dieu, toujours misericordieux, même envers ses fils égarés, a laissé luire au milieu de tant de ténèbres, comme une lampe du sanctuaire, l'intégrité des formules liturgiques."

Ex literis Gregorii PP. XVI. d. d. 17. Jul. 1841, ad metropolitam Lewicki laudatum:

„Gratulamur speciatim de ratione a Te prudentissime adhibita, ut Pontificii Primatus dogma testimoniis etiam confirmares librorum liturgicorum, quibus Rutheni seu Graeco-Russi omnes tum catholici tum acatholici diversarum nationum ad nostra usque tempora usi sunt. . . . Confirmatio haec peculiarem habet vim catholicis ejus ritus in sanctae unionis cultu custodiendis, eademque Graeco-Russos seu Ruthenos acatholicos luculentiori quodam proprii sui oris testimonio redarguit." (Caetera vide in Kalendario p. 194).

Et haec quidem de usu librorum ecclesiasticorum ecclesiae orientalis.

Quodsi quis per hanc occasionem de *„arctissimo nexu, quo cum dogmaticis doctrinis disciplina praesertim liturgica conjungitur et consociatur"* [1]) ac valore dogmatico liturgiae generatim quaerere

[1]) Ex lit. Pii PP. IX. ad Archiep. Leopolien. rit. gr. d. d. 13. Maji 1874 (Acta S. Sedis, t. 7, p. 594).

velit, consuli praeter alios poterit Bouix, *de jure liturgico*, parte I, ubi longa propositionum serie tota haec materia solide pertractatur pp. 13—78. Ex antiquis testimoniis, quae pene innumera ibidem collecta reperiuntur, duo tantum indicabimus: alterum s. Coelestini PP. I., qui in *epist. ad Galliarum episcopos* scribit c. 11: *Observationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, . . . ut legem credendi lex statuat supplicandi*[1]; alterum s. Augustini, ex ipsa liturgia dogma probantis tum *de bono perseverantiae*, c. 23: *Utinam magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit Ecclesia, et habebit ab exordiis suis donec finiatur hoc saeculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos haereticos tueri et defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis*[2]; tum in *epist. ad Vitalem*[3]: *Exere contra orationes Ecclesiae disputationes tuas, . . . subsanna pias voces. . . . An etiam hujus fidei sanitati contraria disputabis?* Ecclesiae doctrina scilicet dignosci tutius non potest, quam ex liturgiis, quae singularum in quibus usurpantur ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum presbyterorumque, imo et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt. Hinc, notante Zaccaria, *Bibliothec. ritual.* tom. 1, dissert. 2, c. 2, efficacitatis maximae visum semper fuit quod e liturgiis petebatur adversus acatholicos argumentum.

[1]) Epist. 21, apud Migne, Patr. lat. tom. 50, p. 535.
[2]) Ibid. tom. 45, p. 1031.
[3]) Epist. 217, ibid. tom. 33. pp. 978 et 988.

De Kalendario et praecipuis libris liturgicis ecclesiae orientalis.

Notationes vocis *Kalendarii* etymologi tres conficiunt, primam atque alteram rejiciendas, tertiam probandam.

Sunt igitur, qui — litera vocali *a* mutata in *o* — Kalendario Colendarium substituentes, appellationis originem a cultu festorum, vocabuli notationem vero a *colendo* deducant, quia, inquiunt, primus cujusque mensis dies Junoni sacer erat, ut docent Ovidius *Fast.* 1, 55 et Macrobius *Sat.* 1, 15, ubi plura hac de re.

Alii Kalendarium etymon habere volunt a *καλόν*, quod est *bonum omen* per totum mensem habendum; tunc enim sibi mutuo encaenia transmittebant Romani, quasi *boni fati augurio,* uti habetur can. *Non observetis* 16. C. XXVI, q. 7. Quod munus festivum ab ipso die religioso, quo dabatur, *kalendariam strenam* appellant teste *s. Hieronymo lib. 3. ad c. 6. Epist. ad Ephesios* [1]), relato in can. *Legant.* 5. Dist. 37, eadem ferme ratione, qua hodieque in pluribus provinciis Germaniae strenam, quae ineunte anno accipitur, *Kalende* vocant, uti videre est apud *Marcinowski,* qui ea de re accurate et copiose disputat in opere *Die kleine Kalende* [2]).

Ast vero propius accedit, quod alii docent, Kalendarium nimirum a *Kalendis* dici, *Kalendas* autem a verbo *καλεῖν,* a quo *calo, as* factum est.

[1]) Apud Migne, Patr. l. tom. 26, p. 540.
[2]) Berlin, Hofbuchdruckerei 1864.

Jam vero verbum *calo*, quod purum putumque ex graeco est [1]), tres habet significationes *vocandi, nominandi* et *invocandi,* totidemque notionibus a priscis Latinis usurpatum est. Utebantur enim voce *calandi*, quum *vocabant* populum ad comitia, ut dies Nonarum cujusque mensis indicerent. Primis reipublicae temporibus scilicet, antequam Fasti vulgarentur, solebat Pontifex populum *calare,* h. e. convocare in Capitolium, ibique peracto sacrificio pronuntiare inter alia, quot numero dies a primo ad Nonas superessent, quinquene an septem? Et *quintanas* quidem juxta Macrobium *Sat.* I, 15 quinquies pronuntiato verbo *calo*, *septimanas* autem repetito septies praedicabat, et ideo plurali numero *Kalendae* a pluribus vocationibus appellatae sunt; juxta Varronem *Ling. lat.* v. 4. vero hac altera formula in *calandis* diebus utebatur Pontifex: *Quinque dies te calo Juno novella; Septem dies te calo Juno novella,* id est: hoc mense per quinque vel septem dies invoco te Juno novella. Quia enim primi cujusque mensis dies Junoni sacri erant, juxta illud Ovidii *Fast.* 1, 55:

Vindicat Ausonias Saturnia Juno Kalendas;

ideo in iis diebus pronuntiandis Junonem invocabat Antistes, atque itidem verbum *calo* adhibebat. Varr. *l. c.* Hinc factum, ut primo diei mensis *Kalendarum* appellatio tributa sit.

Conscriptis postea Fastis et Kalendario constituto, cessatum est a *populi calatione,* mansit tamen Romanis *Kalendarii* vocabulum. Graeci contra dies suos non a Kalendis in Kalendas, sed a Neomeniis in Neomenias numerantes, ut ipsarum Kalendarum usu [2]) ita et Kalendarii vocabulo carebant.

Kalendarium generatim sumitur pro libro, in quo anni, mensium, hebdomadum, dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur, atque omnium illorum, quae diebus ac mensibus

[3]) Et hoc quidem in causa est, cur etiam per K graecam literam *Kalo, Kalendae, Kalendarium,* scriptae reperiantur. Sed quum pro ea Latini passim C substituerint in aliis verbis, non est cur *Calare, Calendae, Calendarium* scribere non liceat.

[2]) Hanc ob causam Augustus, quum aliquos nunquam debita soluturos significare vellet, *ad Kalendas graecas* soluturos ajebat, ut est apud Sueton. in *ejus Vita* c. 87. Romani quippe Kalendarum initio debita solvere tenebantur, qua de re confer notam proxime sequentem.

adjuncta sunt, ordinatio exhibetur. Hinc Kalendarii vocabulum nominibus *ὁμωνύμοις* accenseri debet [1]).

Kalendarium ecclesiasticum in specie dicitur liber, qui festorum ac religiosorum dierum tempora continet. Quo vero caeteris omnibus usibus ecclesiasticis inservire possit, praeter nomina Sanctorum ac recurrentes per annum celebritates observari in eo oportet *Numerum aureum* sive ejusdem loco *Epactas, Literas Dominicales* atque ex his ortum *Cyclum solarem*, *Indictionem* caeteraque omnia, quae ad temporum cognitionem spectant, prout pluribus declaratum a nobis est in *Computo ecclesiastico* cc. 2 et seqq.

Ejusdem ac Kalendarium significationis est nomen *Fasti*. *Fastorum libri appellantur*, inquit Festus, *in quibus totius anni fit descriptio*; et Verrius: *Fasti sunt libri, quibus dierum totius anni continetur computatio.* Hinc *Fastos* opus suum Ovidius inscripsit, in quo totius anni festos dies et sacra enumerat describitque, originem et causas exponit.

Dicti sunt a *diebus fastis,* quibus lege agi in foro licebat; eorum enim praecipue ratio singulis annis diligenter describebatur et suis deinde temporibus, tabulis propositis, populo edicebatur. Saepe etiam Fasti ea ratione usurpabantur, qua *magistratuum* nomina continebant sicque accepti erant *catalogi, laterculi, nomenclaturae* magistratuum vel civilium vel militarium, quibus posterioribus temporibus appellatio *Matriculae, Albi, Diptychorum* facta est.

[1]) Sic, ut unum ex variis illis libris memoremus, quibus eadem Kalendarii appellatio est, *Kalendarium* librum foenebris pecuniae creditae seu codicem, in quem nomina debitorum referuntur, in utroque Jure significat: *l. Ejus, qui 41. ff. de Rebus creditis (XII, 1); l. Uni ex haeredibus 58. ff. de Peculio (XV, 1); C. Dudum 14. de Praebendis in 6 (III, 4)* et aliis locis. *Divitem illum putas*, ait Seneca, *epist. 80., qui in omnibus provinciis arat, quia magnus illi Kalendarii liber volvitur.* Hoc autem nomen ex eo descendit, quod in Kalendas veteres foenerari solerent, ideoque Kalendarum nomine ejusmodi librorum paginis praeposito, quae deinde nomina fecissent, adscribere solebant. Hinc locutiones: *Kalendarium exercere, Kalendarii actio, Kalendario destinatae pecuniae, ex Kalendario nomina, servus Kalendario praepositus* et aliae hujusmodi, quae passim in jure occurrunt.

A latiori hac significatione *Fastorum* et *Matricularum* nomina translata a Christianis sunt ad recurrentes sacras per annum celebritates notandas atque ad Sanctorum nomina singulis mensibus recolendorum indicanda. Qui quidem Sanctorum et celebritatum catalogi, sumpto e re nomine, *Kalendaria* appellati sunt, quod descriptis columnatim Kalendarum, Nonarum atque Iduum notis cum aliis quibusdam signis chronographicis totius anni festa in iis adnotarentur [1]).

Orientales tamen, quamquam graecae originis nomen est, seriem hanc dierum festorum *Kalendarium* seu *καλανδολόγιον* non dixere, quod apud eos profana vox esset nec eam Latinorum more ad sacra traduxissent, quemadmodum declarat canon 3. s. Nicephori CPolitani [2]), quem e collectione Conciliorum Hardouini [3]) desumptum exhibet Migne, *Patrol. gr.* tom. 100, p. 852: *Apocalypsin Pauli et ea, quae dicuntur Brontologia et Selenodromia aut Kalandologia, suscipere non oportet: βέβηλα γὰρ πάντα: profana enim sunt.*

Postera autem aetate fuisse, qui Kalendarium ecclesiasticum *Καληνδάριον* appellarent, Caveus ostendit *de libris et officiis ecclesiasticis Graecorum* [4]), adducto codice Bibliothecae Vindobon. *Hist. eccles.* 97, n. 13.

Quod Latini *Kalendarium* appellant, ex multorum sententia Morcelli [5]) *μηνολόγιον ἑορταστικόν* dicit, tametsi *Menologii* appellatio strictius sumpta iis libris maxime tribuitur, qui sanctorum coelitum vitas, mensium ordine servato, summatim complectuntur, vel qui saltem eorum commemorationem faciunt, si vitae non exhibeantur; unde Martyrologio Latinorum ferme respondet.

Kalendarii vocabulum aliis graece redditur *ἑορτολόγιον* [6]),

---

1) Consule Asseman. *Kalendaria Ecclesiae Univ.* tom. 1, p. 85.

2) De s. Nicephoro bis agunt Graeci, quemadmodum notatum vides in Heortologio pp. 121 et 170.

3) Tom. 4, p. 1052.

4) Hanc dissertationem emendatam atque auctam *Thesauro theologico* intulit Fr. Ant. Zaccaria, tom. 1, pp. 397—425.

5) *Kalendar. CP.* tom. 1, § 2. p. 8.

6) Suid. in *Lexico,* H. Stephan. in *Thesauro ling. gr.,* B. P. Serkopul. in *Αἰωνίῳ ἡμερολογίῳ.*

aliis *ἑορτογραφία*[1]), aliis *χρονοσκοπία*[2]), aliis *ἁγιολόγιον*[3]) aliis *δίπτυχα ἑορταστικά*[4]), aliis denique *ἐφημερίδες*[5]).

Quia non est vocabulum nobis commodius, ex Suidae aliorumque sententia, et nos *Kalendarium utriusque ecclesiae* sub graeco titulo *ἑορτολογίου ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν* repraesentamus, quamvis ex recentioribus esse sciamus, qui *ἑορτολογίου* nomine *collectionem hymnorum festorum* nuncupatam velint[6]).

Apud reliquas nationes ritum graecum servantes variis item nominibus Kalendarium ecclesiasticum venit. Melchitis arabice est *Fihris el-aʿjâd vat-tidzkârât fî ajjâm es-senet (index festorum et commemorationum in diebus anni)* vel simpliciter *Fihris el-aʿjâd (index festorum)*; aliquando et *Chisâb el ajâd (diagramma festorum)*; alia nomina arabica alibi occurrunt. Qui syriace loquuntur, vel cum Chaldaeis *Kûdîkhâs amînâjâ deʿîdê (catalogum perpetuum festorum)* vel cum Antiochenis *Phinqit* dicunt. Slavi vel antiquam appellationem *Kalendar* retinent, vel etiam verbo slavico, de primogenio nomine expresso, *Vremennik (Chronographia)* et *Měsjacoslov (Menologium)* scribunt. Rumeni tandem vulgari nomine *Calendariu* sive *Calindar* utuntur.

Kalendaria civilia Graecis communiter appellantur *ἡμερολόγια* et *ἡμερολογεῖα*. Ejusmodi *ἐθνικὰ ἡμερολόγια* quotannis plura eduntur Venetiis, Athenis, Patris, Constantinopoli, aliisque in locis Orientis.

A Kalendariis et Fastis ecclesiae latinae longe differunt Graecorum *μηναῖα, συναξάρια, τυπικά, ἀνθολόγιον* et *ὡρολόγιον*.

---

[1]) And. Wilk in *Ἑορτογραφία*.

[2]) Christ. Wildvogel in *Chronoscopia legali de jure festorum*.

[3]) J. Conr. Dannhauser in *Hagiologio festali*.

[4]) De triplice *diptychorum* genere, *sanctorum, vivorum, defunctorum* late agit Asseman. *Kalend. Eccles. Univ.* tom. 1, pp. 86—92.

[5]) Dan. Papebroch. in *Prolegomenis in ephemerides effigiatas graeco-moschas,* Act. SS. Maji tomo 1. praefixas.

[6]) In his est auctor collectionis, quae Venetiis prodiit ex typogr. s. Georgii sub titulo: *Ἑορτολόγιον, περιέχον τὰ δοξαστικά, ἀπολυτίκια καὶ κοντάκια τῶν κατ' ἔτος ἑορταζομένων ἁγίων καὶ τῶν τοῦ Τριῳδίου καὶ Πεντηκοσταρίου.*

Μηναῖα (slav. *mineja*, rumen. *mineiu*) non sunt simplex sanctorum seu Christi ac Deiparae festorum immobilium. toto anno quotidie recurrentium, nomenclatura, qualis in Kalendariis latinis spectatur, sed vero contractae singulorum festorum historiae, iis similes, quae in lectionibus propriis Breviarii Romani conspiciuntur, additis etiam rubricis, tropariis caeterisque omnibus ad eundem diem spectantibus.

A principali hac significatione *Menaei* vocabulum transfertur ad denotandum ipsum volumen, Menaea continens, *βιβλίον περιέχον τὰ μηναῖα*, sicque accepta *Menaea* definiuntur volumina uniuscujusque mensis officia distincte complectentia, hac vel simili inscriptione singulis mensibus praefixa: *Βιβλίον τοῦ Σεπτεμβρίου μηνός, περιέχον τὴν πρέπουσαν αὐτῷ ἀκολουθίαν.* Novissima editio Veneta anni 1873 hunc habet titulum: *Μηναῖον τοῦ Σεπτεμβρίου περιέχον ἅπασαν τὴν ἀνήκουσαν αὐτῷ ἀκολουθίαν, μετὰ καὶ τῆς προσθήκης τοῦ τυπικοῦ.*

Menaea immensum opus constituunt, in 12 menses totidemque *βιβλία* sive volumina divisum, quovis mense suum sibi *μηναῖον* vindicante; quare etiam *Mensualia* vocantur in catalogis librorum graecorum apud Zaccaria *Biblioth. ritual.* l. 1, c. 5.

Saepius edita sunt Venetiis legique de iis utiliter possunt, quae habent Bollandiani in *Actis SS.* Jun. tom. 4, pp. 672—673.

Synaxaria (slav. *Synaksar;* rumen. *Sinaxariu)* sunt vitae Sanctorum et martyrum in compendium redactae et succincta expositio solemnitatis, de qua agitur, ex Menaeis prolixioribus in angustiores terminos contracta. Dicuntur autem *συναξάρια* a *συνάγω*, quasi diceres *collectiones, contractiones, breviaria.* En tibi exemplum obvium ex die 15. Septembris Menologii Basiliani (pp. 51—52) de *s. Martino PP. I,* quem ex Menaeorum praescripto nunc ad d. 13. April. in fastos ecclesiae orientalis relatum vide in *Ἑορτολογίῳ* pp. 136—138.

Ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν καὶ ὁμολογητὴς Μαρτῖνος ὑπῆρχε πάπας τῆς παλαιᾶς Ῥώμης ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ ἐγγόνου Ἡρακλείου. Ἐπεὶ δὲ οὗτος ὁ Κωνσταν-	*Sanctus Pater noster et confessor Martinus, Constante Heraclii nepote, antiquae Romae Papa fuit. Quum vero Constans iste haereticus monothelita esset, sicut*

τῖνος[1]) *ἦν αἱρετικὸς μονοθελήτης, ὁμοίως καὶ Παῦλος ὁ Κωνσταντινούπόλεως πατριάρχης, μαθὼν περὶ τούτου ὁ πάπας Μαρτῖνος, ἐδήλωσε διὰ γραμμάτων τῷ βασιλεῖ καὶ τῷ πατριάρχῃ, ἀρνήσασθαι τὴν τῶν μονοθελητῶν αἵρεσιν. Καὶ μὴ πείσας αὐτοὺς συνεκάλεσε τὴν ἐν Ῥώμῃ σύνοδον, καὶ ἀνεθεμάτισε τὴν τοιαύτην αἵρεσιν καὶ τοὺς ταύτῃ προσκειμένους. Εἶτα μετεκλήθη παρὰ τοῦ βασιλέως μαθόντος τοῦτο, καὶ δηλώσαντος αὐτῷ ἐλθεῖν εἰς Κωνσταντινούπολιν, ἐπὶ τὸ ποιῆσαι πᾶν, εἴτι βούλοιτο. Τὸ δὲ ἦν δόλος. Ἐλθόντα γὰρ τὸν ἅγιον ἠτίμωσαν ὅτε βασιλεύς, ὅτε πατριάρχης. Καὶ δημεύσαντες ἀπέκλεισαν εἰς σκοτεινὴν φυλακήν. Εἶτα ἐξωρίσθη εἰς Χερσῶνα τὴν πόλιν· καὶ ἐν αὐτῇ πολλὰ δεινὰ παθὼν ἐτελειώθη.*

et Paulus Constantinopolitanus patriarcha, id resciens Martinus Papa tum imperatorem tum patriarcham per literas monuit, ut monothelitarum haeresim abjurarent. Sed quum nihil effecisset, convocata Romae synodo anathemate damnavit et haeresim et eos, qui huic addicti essent. Id ubi cognovit imperator, Martinum Constantinopolim accersit, pollice turque se omnia, quaecunque vellet, facturum esse, quum tamen per simulationem et fraudem haec ageret. Veniens enim sanctus cum summa ignominia accipitur ab imperatore et a patritriarcha, bonisque mulctatus in tenebricosum carcerem conjicitur. Deinde in urbem Chersonam relegatus, ibique multa gravia passus decessit.

In hoc diversa sunt Synaxaria a Menaeis, quod omissis caeteris partibus officii ad Sanctos spectantis, solas eorum synaxes sive festivitates indicent cum brevi uniuscujusque elogio.

In contexendis Synaxariis principem locum habuit Nicephorus Callistus Xantopul., qui Synaxaria composuit in praecipuas *Triodii* festivitates, quae illarum causas reddunt: unde originem habuerint et quamnam ob causam hoc tempore ita se habeant et a divinis Patribus sic dispositae sint, uti pluribus declarat Leo Allatius *de libris ecclesiasticis Graecorum*, Dissert. 1, c. 15. Ordiuntur a *Dominica Publicani et Pharisaei,* finiunt in solemnitatem omnium Sanctorum, ut ex ipsius operis titulo liquet.

Menaeis, Triodio et Pentecostario partim inserta sunt haec Synaxaria.

Quae Triodio inseruit Nicephorus, varias in se haereses continere et digna animadversione ecclesiastica esse ostendit L. Allatius propria dissertatione[2]). Quin et Gennadius, a L. Allatio citatus, tamquam ambitioso studio et impetu per-

[1]) Lege *Κώνστας*, et paulo superius *Κώνσταντος.*

[2]) *Examen Triodii* apud Fabric. loco infra citando p. LVI.

niciosi schismatis composita damnat nec in Ecclesia CP. legi solere adfirmat.

Τυπικόν (slav. *Ustav* seu *Typik*; rumen. *Tipicu*) Graecis dicitur ordo recitandi divini Officii. Liber est haud parvae molis, in quo a primo die anni, singulis diebus quid inter Missarum solemnia, quid ad vesperas, quid ad horas, quid ad matutinum, quid denique ad reliqua divina officia, sive dies illi feriales sunt, sive festi, recitandum, quid psallendum aut legendum sit, quibus diebus jejunandum, quibus et quomodo solvendum jejunium, verbis clarissimis et facillima methodo praescribitur. Variis est distinctus pro materiae varietate capitibus, ut proposito exemplo ex L. Allatio ostendit Zaccaria *Biblioth. ritual. lib. 1. c. 4. art. 1* [1]).

Nomen habet a *τύπος*, quasi *forma* sit, *ordinatio, praescriptio, norma, regula;* hinc et libro nomen *τύπος* factum. Ab aliis dictus fuit *διάταξις*, ab aliis *διατύπωσις;* Latinis est *Directorium*, h. e., *Ordo rei divinae* seu *divini officii dicendi et sacrum faciendi.*

Varia pro varietate ecclesiarum Typica fuisse docet Leo Allatius ex compilatore ejuscemodi libri. Quae in singularem monasteriorum usum condita sunt *κτητορικά* proprio nomine appellantur [2]). Saepe quoque *τακτικά* inscribuntur a *τάξει: ordine*, sicut apud Latinos ab ordine *Ordinarium* fit.

Sunt etiam quae strictiori sensu apud Graecos *τυπικά* vocentur, nempe versuum quorundam ex Psalmis hinc inde congestorum et ad solemnitatis, quae agitur, arcana exponenda aptiorum eclogae, ut post Leonem Allatium [3]) notat Zaccaria *l. c.* Secundum Jacob. Goar. [4]) *τυπικά* audiunt *vel* ut *κατὰ τοὺς τύπους juxta normam et rubricas cantari vel potius, quia in officio τῶν τυπικῶν legi consueverunt,* qua de re ipse auctor adeundus.

[1]) Edit. Rom. an. 1776, tom. 1, p. 79.

[2]) Ejusmodi est *τυπικὸν τῆς σεβασμίας μονῆς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῆς κεχαριτωμένης* Irenes Augustae an. 1120, quod ex editione Montfauconii dat Migne, Patr. gr. tom. 127, pp. 985—1120.

[3]) L. c. p. 8.

[4]) *Euchologium Graecorum* edit. Venet. an. 1730, p. 107.

Typicon duos maxime complectitur Ecclesiae libros *Τριῴδιον* et *Πεντηκοστάριον*.

Triodion (slav. *Trypisnec* seu *Triod;* rumen. *Triodu*) est liber, in quo officium a Dominica Septuagesimam antecedente [1]) usque ad *Sabbatum Sanctum* continetur: *τριῴδιον*, h. e. *trium odarum* liber, dictus, quod, quum canones et hymni, qui in reliquis divinis officiis usurpantur, *novem* habeant odas, hic liber tribus tantum constet, imo neque semper tres habet. De emendatiori Triodii editione legesis Jos. Simon. Asseman. *Kalendar. Eccles. Univers.* tom. 6, p. 562.

Pentecostarion (slav. *Triod cvětnaja;* rumen. *Pentecostariu*) est alter ecclesiasticus liber Triodio subjunctus, quo officium ab ipso Paschatis die usque ad Octavam Pentecostes, nempe ad *Dominicam* (ut Graeci vocant) *omnium Sanctorum* continetur. Multa etiam in hoc libro carpit et virga censoria notat Allatius l. c.

Ἀνθολόγιον, latine dicas *florilegium*, solemniora ex Menaeis exscripta cum rubricis maxime necessariis summatim exhibet. Notissimum est *Anthologium* ab Ant. Arcudio Corcyrensi Romanis typis editum an. 1598.

Ὡρολόγιον (slav. *časoslov;* rumen. *orologiu*) liber est, quo horae diurnae et officia continentur. Praeter alia scitu utilia complectitur totum Menologium quoad majora anni festa. Post alias editiones Venetiis et Athenis factas nuperrime correctum prodiit Romae 1876.

Sunt et nonnullis aliis libris ecclesiasticis Graecorum cum praedictis similitudines, e quibus unum alterumve percensuisse haud abs re fuerit, quo cupida sacrarum disciplinarum juventus, commentarii hujus nostri ope adjuta, multo facilius ad studium librorum liturgicorum adducatur [2]).

Celeberrimus in his libris est, qui *Ὀκτώηχος* seu *Octotonus* (slav. *Osmoglasnik* vel *Oktoich;* rumen. *Octoechu*)

---

[1]) Fallitur doctissimus Zaccaria, dum *Biblioth. rit. lib. 1, c. 4, art. 1, n. 9. Triodium* ait initium ducere a Dominica Septuagesimae.

[2]) Graecorum Officium et Missale juxta illorum consuetudinem in octo partes distributum, in quo *Psalterium, Horologium, Paracletice, Triodium, Pentecostarium, Octoëchus, Liturgiae* cum Epistolis et Evangeliis et alia quaedam continentur, praeter alias vices, octo voluminibus comprehensum prodiit Romae ex praelis Propagand. Fid. an. 1731.

praenotatur. Est autem liber, quo octo toni a s. Joanne Damasceno compositi praecipue continentur. Quum Graecorum musica, ut Leonis Allatii verbis utar, proprios tonos (ipsi vocant *ἤχους*, *sonos*) quatuor habeat: primum, secundum, tertium et quartum; quatuor item obliquos *πλάγιον τοῦ πρώτου*, obliquum primi, obliquum secundi, obliquum tertii, obliquum quarti, canones omnes sive troparia et quaecunque aliae cantiones in hoc libro contentae ita dispositae sunt, ut, quae primo tono concinuntur, omnia simul primum sibi locum occupent; quae secundo secundum, quae tertio tertium, et sic de singulis, donec ad obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos ultimus ultimum quoque sibi locum vindicat, et cantiones eo modulatae ac commensuratae ultimo quoque loco reponantur. Continet autem troparia et canones, qui a primis Vesperis Dominicae ad finem usque Missae canuntur. Et octo Dominicis pro tonorum numero finitur. Singuli toni tres habent canones: primum *ἀναστάσιμον*, qui in Resurrectionis Dominicae; secundum *σταυροαναστάσιμον*, qui in Crucis et Resurrectionis, tertium *θεοτοκίον*, qui in Mariae Virginis laudibus celebrandis versatur. Et haec in octoëchis antiquis habebantur. In recentioribus modo additur pro singulis tonis canon, qui in *μεσονυκτίου* vel *μεσονυκτικοῦ mediae* scilicet *noctis officio* cani suevit, et, quod de Trinitate pertractat, *τριαδικός* dicitur. Haec post L. Allatium *l. c.* Goar. in *Euchologio* sive *Rituali Graecorum* edit. Venet. 1730, p. 351. n. 6. Iis addere liceat, quae eodem loco habet n. 12. Libros notis musicis exaratos inter cantandum rarissime conspiciunt vel etiam habent Graeci, communesque ideo, et verbis et cantu, memoriae tenaciter infigunt hymnos, ad quorum normam alios pari syllabarum numero constantes cantando inflectunt: quorum ideo primordia canticis aliis inscribunt, ut ad eorum regulam sequentes indicent esse decantandos. Hi vocantur *εἱρμοί*, ut qui sequentes modulos ad suam musicam inflexionem trahant, eosque secundum octo tonorum varietatem collectos liber Ecclesiae *εἱρμολόγιον* dictus continet: vel dicitur *εἱρμός*, i. e. *series*, quod reliquorum, quae canuntur, consequentia et *series* ab eo ducatur, quae, quia ad ejus modum et cantum vertuntur (*ὅτι τρέπεται πρὸς αὐτόν* sive *πρός αὐτοῦ τρόπον ἐστί*), vocantur *τροπάρια*.

Adjungamus librum, qui Παρακλητική inscribitur. Is fere nihil aliud est, quam Damasceni Octoëchos a Graecis subsequentibus temporibus admodum auctus, unde et Ὀκτώηχος νέα vocatur. Παρακλητικός appellatur hic liber partim quod, explicante L. Allatio, sit *consolatorius*, quum omnia, quae in eo sunt, maxime spectare videantur, ut peccatorem consolentur, partim quod sit *invocatorius*, quum totus sit in Deo Sanctisque exorandis divinoque sibi auxilio variis supplicationibus impetrando.

Memorandum tandem ψαλτήριον (slav. *Psaltyr*; rumen. *Psaltire*), quo teste Leone Allatio [1]) nullus alius liber sive in Missis sive in matutinis precibus sive in aliis divinis officiis frequentior est. Sunt autem meri psalmi Davidici, non alterato ordine, sed uti in sacris Bibliis jacent, in certas tamen classes, plures vel pauciores psalmos pro psalmorum longitudine continentes, distincti. Sectiones Graeci καθίσματα vocant, quasi diceres *sessiones*, et viginti tantummodo numerant. Earum series haec est: Κάθισμα I. a Ps. 1—8; II. 9—16; III. 17—23; IV. 24—31; V. 32—36; VI. 37—45; VII. 46—54; VIII. 55—63; IX. 64—69; X. 70—76; XI. 77—83; XII. 84—90; XIII. 91—100; XIV. 101—104; XV. 105—108; XVI. 109—117; XVII. 118; XVIII. 119—131; XIX. 132—142; XX. 143—150.

Καθίσματα singula in tres partes subdividunt, quas consueta doxologia *Gloria Patri et Filio* terminant, aliter ac fit in ecclesia latina, quae dictam doxologiam post omnes psalmos recitat. Divisiones Kathismatum στάσεις dicunt, *stationes* nempe, stantes enim recitant; vel quod lectionem finientes stent et quasi respirent, ut ait L. Allatius l. c. Kathisma 20. communiter *cantica* absolvunt tum ex veteri tum ex novo foedere desumpta, quae Graecis ᾠδαί vocantur. Eas ex L. Allatio *l. c.* percenset Zaccaria *l. c.* p. 81.

Animadvertendum autem psalmos, quod alii ad alios atque alios usus in officiis ecclesiasticis adhibiti sint, aliud atque aliud veluti nomen in ecclesia orientali induisse. Sic Graecis psalmus 103 *(Εὐλόγει ἡ ψυχή μου, Benedic anima mea)* est ὁ προοιμιακός [2]), *pro-*

[1]) L. c. pag. 40.

[2]) Cfr. Philothei Patriarchae Διάταξις τῆς ἱεροδιακονίας. apud Migne, Patr. gr. tom. 154, pp. 749—750.

oemialis (slav. *prednačynatelnyj,* rumen. *ps. de incepatura),* quod ab eo Vesperas, Missam aliasque preces exordiantur; ps. 135 (*Ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ, ὅτι ἀγαθός, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus)* a laudata et frequentius memorata *plurima Dei misericordia* ὁ πολυέλεος (slav. *mnogomilostivoje;* rumen. *polieleulu)* dicitur[1]; ps. 118 (*Μακάριοι ἄμωμοι, Beati immaculati)* a secunda voce initiali ὁ ἄμωμος (slav. *neporočny;* rumen. *Fericiti cei fora* etc. vel *catism'a 17)* vocatur; psalmi 119—133 ἀναβαθμοί, *graduales* (slav. *stepenna;* rumen. *graduali, despartîre, cantarea trepteloru),* τὰ πρὸς Κύριον, et unico nomine τὰ προσκύρια (slav. *Ko Gospodu;* rumen. *catră Domnulu)* audiunt, quia eorum primus incipit a vocibus πρὸς Κύριον, *ad Dominum;* ἑξάψαλμος (slav. *šestopsalmije,* rumen. *exapsalmu)* sunt psalmi τοῦ ὄρθρου, *Laudum,* senario numero comprehensi, videlicet 3, 37, 42, 87, 102, 142, ab aliis auctoribus etiam ἑωθινοί, *matutini* vocati; οἱ αἶνοι (slav. *chvalite;* rumen. *laudele)* in eadem ἀκολουθίᾳ τοῦ ὄρθρου nominantur tres psalmi 148, 149, 150 propter repetitam in iis vocem αἰνεῖτε, *laudate;* ὁ vel τὸ Κύριε ἐκέκραξα, *Domine clamavi* (slav. *Gospody vozvach;* rumen. *Domne strigatamu)* psalmus est 140, qui semper cantatur in ἀκολουθίᾳ τοῦ ἑσπερινοῦ, *in officio Vesperarum* (slav. *večerniei;* rumen. *urmarea inseratului)* ob memoriam, quae in eo occurrit v. 2, τῆς θυσίας ἑσπερινῆς, *sacrificii vespertini;* nuncupatur etiam ὁ ἐπιλύχνιος, quia τῇ ἐπιλυχνίῳ εὐχαριστίᾳ immediate praefixus legitur[2]); οἱ τῶν τυπικῶν ψαλμοί *psalmi typicorum* (slav. *izobrazytelnaja;* rumen. *tipice)* sunt psalmi 102 (*Εὐλόγει, ἡ ψυχή μου, Benedic, anima mea),* et 145 (*Αἴνει, ἡ*

[1]) Ibid. pp. 759—760. Apud quosdam etiam τοῦ πολυελαίου nomen accepit, vel a *plurimo oleo,* abundantis misericordiae argumento, vel a copioso luminum lampadumque numero sic appellatus: dum enim recitatur, plurimas e ramosa machina in medio ecclesiae appensas lampades accendunt.

[2]) *Τὸ λυχνικόν, lucernarium,* h. e., prima pars τοῦ ἑσπερινοῦ, *officii vespertini,* preces continet recitandas, quum tempus instat lucernae Deo offerendae. Huc spectant verba s. Basilii M. *de Spiritu s. ad Amphiloch.,* c. 29 (apud Migne, Patr. gr. t. 32, pp. 205—206):

Ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι, ἀλλ' εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν.	*Visum est Patribus nostris, nequaquam cum silentio gratiam vespertini luminis suscipere, sed mox ut apparuerit, gratias agere.*

Est autem *lucernaria haec gratiarum actio* celeberrimus et antiquissimus ille hymnus Φῶς ἱλαρόν (slav. *Světe tichy;* rum. *Lumina lina),* quem Graeci quotidie in Vesperis ea ferme ratione decantant, qua Latini Canticum *Magnificat* persolvunt. Ipse ejus textus hic est:

Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου Πατρὸς, οὐρανίου, ἁγίου, μάκαρος, Ἰησοῦ Χριστέ, ἐλθόντες	*Jucundum lumen sanctae gloriae Patris immortalis, coelestis, sancti, beati, Jesu Christe, ad solis*

ψυχή μου, *Lauda anima mea)*, quod ad ἀκολουθίαν τῶν τυπικῶν [1]) spectent atque expressiorem, ut Patribus placuit, Christi in mundum venturi τύπον, *figuram*, exhibeant.

Psalterii recitandi modum per anni circulum hunc servant Graeci: A 20. mensis Septembris ad 15. Januarii, quum solemnitas Theophaniae absolvitur, singulis diebus tria καθίσματα recitant, in Matutino bina, in Vesperis unum, adeo ut singulis hebdomadibus universum psalterium percurratur. A 15. Januarii κάθισμα in Matutino adjungunt, in Lychnico vero τα πρὸς Κύριον usque ad sabbatum carnisprivii. Hebdomadibus τῆς ἀπόκρεω et τῆς τυροφάγου in Matutino duo, in Vesperis alterum. Sex Quadragesimae hebdomadibus singulis bis psalterium recitatur, hebdomade sancta vero semel tantum finitque feria quarta. A feria quinta usque ad sabbatum antipaschae psalterium silet. In pervigilio τοῦ Θωμᾶ, seu Dominica in Albis, rursus assumitur illius lectio ac singulis diebus usque ad 20. Septembris recitantur in Matutino bina καθίσματα, in Vesperis unum [2])

ἐπὶ τὴν ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινόν, ὑμνοῦμεν Πατέρα, Υἱὸν καὶ Ἅγιον Πνεῦμα, Θεόν. Ἄξιόν σε ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς αἰσίαις. Υἱὲ Θεοῦ, ζωὴν ὁ διδοὺς· διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει.

occasum jam pervenientes (et) serotinam lucem cernentes, Patrem, Filium et Spiritum sanctum Deum celebramus. Dignum est, te omnibus temporibus, Fili Dei, vitae largitor, devotis vocibus laudare, proptereaque te mundus glorificat.

Quem quidem hymnum, antiqua traditione teste, laudatissimus martyr Athenogenes, *quum jam ad consummationem, quae per ignem facta est, properaret,* tanquam aliquod valedictionis *munus (ἐξιτήριον) discipulis suis reliquit.* Ita s. Basil. *l. c.* Inclytus hieromartyr Athenogeres, die 17. Julii in Kalendario relatus p. 213, atque etiam in Cod. syr. vat. 20. et 21. signatus, non videtur esse distinctus a s. Athenogene, quem Baronius *Martyrologio rom.* inseruit d. 18. Januar.

[1]) *Officium typicorum* post sextam ejusque μεσώριον, h. e., *mediam horam* (slav. *meždučasije;* rumen. *mediorinlu)* recitatur.

[2]) Consuli ea de re potest Leo Allatius *De libris ecclesiasticis Graecorum,* Dissertat. 1, n. 60; apud Fabric. *Bibliothec. graec.* lib. 5. (Edit. Hamburg. an. 1722, tom. 5, in append. pp. 43—44).

De terminis technicis, qui in libris liturgicis frequentius occurrunt.

In variis his libris plura vocabula technica occurrunt a loquendi scribendique forma communi aliena, quibus ea, quae hujus disciplinae sunt, propriis veluti notis exprimuntur, quae nisi quis perspecta habuerit, fontes in decursu operis citandos non sine magna difficultate consulet. Quapropter brevem horum terminorum explicationem praemittendam censemus, ne quid objiciatur, quod lectorem remorari queat. Ex iis praecipua haec sunt: *ἀκολουθία, κανών, ᾠδή, εἱρμός, τροπάριον, προσόμοιον, ἰδιόμελον, κοντάκιον, οἶκος, στίχος, στιχηρόν, ἀπολυτίκιον, ἀντίφωνον, ἐκφώνησις, χύμα, ἐκτενής, συναπτή, εἰρηνικά, ὑπακοή, θεοτοκίον, προκείμενον, εἴδησις, μετάνοια.*

Ἀκολουθία, consequentia, cohaerentia, convenientia, a verbo *ἀκολουθεῖν, sequi, consentaneum esse, congruere,* primo quidem sumitur pro *ordine* seu *dispositione* officii divini, quo sensu et *διάταξις* (slav. *čin;* rumen. *urmarea* vel *renduiala*) audit; deinde ipsum *officium* ordinatum denotat (slav. *služba;* rumen. *servitiu* vel *oficiu*), quod videlicet omnes ejus partes aptissime cohaerescant inter se, et aliae alias *consequantur,* quemadmodum vocem scite explicat Neophyt. Rhodin. apud Goar. *Euchol.* p. 27, n. 63 et confirmat Card. Pitra, *Hymnographie,* p. 84 ita scribens: *ἀκολουθία = système de prières, où tout est lié, suivi, harmonisé.* — Tertio denique significat quamvis aliam precum vel divinarum laudum ordinationem, in qua psalmi, cantica, orationes et alia *ordine disposita consequuntur*, cujusmodi in *ὡρολογίῳ* sunt *ἀκολουθία τῆς θείας μεταλήψεως, ordo divinae communionis, ἀκολουθία*

τῆς τραπέζης, quae Latinorum *Benedictioni mensae* ferme respondet.

Κανών (slav. *kanon;* rumen. *canonu*) proprie *regula,* canticum liturgicum dicitur, quod determinatis legibus fixum ratumque est, certis diebus ordinarie et quasi ex *regula* cani solitum. Ὡρισμένον, inquit Zonaras *ad canones anastasim. Damascen.* [1]), *καὶ τετυπωμένον τὸ μέτρον τοῦτό ἐστιν ἐν ἐννέα ᾠδαῖς συντελούμενον, hoc metrum determinatum et invariabile novem odis absolvitur.* Canones igitur in novem odas dividuntur, odae in troparia.

Ex materia, quam tractant canones, alii dicuntur *ἀναστάσιμοι*, quod *de Christi resurrectione* agant; alii *σταυρώσιμοι*, qui *de cruce; νεκρώσιμοι* et *ἀναπαύσιμοι*, qui *de mortuis; σταυρονεκρώσιμοι*, qui *de cruce et mortuis; παρακλητικοί*, qui *de solamine animarum; ἱκετήριοι, supplicatorii; τριαδικοί*, qui *de ss. Trinitate; δογματικοί*, qui *de dogmatibus* agunt, et sic de reliquis. Caetera, quae ad canones spectant, commodius explicabimus in altera parte, quae est *de festis mobilibus.* Interim legito Maltzew, *Vsenoščnoe bděnie,* p. XLIII.

Ὠιδή (slav. *pěsn;* rumen. *cantare*) quid significet et qualis sit ejus structura, idem Zonaras exponit his verbis: *Ὠιδή, Canticum, id dicitur, quod Deo non per instrumenta canitur, sed viva voce modulando cantatur: Sunt autem odae novem in unoquoque canone, quia coelestis Hierarchiae ac hymnodiae imaginem praeferunt* (*ὅτι τῆς ἐν οὐρανοῖς ἱεραρχίας καὶ ὑμνῳδίας εἰκόνες εἰσί*) . . . vel *ut sanctissimam Trinitatem symbolice repraesentent; nam si ter tria dicas, utique numerum novenarium conficies* [2]). — Odae primae canonis tertia confestim subnectitur, secunda scilicet in componentis pectore remanente. Omissionis rationem interpretes repetunt ex indole novem s. scripturae canticorum seu odarum, quae secundum ordinem et ferias in Laudibus recitare solent Graeci: primum quidem (*Exod. 15*) die Dominico et feria II; secundum (*Deuteron. 32*), de quo hic sermo, feria III;

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 135, pp. 423—424.

[2]) Cfr. Gretser. *De s. cruce,* l. 5. in prooemio, opp. tom. 3, pp. 281—282, edit. Ratisbon. an. 1735, ac vide etiam Goar. *Euchol.* p. 351.

tertium (*I. Reg.* 2) feria IV; quartum (*Habac.* 3) feria V; quintum (*Isai.* 25) feria VI; sextum (*Jon.* 2) et septimum (*Daniel.* 3) die sabbati, reliqua vero alio tempore. Secundum autem illorum (*Deuteron.* 32) *τὸ Πρόσεχε οὐρανὲ καὶ λαλήσω*: *Audite Coeli, quae loquar*, quod notante Zonara l. c. est *compellatio Judaeorum et comminatio et nequitiae eorum increpatio malorumque, quae eis superventura sunt, praedictio*, omissum idcirco toto anni decursu, solo Quadragesimae Magnae tempore lugubri, quo comminationibus et tristis augurii vocibus peccatores terret Ecclesia, cantandum resumit. Jam vero quum canon quilibet ob novenarium scripturae canticorum numerum novem quoque odis reperiatur conflatus, quumque secundum non dicatur, nisi Quadragesimae feriis tertiis, hac quoque de causa canonis odam secundam omitti necesse est.

Εἱρμόν (slav. *irmos;* rumen. *irmosu*) esse *primordium alicujus cantici* aliis canticis inscribi solitum, ut ad illius sonum et numerum voces cantorum modificentur, german. *Melodie* [1]); *τροπάριον* (slav. *tropar;* rumen. *tropariu*) vero ipsorum horum canticorum strophas ad modulos *τῶν εἱρμῶν* decantandas, innuimus jam supra p. LIII. Ex recentiori usu loquendi tamen *τροπάριον* terminus generalis est, cuicunque brevi *ποιήματι* conveniens, quemadmodum post Goar. p. 26, n. 47, et Toscani, p. 16, n. 7. animadvertit Card. Pitra hac etiam ratione reddita: *le terme de tropaire est devenu générique, précisement parcequ'il est l'un des plus anciens.*

Et quoniam *εἱρμός inde nomen habet, quod ad se contrahat* (*ὅτι συνείρει*) *et connectat sibi in melodia et cantu troparia, τροπάριον* vero, quod ad *εἱρμόν vertatur* (*ὅτι τρέπεται*), quemadmodum Zonaras fusius explicat l. c., *εἱρμόν* latine *tractum,* et *τροπάριον versum* reddere possemus, nisi obstaret Latinorum loquendi usus, quo his vocibus longe aliud, atque in Ritualibus Graecorum libris, significari norunt omnes [2]).

[1]) *Εἱρμός, début d'un ancien cantique, destiné à fixer la mélodie des chants.* Ita C. Pitra l. c.

[2]) Alia de utroque nomine invenies apud Gretserum, Goarium, Ryaeum in *dissertat. onomastica* ad *ἀκολουθίαν Graecorum,* §2, p. XVI,

Caeterum Syris et Hebraeis quoque suos εἱρμούς esse, carminibus et psalmis inscriptos, adductis eorundem formulis diligenter explicat doctissimus D. Bickell, *S. Ephraemi Syri carmina Nisib.* pp. 30—33, et recens in praestantissimo opusculo, cui titulus *Metrices biblicae regulae exemplis illustratae,* ubi praeter alia huc facientia acute ostendit, psalmos 57, 58, 59, 75 ad εἱρμόν ipsis inscriptum *Al tašcheth, Ne perdas,* et psalmos 45, 60, 69, 80 ad εἱρμόν seu modum *Šošannim ʿeduth, Lilium testimonium,* esse decantandos.

Προσόμοια, subaudi *στιχηρά*, *versus similares* (slav. *podobny;* rumen. *podobie*) aequali syllabarum numero atque εἱρμός alligati eodem tono decantantur, sicut etiam apud Latinos ejusdem metri strophae.

Ἰδιόμελον, subintellige *στιχηρόν* (slav. *samoglasnyj;* rumen. *cantare cu versu propriu*) verisimilius inde nomen habet, quod peculiari sibi, gravi et concinna voce recitandum sit, ὡς ἴδιον ἔχον μέλος, *quasi propriam modulationem habens,* nec ad alicujus εἱρμοῦ normam inflectendum.

Κοντάκιον (slav. *kondak;* rumen. *condacu*) praecipue duo significat; ac primo quidem *hymnum brevem*, rumen. *hymnu scurtu* [1]), sic dictum a voce *κοντός* (recentioribus Graecis) *parvus,* eo quod notante Goario, paucis laudes alicujus Sancti vel rationes festi complectatur; deinde vero membranam seu chartam, rotundo et brevi baculo *(κοντῷ)*, cui haeret, circumvolvi solitam, ubi descriptae sunt orationes sacerdotibus recitandae, quum sacris operantur, interprete C. Pitra p. 45, *le rotule ou parchemin de la liturgie, roulé autour d'un axe* [2]). Cfr. etiam Habert. *Ἀρχιερατικ.* p. 59 et C. Quirini, *Diatr.* 4, pp. 142—160.

Οἶκος (slav. *ikos;* rumen. *icosu, domus* [3]), ex Goarii Ryaeique sententia hymni genus est in Dei vel sancti ali-

tomo 2. Junii Act. SS. praefixa, Card. Pitra, *Hymnographie* pp. 30—31, et Maltzew. l. c.

1) Ita Borosiu, *Ritualu,* Explicarea terminiloru technici, p. 246.

2) *Κοντός* accedit ad similitudinem latini nominis *contus* (sudes, pertica); unde *contor, percontor,* conto explorare, translate, inquirere.

3) Miram slavicae appellationis formationem ac magis mirum ejus interpretationem dat Rajewsky in ea, quam ex graeco archetypo se fecisse affirmat, *Euchologii versione* p. LXI, nomen *ikos* deducendo a graeca voce εἰκός hancque germanice vertendo *das Bild!*

cujus laudem ita constructum, ut quasi *compagem, aedificium, fabricamque virtutum* ejus et gloriae videatur componere; et ideo *κοντακίῳ* opponitur, ut eo amplius et diffusius. Explicationis causa subdit Goarius p. 47, n. 32: Itali quoque sua poëmata habent *stanze* sua lingua, id est, *domus* sive *habitacula* dicta; ad quae Card. Quirini recte animadvertit *Diatribe* 4, p. 160: Hymnorum strophas, non vero poëmata sua *stanze* ab Italis vocari exactius scripsisset.

Poëtae Arabes *οἶκον* (*bait,* plur. *bujût*) passim vocant disticha et tetrasticha; Syri vero eandem appellationem *bâthê* ad hymnorum strophas extendunt [1]).

Στίχος (slav. *stich;* rumen. *stichu*) *versiculus* est e sacra scriptura, et maxime e psalmis depromptus, *στιχολογία* vero alterna psalmorum Davidicorum *per versus* recitatio, et *στιχολογεῖν τὸ ψαλτήριον* psalmos eosdem alternatim *per versus* recitare. Recitantur autem psalmi *χύμα* sive *χῦμα* (slav. *kosno;* rumen. *a ceti netedu fora de a canta*), *voce fusa unoque tractu veluti effluente* [2]), si *ἄνευ μέλους*, *sine cantu* et modulorum varietate dicuntur [3]). Huic recitationi opponitur eorundem cantus *μετὰ μέλους*, ubi adjuncta modulorum varietas clare percipitur.

Στιχηρόν (slav. et rumen. *stichira*), *versus* vocatur ab hymnographo ecclesiastico, licet prolixiori sententia, ad longiuscularum etiam periodorum normam compositus [4]), Latinorum antiphonae haud dissimilis. *Στιχηρὰ ἀπὸ στίχου* sunt conglobati aliquot Davidici versiculi, unius totius formam referentes.

Στιχηρά, κοντάκια ac *τροπάρια* distinguuntur in *ἀναστάσιμα*, quae *resurrectionem celebrant*; *σταυροαναστάσιμα*, quae

---

[1]) Magis ingeniosa quam verisimilis est conjectura, quam Card. Pitra de vocis origine proposuit in *Hymnographie* p. 45 his verbis: *Peut-être le mot οἶκος ne désigne-t-il que les groupes rangés en cercle autour du chantre, lorsqu'il récitait le poème qui se déroulait avec le volume appelé depuis κονδάκιον.* — Alias aliorum conjecturas de vi ac ratione nominis *οἶκος* afferemus tomo 2, pp. 163—165.

[2]) Cfr. Philothei Patr. *Διάταξις*, apud Migne, Patr. gr. tom. 154, pp. 749—750.

[3]) Ductum est vocabulum *χύμα* a radice *χύω, χεύω, χέω*, *effundo*, proprioque sensu acceptum significat id, *quod effusum est* seu *effusum fluit.*

[4]) Cfr. Maltzew, l. c. p. XLIV.

crucem et resurrectionem simul praedicant; τριαδικά, θεοτοκία, μαρτυρικά in honorem Trinitatis, Deiparae Virginis vel martyrum edita; σταυροθεοτόκια de matre dolorosa cani solita; νεκρώσιμα, pro defunctis composita; ἀνατολικά, aurora lucescente cantanda; φωταγωγικά, pro illuminatione mentis impetranda; ἐξαποστείλαρια, in memoriam dispersionis et praedicationis Apostolorum praescripta [1]; *ἀπολυτίκια, quae prolixiori alicui parti divini officii finem imponunt.*

Finis officii *ἀπόλυσις* est sive *dimissio;* et *στιχηρόν* seu *τροπάριον*, quod terminando officio populoque cum solemni deprecatione dimittendo idoneum censetur, etiam *ἀπολυτίκιον* (slav. *otpust;* rumen. *deslegare* sive *demissiune*) *completi officii conclusio,* vocatur.

Ἀντίφωνον (slav. *antifon;* rumen. *antifonu*), quasi *vox opposita* seu *vocis oppositio*, generatim est mutua utriusque chori ad invicem responsio; Graecis autem speciatim dicitur unius ejusdemque sententiae ad singulos *στίχους* alicujus psalmi ex tota vel ex parte repetitio, indeque ad psalmum ipsum denotandum transfertur, ad cujus versus una haec eademque sententia semper respondetur.

Dum chorus *τὰ ἀντίφωνα* in liturgia cantat, sacerdos orationes iis respondentes *μυστικῶς*, *secreto* (slav. *vtaj;* rumen. *întru sêne*) recitat, easque, cantu finito, *ἐκφώνως*, *alta voce* (slav. *veleglasno;* rumen. *cu viersu inaltu* sive *eschiamatiune*) concludit. Quemadmodum videlicet *secretas* in missa sacerdos latinus dicit, in quarum calce vocem extollens in omnium auditu *per omnia saecula saeculorum* intonat, ita graecus cunctas liturgiae orationes dempta ultima, quae *εὐχὴ ὀπισθάμβωνος* (slav. *zaamvonnaja;* rumen. *rogatiunea amvonului*), *retro ambonem* recitanda [2], dicitur, secreto soli Deo profert, quibus ut finem imponat, audientibus cunctis, *ἐκφωνήσεις*, *orationum terminationem elata voce* pronuntiat [3]. Cfr. Goar. p. 107, n. 67.

[1]) Vide quae de variis sententiis circa notationem ac significationem vocis, *ἐξαποστειλάριον* post Goarium p. 47, n. 37 et Ryaeum l. c. p. XXII, n. 35, disputat Card. Quirini *Diatribe* 4. pp. 166—168.

[2]) Expletis missarum solemnibus sacerdos e cancellis egreditur, atque in medio populi stans, *retro ambonem*, hanc orationem recitat.

[3]) Quae *ἐκφώνησις* confundi non debet cum illa exclamatione, quam

Ἐκτενής (slav. *Jektenja;* rumen. *ectenia*) subaudi *εὐχή*, *δέησις*, vel *ἱκεσία*, *oratio prolixa, protensa, sine intermissione fusa* (Act. 12, 5), similis est Litaniis nostris, in quibus populus vel chorus respondens identidem interponit *miserere nobis, ora pro nobis, te rogamus, audi nos* [1]). Vocatur etiam *συναπτή*, veluti concatenata precum series, in quo *τὸ ἐκτενῶς δεηθῶμεν* inclamat diaconus. *Συναπτὴν* alias *εἰρηνικά* (slav. *mirnaja;* rumen. *cu pace*) appellant, quod pax primo loco a Deo postuletur; alias autem *διακονικά*, quod a diacono pronuntientur.

Ὑπακοή (slav. *ypakoj;* rumen. *ipacoiu*), a verbo *ὑπακούω, aures praebeo ad audiendum, ausculto, respondeo,* aliis est *στιχηρὸν θαυμαστόν*, cui *obaudiendo,* dum in ecclesia cantatur, cuncti cum religioso silentio, corporis etiam accessu facto, arrectas aures et mentem attentam praebent [2]); aliis contra modulus sive psalmus esse videtur, qui ita canebatur, ut diaconus priorem partem praecineret, chori deinde cum populo quasi *respondendo* alteram partem absolverent [3]); unde et pro responsorio populi in fine versus vel strophae accipitur.

Ultimum odarum *τροπάριον* pro suo in Virginem Deiparam affectu, verbis ipsius odae quadrantibus compositum, solent in ejus honorem Graeci decantare. In officiis ecclesiasticis inscribitur *θεοτοκίον* (slav. *bogorodičen;* rumen. *alu Nascatoriei*). Aliquae ecclesiae proprium *θεοτοκάριον* habent, quo *θεοτοκία* collecta exhibentur.

Προκείμενον (slav. *prokimen;* rumen. *prochimenu*) a *πρόκειμαι, propositus sum, positus sum ante, in fronte, praejaceo,* praevium vocant *δίστιχον*, seu duos versiculos e psalmis excerptos, quod vel scripturae confestim post ipsos legendae vel rei alterius specialis decantandae materiam et summam

apud Italo-graecos tempore officii matutini in certis quibusdam psalmis, a duobus cantoribus antiphonatim cantatis, ad designatum psalmi *στίχον* a toto choro cultum sacrarum imaginum profitente *ἐκφώνως* cantando fieri animadvertit et adductis exemplis perspicue ostendit Toscani *ad typica Graecorum animadversiones* n. 8, pp. 17—18.

1) Cfr. Maltzew, pp. XLI—XLII.

2) Cfr. Goar. p. 46, n. 22. et Maltzew, l. c.

3) Ita post editorem operum s. Athanasii (apud Migne, Patr. gr. tom. 27, p. 1410) Toscani l. c. p. 22, not. 1.

complectantur. Qui proprii sunt illius diei, *προκείμενον τῆς ἡμέρας* dicuntur. Consule Goar. p. 25, n. 37.

Εἴδησις (slav. *priměčanie;* rumen. *insemnare*), alias *σημείωσις, σημειωτέον, ἰστέον, δεῖ γινώσκειν, χρὴ γινώσκειν, χρὴ εἰδέναι, animadversio, sciendum est, adnotandum est,* dictiones sunt, quae saepissime leguntur in libris Graecorum, ac rubricis nostris respondent.

Μετάνοια (slav. *poklon;* rumen. *inchinatiune* seu *metanie*) generatim *poenitentiam* poenitentiaeque opus quodcunque significat. At quum, notante Goario[1]), primarium ac praecipuum poenitentiae argumentum fuerit olim illa corporis dejectio humilisque animi in terram demissio, qua poenitentes insigniores peccata sua deflebant, preces aliorum implorabant, et requirebant spem veniae, exinde factum est, ut quaelibet Deo cultum exhibitura vel sacras imagines veneratura genuflexio vel corporis inclinatio *μετάνοια* vocitari coeperit. In libris liturgicis etiam reverentia seu salutatio, quae cum corporis incurvatione erga praepositum praestatur, *μετάνοια* dicitur. Hinc illud in Typico Sabae c. 1. *ποίει μετάνοιαν τῷ προεστῶτι, se inclinet coram praeside; τῷ ἡγουμένῳ, coram abbate; ἔμπροσθεν τῶν ἁγίων θυρῶν, ante sacras fores.*

Est autem haec *μετάνοια* duplex, *μεγάλη* altera (slav. *poklon velikyj;* rumen. *inchinatiunea mare),* altera *μικρά* (slav. *poklon malyj;* rumen. *inchinatiunea mica).* Illa fit, quum quis toto corpore se ad terram usque antrorsum inclinat; haec autem, quum quis cervicem tantum et caput aliquousque inclinat *χωρὶς γονυκλισίας, sine genuflexione.*

Ritum aliquem *μετανοίας μεγάλας* in communi peragendi praescriptum reperies in *Typico* Irenes[2]), ubi Augusta et quid sint *μετάνοιαι* breviter explicat, et quomodo in iis exequendis *τῇ εὐταξίᾳ* voluerit consultum accurate definit[3]).

Ἔστι δὲ ἡ γονυκλισία μετάνοιαι δεκαπέντε, ὧν αἱ μὲν πρῶται τρεῖς ὀφείλουσι γίνεσθαι σχολαιότερον, καὶ οἷον βραδύτερον ἔν τε τῇ συ-

Est autem genuflexio reverentiae quindecim, quarum tres priores lentius fieri debent et quasi tardius, cum inter standum tum in

[1]) Not. in Ord. sacri ministerii Philothei P. apud Migne, Patr. gr. tom. 154, pp. 747—748.

[2]) Vide supra p. LI, nota 2.

[3]) Cap. 32, apud Migne, l. c. pp. 1049—1050.

στάσει, καὶ τῇ τῶν γονάτων κλίσει· ὥστε δύνασθαι ἑκάστην ὑμῶν, ἑστῶσαν μὲν καὶ τὰς χεῖρας ἐκτεταμένας ἔχουσαν λέγειν καθεκάστην ἐκ τρίτου τό· „Ὁ Θεός, ἱλάσθητί μοι τῇ ἁμαρτωλῷ." Εἶτα κλίνασαν τὰ γόνατα καὶ τὴν κεφαλὴν ἕως γῆς, τρίτον λέγειν ὁμοίως τὸ „Ἥμαρτόν σοι, Κύριε, συγχώρησόν μοι." Καὶ τὰς μὲν τρεῖς γονυκλισίας οὕτως ὑμῖν ποιητέον, τὰς δὲ λοιπὰς δώδεκα συντομώτερον· ὡς ἐφάπαξ λέγειν ἑκάστην ἐν τῇ τῶν γονάτων κλίσει, καὶ τῇ στάσει ἅπαξ τὰ προειρημένα τῆς ἱκετείας ῥήματα. Ποιήσασθε δὲ τάς τε τῶν γονάτων κλίσεις, καὶ τὰς ἀνανεύσεις, οὐχ ὅτε δοκεῖ ἑκάστῃ, ἀτάκτως καὶ ἀλληνάλλως, ἀλλ' ὡς ἓν σῶμα, ἅμα μὲν κλινόμεναι, ἅμα δὲ ἀνιστάμεναι· καὶ ὁδηγῷ χρώμεναι ἀμφοτέρων τῇ ἐκκλησιαρχίσσῃ πρὸ τοῦ ἁγίου βήματος ἑστώσῃ, καὶ τῇ κλίσει μὲν τὴν κλίσιν ὑποδεικνύσῃ, τῇ ἀνανεύσει δὲ τὴν ἀνάνευσιν.

genuum flexione: ut unaquaeque vestrum stans et manibus expansis dicere possit ter ad singulas illud: „Deus, propitius esto mihi peccatrici!" *Deinde flectens genua et caput usque ad terram, ter similiter dicere illud:* „Peccavi tibi, Domine, ignosce mihi." *Et tres quidem genuflexiones sic a vobis faciendae; reliquae vero duodecim celerius: ut quaelibet semel dicat in genuflexione, et semel inter standum praedicta verba supplicationis. Genuum vero flexiones et erectiones facietis, non ubi singulis libitum fuerit, incomposite et quoquomodo: sed quasi unum corpus; una flectentes et una vos erigentes; duce utrarumque utentes Ecclesiae praeposita, ante sacrum aditum stante et flexione quidem flexionem, erectione vero erectionem commonstrante.*

Nominibus technicis ita declaratis, rem multis, qui *διάταξιν τῆς ἱεροδιακονίας* nondum graece scriptam viderint, perjucundam arbitramur fore, si eorundem terminorum usum, adducto aliquo festo, ex recentiori *Τυπικῷ* seu *Ordine Rei Divinae* ecclesiae CP.[1]) fideliter descripto, oculis subjiciamus. Exemplo igitur sit 6. Augusti cum aliis quatuor diebus, ubi officium divinum hac ratione ordinatum legimus[2]) pp. 195 seqq.

Τῇ ϛ'. ἡ ἁγία Μεταμόρφωσις τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Εἰ τύχοι ἐν Σαβ. τῷ αὐτῷ Σαβ. ἑσπ. προκείμ. ψάλ. Ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ· μετὰ τῶν στίχων αὐτοῦ.

[1]) *Τυπικὸν ἐκκλησιαστικὸν κατὰ τὴν τάξιν τῆς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης ἐκκλησίας. Ἐν Κωνσταντινουπόλει,* 1874.

[2]) In Menaeis, Horologio aliisque libris ecclesiasticis reperiuntur orationes hoc *τυπικῷ* per verba initialia indicatae, ut ecce: *Προτυπῶν τὴν Ἀνάστασιν τὴν σήν· Ὁ φωτί σου ἅπασαν τὴν οἰκουμένην ἁγιάσας· Παρέλαβεν ὁ Χριστὸς τὸν Πέτρον· Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου Πατρός· Πέτρῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Ἰακώβῳ, τοῖς προκρίτοις μαθηταῖς σου, Κύριε·*

Ἐὰν τύχῃ ἐν Κυριακῇ οὐδὲν τῶν ἀναστασ. ψάλ. τῷ Σαβ. ἑσπέρ. μετὰ τὸν προοιμ. εἰς τό, Κύριε ἐκέκρ. ψάλ. τὰ ἰδιόμ. τῆς ἑορτῆς εἰς ς′. Δόξα, Καὶ νῦν, Προτυπῶν τὴν Ἀνάστασ. Εἴσοδ. Φῶς ἱλαρόν· προκείμ. τῆς ἡμέρας, καὶ τὰ ἀναγνώσμ. εἰς τὸν στίχον ψάλ. τὰ γ′. ἰδιόμ. Δόξα, Καὶ νῦν, Πέτρῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Ἰακώβῳ· τὸ Τροπάριον ἐκ γ′. καὶ ἀπόλυσις.

Τὸ δὲ πρωΐ, μετὰ τὴν Λιτήν, τὸ τροπάρ. τῆς ἑορτῆς, τὸ αὐτὸ εἰς τό, Θεὸς Κύριος, ἐκ γ′. τὸ Ψαλτ. καὶ ὁ Πολυέλ. τὰ καθίσμ. ἐκ β′.. καὶ οἱ ἀναβαθ. καὶ τὸ προκείμ. Θαβὼρ καὶ Ἑρμών. Πᾶσα πνοή, καὶ τὸ Εὐαγ. ὁ Ν′. ἦχμα. Δόξα, Ταῖς τῶν ἀποστόλων, Καὶ νῦν, Ταῖς τῆς Θεοτόκ. Εἶτα στίχ. Ἐλεῆμον ἐλέησόν με· ταὶ τὸ ἰδιόμ. Ὁ φωτί σου ἅπασαν. (ζήτει εἰς τὴν Λιτήν.) οἱ κανόν. οὗ ὁ στίχ. Δόξα σοι ὁ Θεὸς ἀπὸ γ′. ᾠδῆς, τὸ κάθισ. ἅπαξ. ἀφ᾽ ἕκτης τὸ κοντάκ. ὁ Οἶκος κτλ. αἱ καταβ. Σταυρὸν χαράξας· εἶτα ψάλ. ἡ Θ′. ᾠδή· τὸ ἐξαποστ. ἐκ γ′. οἱ Αἶνοι. Δόξα, Καὶ νῦν. Παρέλαβεν ὁ Χριστός. Δοξολ. Μ. Τροπ. τῆς ἑορτῆς καὶ ἀπόλυσις. Εἰς τὴν Λειτουργίαν ψάλ. ἀντίφωνα.

Ἀντίφωνον Α′.

„*Μέγας Κύριος καὶ αἰνετὸς σφόδρα.*
„*Ἑτοιμάζων ὄρη ἐν τῇ ἰσχύει αὐτοῦ.*
„*Ὁ ἀναβαλλόμενος φῶς ἱμάτιον.*
„*Τὰ ὄρη ἀγαλλιάσονται ἀπὸ προσώπου Κυρίου.*

Ταῖς πρεσβείαις τῆς Θεοτόκου.

Ἀντίφωνον Β′.

„*Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸ ὄρος Κυρίου, ἢ τίς στήσεται „ἐν τόπῳ ἁγίῳ αὐτοῦ;*
„*Ἔλπισον ἐπ᾽ αὐτόν, καὶ αὐτὸς ποιήσει, καὶ ἐξοίσει ὡς φῶς τὴν δικαιοσύνην.*
„*Κύριε, τίς παροικήσει ἐν τῷ σκηνώματί σου, ἐν ὄρει ἁγίῳ;*
„*Αὐτά με ὡδήγησαν, καὶ ἤγαγόν με εἰς ὄρος ἅγιόν σου.*

Σῶσον ἡμᾶς . . ὁ ἐν τῷ ὄρει τῷ Θαβὼρ μεταμορφωθείς.

Ἀντίφωνον Γ′.

„*Φωτίζεις θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων.*
„*Σοί εἰσιν οἱ οὐρανοί, καὶ σοί ἐστιν ἡ γῆ.*
„*Θαβὼρ καὶ Ἑρμὼν ἐν τῷ ὀνόματί σου ἀγαλλιάσονται.*

Μετεμορφώθης ἐν τῷ ὄρει.

Εἰσοδικόν, Ὅτι παρὰ σοὶ πηγὴ ζωῆς Κύριε, ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. Σῶσον ἡμᾶς . . . Ὁ ἐν τῷ ὄρει τῷ Θαβὼρ μεταμορφωθείς. Τροπ. Μετεμορφώθης ἐν τῷ ὄρει. Κοντάκ. Ἐπὶ τοῦ ὄρους μετεμορφώθης. Τρισάγ. κτλ. Εἰς τό, Ἐξαιρέτως. Νῦν τὰ ἀνήκουστα ἠκούσθη· (ζήτει εἰς τὴν ζ΄. ᾠδήν). Κοιν. Ἐν τῷ φωτὶ τῆς δόξης. Μετεμορφώθης ἐν τῷ ὄρει, καὶ ἀπόλυσις.

Σαββάτῳ μετὰ τὴν ἑορτήν.

Τὸ πρωῒ εἰς τὸν Ὄρθρον, οἱ κανόνες χῦμα· εἶτα ψάλ. τῆς η΄. ὁ Εἱρμός, καὶ στιχολ· ἡ Τιμιωτ. τὸ μεθέορ. Ἐξαποστ. δίς. Αἴνους ψάλ. τῆς παναγίας ἐνδόξου Μεταμορφώσεως (ζήτει τῇ θ΄. εἰς τὰ ἑσπέρια). Δόξα, Καὶ νῦν. Ὁ φωτί σου ἅπασαν (ζήτει εἰς τὴν Λιτὴν τῆς ἑορτῆς). Ἀπόστιχα. Ἐν ὄρει τῷ Θαβώρ. (ζήτει εἰς τὸν στίχον τῶν Αἴνων, τῇ θ΄. τοῦ μηνός). Εἰς τὴν Λειτουρ. ἀντίφ. Ἀγαθὸν τὸ ἐξομολογεῖσθαι· εἰς τὸ β΄. Ἀντίφ. Ὁ ἐν τῷ ὄρει τῷ Θαβὼρ μεταμορφωθείς· ὁμοίως καὶ εἰς τὴν Εἴσοδ. Τροπ. τῆς ἑορτῆς, καὶ τοῦ ἁγίου τῆς μονῆς. Κοντάκ. Ἐπὶ τοῦ ὄρους, καὶ καθεξῆς.

Κυριακῇ μετὰ τὴν ἑορτήν.

Τῷ Σαβ. ἑσπέρας, μετὰ τὸ Ψαλτ. εἰς τό, Κύριε ἐκέκρ. ψάλ. ἀναστάσ. ς΄. καὶ μεθεόρτ. δ΄. Δόξα τῆς ἑορτῆς, οἷον βούλει. Καὶ νῦν, τὸ α΄. Θεοτ. τοῦ ἤχου. Εἴσοδος κτλ. Εἰς τὸν στίχον τὰ ἀναστάσ. Δόξα, Καὶ νῦν, τῆς ἑορτῆς. Τροπάρ. Ἀναστάσ. τῆς ἑορτῆς καὶ ἀπόλυσις.

Τὸ δὲ πρωῒ εἰς τὸν Ὄρθρον, οἱ κανόνες ἀμφότεροι· ἀπὸ γ΄. ᾠδῆς· τὸ κάθισ. τῆς ἑορτῆς, ἅπαξ· ἀφ᾽ ἕκτης, τὰ ἀναστάσ. κτλ. Αἱ καταβ. Σταυρὸν χαράξας· καὶ ἅπασα ἡ τάξις τοῦ ἑωθινοῦ Εὐαγ. Ἡ Τιμιωτ. στιχολ. Ἐξαποστ. Ἀναστάσ· καὶ τῆς ἑορτῆς εἰς τοὺς Αἴνους. Ἀναστάσ. δ΄. καὶ τῆς ἑορτῆς δ΄. Δόξα, τὸ ἑωθινόν. Καὶ νῦν, Ὑπερευλ. Δοξολ. Σήμερον σωτηρία, καὶ ἀπόλυσις. Εἰς τὴν Λειτουρ. Τυπικά καὶ οἱ ἀναστάσ. μακαρ. εἰς τὴν Εἴσοδ. τὸ Ἀναστάσ. Τροπ. τῆς ἑορτῆς, καὶ τοῦ ἁγίου τῆς μονῆς. Κοντάκ. Ἐπὶ τοῦ ὄρους μετεμορφώθης καὶ καθεξῆς. Εἰς τό, Ἐξαιρέτως. Ἄξιόν ἐστιν. Κοινων. Αἰνεῖται. Εἴδομεν τὸ Φῶς. καὶ ἀπόλυσις.

Τῇ αὐτῇ Κυρ. ἑσπέρας, ψάλ. ὁ Ἑσπερ. κατὰ τὴν τάξιν τοῦ Μηναίου, γίνεται καὶ Εἴσοδ. καὶ ἅπασα ἡ τάξις τῆς Μεγ. Παρακλήσεως, ὡς εἴθισται.

Τῇ ιγ΄. τοῦ ἐνεστῶτος μηνός, ἀποδίδοται ἡ ἑορτὴ τῆς Μεταμορφώσεως.

Εἰ τύχοι ἐν Κυρ. τῷ Σαβ. ἑσπέρας μετὰ τὸ Ψαλτ. εἰς τό, Κύριε ἐκέκρ. ψάλ. ἀναστάσιμα ϛ΄. καὶ τῆς ἑορτῆς δ΄. Δόξα, τῆς ἑορτῆς. Καὶ νῦν, τὸ ά. Θεοτ. τοῦ ἤχου. Εἴσοδ. κτλ. Εἰς τὸν στίχον, τὰ ἀναστάσ. Δόξα, Καὶ νῦν, τῆς ἑορτῆς. Ἀπολυτ. τὸ ἀναστ. τῆς ἑορτῆς δίς, καὶ ἀπόλυσις.

Τὸ δὲ πρωῒ εἰς τὸν Ὄρθρον, οἱ κανόνες ἀμφότεροι, αἱ καταβ. Σταυρὸν χαράξας· καὶ ἅπασα ἡ τάξις τοῦ ἑωθινοῦ Εὐαγγελ. Εἶτα ψάλ. ἡ θ΄. ᾠδὴ τῆς ἑορτῆς· ἐξαποστειλ. τὸ ἀναστάσ. καὶ δὶς τῆς ἑορτῆς· εἰς τοὺς Αἴνους, ἀναστ. δ΄. καὶ τῆς ἑορτῆς δ΄. Δόξα, τῆς ἑορτῆς. Καὶ νῦν, Ὑπερευλ. Δοξολ. Μεγ. Σήμερον σωτηρία, καὶ ἀπόλυσις. Εἰς τὴν Λειτουρ. τὰ ἀντίφωνα τῆς ἑορτῆς· μετὰ τὴν Εἴσοδ. τὸ Ἀναστάσ. Τροπ. τὸ τῆς ἑορτῆς, καὶ τὸ Κοντ. Ἀπόστ. καὶ Εὐαγγέλ. τῆς Κυριακῆς· εἰς τὸ Ἐξαιρέτως. Ὁ τόκος σου ἄφθορος ἐδείχθη. Κοινων. Ἐν τῷ φωτὶ τῆς δόξης. Μετεμορφώθης ἐν τῷ ὄρει, καὶ ἀπόλυσις.

Τῇ ιδ΄. προεόρτια τῆς Κοιμήσεως τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ τοῦ προφήτου Μιχαίου.

Εἰ τύχωσιν ἐν Κυρ. τῷ Σαβ. ἑσπέρας, μετὰ τὸ Ψαλτ. εἰς τὸ Κύριε ἐκέκρ. ψαλ. ἀναστάσ. ϛ΄. καὶ προεόρτια δ΄. Δόξα, Τὴν πάνσεπτόν σου Κοίμησιν (ζήτει εἰς τὸν στίχον τῆς ἑορτῆς). Καὶ νῦν, τὸ ά. Θεοτοκ. τοῦ ἤχου. Εἴσοδος. Φῶς ἱλαρόν· καὶ τὸ Προκείμ. τῆς ἡμέρας. Εἰς τὸν στίχ. τὰ ἀναστάσ. Δόξα, Καὶ νῦν. Ἡ τῶν οὐρανῶν ὑψηλοτέρα, (ζήτει εἰς τὴν Λιτήν). Τροπ. τὸ ἀναστάσ. τὸ προεόρτιον καὶ ἀπόλυσις.

Ἡ δὲ ἀκολ. τοῦ προφ. ψάλ. ἐν τοῖς ἀποδείπ.

Τὸ δὲ πρωῒ εἰς τὸν Ὄρθρον οἱ κανόνες ἀμφότεροι· ἀπὸ γ΄. ᾠδῆς, τὸ προεόρ. κάθισμα, ἅπαξ. ἀφ' ἕκτης, τὰ ἀνας.

αἱ Καταβ. Ἀνοίξω τὸ στόμα μου, τέλος, ταύτης τὴν Κοίμησιν· καὶ ἅπασα ἡ τάξις τοῦ ἑωθινοῦ Εὐαγγελ. Ἡ Τιμιωτ. Ἐξαποστ. ἀναστάσ. καὶ τὸ προεόρτ. Σοῦ τῆς σεπτῆς Κοιμήσεως· εἰς τοὺς Αἴνους, ἀναστάσ. δ'. καὶ προεόρτ. δ'. Δῆμος τῶν μαθητῶν, καὶ τὰ ἕτερα (ζήτει εἰς τὸν στίχον τοῦ μικροῦ ἑσπερινοῦ). Δόξα, τὸ ἑωθινόν, κτλ. Κοντάκ. Τῇ ἐνδόξῳ μνήμῃ σου (ζήτει ἀφ' ἕκτης)· καὶ καθ.

Ὡς καλὴ τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀκολουθία! Ὡς γλυκεῖα τῆς εὐφροσύνης ἡ διαδοχή! Ἰδοὺ γὰρ ἑορτὴν ἐξ ἑορτῆς, καὶ χάριν ἀντιλαμβάνομεν χάριτος.

Quam pulchra bonorum consequentia! Quam jucunda laetitiae successio! Ecce enim diem festum ex die festo, et gratiam pro gratia accipimus! (S. Gregor. Nyssen.)

Protestatio auctoris.

Quae in elogiis illustrium servorum Dei, nondum Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate Sanctorum, Beatorum aut Martyrum catalogo adscriptorum in hoc libro summatim perstringuntur de eorundem sanctitatis aut martyrii fama vel opinione, ea exacta omnino volumus ad Constit. Urbani PP. VIII. *Coelestis Hierusalem* ed. d. 5. Julii 1634 atque ad alia Decreta authentica ibidem relata, confirmata, declarata (Bullar. Rom. *tom. 5, pp. 260 seqq. edit. Luxemburg.).* Quemadmodum enim *Coelestis Hierusalem cives* rite canonizati *Sanctae Sedis Apostolicae ministerio a piis Christifidelibus honorantur in terris (Constit. cit. Hareng.),* ita solius Pontificis Romani est de sanctitate illorum judicare, qui quum heroica virtute claruisse videantur in terris, Sanctorum honores tamen hucusque non sunt adepti: *argum. c. Audivimus 1. X. de reliq. et venerat. SS. III, 45* (Alexand. III., an. 1170) *jcta. gl.* — Hoc tam sancte profitetur auctor, quam decet eum, qui et ipse obedientissimus Sanctae Sedis Apostolicae filius haberi, et ab ea ut in omni sua actione, ita nominatim in clericis sacro jure erudiendis dirigi cupit: a qua ubi sanctum *Domini expetitur* operi in vinea Ecclesiae aggrediendo perficiendoque, ibi *non obruta sulcis frumenta in lolium avenasque degenerant, sed cespite terra foecundo dominici seminis puritatem centeno fructu refert:* C. *Quoniam vetusto 25.* C. XXIV. q. 1. (s. Hieronym.).

Schema speciale
quatuor rituum ecclesiae orientalis.

I. Ritus graecus

gr. purus, gr. melchita, gr. slavus, gr. rumenus.

gr. ruthenus, gr. bulgaricus.

II. Ritus syriacus

syr. purus, syr. chaldaeus, syr. maroniticus.

syr. chald. proprie dictus, syr. malabaricus.

III. Ritus cophtus

copht. aegyptiacus, copht. abissinus seu aethiopicus.

IV. Ritus armenus.

Annum ecclesiasticum singulorum rituum hoc ordine describemus. Tomo I. ea persequemur, quae ad festa immobilia rituum graeci, syriaci puri et syro-maronitici referuntur; tomo II. vero cum festis mobilibus ritus graeci per partes consectemur, ea quae ad ritus armenum, cophtum, syro-chaldaicum et syro-malabaricum spectant. Plura dabunt indices synoptici priori huic tomo subjecti pp. 535—537.

Κατάμαθε πῶς μὲν, ἡνίκα ὁ νόμος ἐκράτει, τὰ τῶν ἀνθρώπων διέκειτο πράγματα, πῶς δὲ νῦν, ἐπειδὴ ἡ χάρις ἔλαμψεν. Ἃ γὰρ μηδενὶ πρότερον ἐδόκει εἶναι δυνατά, παρθενία καὶ θανάτου ὑπεροψία καὶ τῶν ἄλλων τῶν πλειόνων παθῶν ταῦτα πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κατώρθωται νῦν. Καὶ οὐ παρ᾽ ἡμῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ Σκύθαις καὶ Θρᾳξὶ καὶ Ἰνδοῖς καὶ Πέρσαις καὶ ἑτέροις δὲ βαρβάροις πλείοσι, καὶ παρθένων χοροὶ καὶ μαρτύρων δῆμοι καὶ μοναχῶν συμμορίαι, καὶ πλείους οὗτοι λοιπὸν τῶν γεγαμηκότων εἰσί, καὶ νηστείας ἐπίτασις καὶ ἀκτημοσύνης ὑπερβολή.

Disce quomodo, quando lex dominabatur, res mortalium se haberent; quomodo vero nunc, quum gratia effulserit. Quae enim ante nemini possibilia videbantur, virginitas, mortis contemptus compluresque alii labores, haec jam ubique terrarum praestantur, non apud nos tantum, sed etiam apud Scythas, Thraces, Indos, Persas aliosque Barbaros multos; et virginum chori, martyrum populis, monachorum sodalitates jam plures sunt, quam eorum, qui connubio junguntur, et jejunii frequentis ac paupertatis studium ingens. (S. Joan. Chrys. *Hom. 13. in epist. ad Rom.* § 7, apud Migne, Patr. gr. t. 60. p. 517.)

ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ.

KALENDARIUM.

ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
†	13	1	Σα.	Ἡ κατὰ σάρκα Περιτομὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Βασιλείου τοῦ Μεγάλου. Ἀργία.
†	14	2	Κυ.	Προεόρτια τῶν Φώτων κ. Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμ.
	15	3	Δε.	Μαλαχίου τοῦ προφήτου καὶ Γορδίου μάρτυρος.
	16	4	Τρ.	Ἡ σύναξις τῶν ο' ἀποστ. καὶ Θεοκτίστου τοῦ ὁσ.
	17	5	Τε.	Θεοπέμπτου καὶ Θεωνᾶ τῶν Μμ. καὶ Συγκλητικῆς τῆς ὁσίας. — Παραμονὴ τῶν Θεοφανείων. Νηστεία.
†	18	6	Πε.	Τὰ ἅγια Θεοφάνεια. Ἀργία καὶ κατ. εἰς πάντα.
†	19	7	Πα.	Ἡ σύναξις τοῦ Προδρόμου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατ.
	20	8	Σα.	Δομνίκης τῆς ὁσίας καὶ Γεωργίου τοῦ Χοζεβίτου.
†	21	9	Κυ.	Πολυεύκτου μάρτυρος.
	22	10	Δε.	Γρηγορίου ἐπισκ. Νύσσης καὶ Δομετιανοῦ Μελιτινῆς.
	23	11	Τρ.	Θεοδοσίου τοῦ Κοινοβιάρχου. Κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	24	12	Τε.	Τατιανῆς μάρτυρος.
	25	13	Πε.	Ἑρμύλου καὶ Στρατονίκου μαρτύρων.
	26	14	Πα.	Τῶν ἐν Ῥαϊθῷ καὶ Σινᾷ ἀναιρεθέντων πατέρων. Ἀπόδοσις τῶν Θεοφανείων.
	27	15	Σα.	Παύλου τοῦ Θηβαίου καὶ Ἰωάννου τοῦ Καλυβίτου.
†	28	16	Κυ.	(Τοῦ Τελώνου καὶ τοῦ Φαρισαίου) καὶ ἡ προσκύνησις τῆς τιμίας ἁλύσεως τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου. Κατ. οἴν. κ. ἐλ. — (Ἄρχεται τὸ Τριῴδιον).
†	29	17	Δε.	Ἀντωνίου τοῦ Μ. Ἀργία καὶ κατ. οἴν. κ. ἐλ.
†	30	18	Τρ.	Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου ἀρχιεπ. Ἀλεξανδρείας. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	31	19	Τε.	Μακαρίου τοῦ Αἰγυπτίου καὶ Ἀρσενίου Κερκύρας.
†	Φεβ.	20	Πε.	Εὐθυμίου τοῦ Μ. Ἀργία καὶ κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	2	21	Πα.	Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ Νεοφύτου μάρτ.
	3	22	Σα.	Τιμοθέου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Ἀναστασίου τοῦ Πέρσου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	4	23	Κυ.	(Τοῦ Ἀσώτου) καὶ Κλήμεντος Ἀγκύρας καὶ Ἀγαθαγγέλου μάρτ.
	5	24	Δε.	Ξένης τῆς ὁσίας.
†	6	25	Τρ.	Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου ἐπισκ. ΚΠ. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	7	26	Τε.	Ξενοφῶντος τοῦ ὁσίου καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.
†	8	27	Πε.	Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	9	28	Πα.	Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου τοῦ ὁσίου.
	10	29	Σα.	(Ψυχοσάββατον· τῶν κεκοιμημένων) καὶ ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου.
†	11	30	Κυ.	(Τῆς Ἀποκρέω) καὶ Ἱππολύτου ἱερομ. καὶ τῶν τριῶν Ἱεραρχῶν. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	12	31	Δε.	Κύρου καὶ Ἰωάννου τῶν θαυματουργῶν ἀναργύρων.

JANUARIUS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini, *duplex 2. classis.*
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani, *duplex.* Com. Octavar.
xxviij	c	iij	3	Octava S. Joannis Apost. *duplex.* Com. Oct.
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS. Innocentium, *duplex.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniae, *semiduplex.* Com. S. Telesphori Papae et Mart.
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini, *duplex 1. classis.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniae, *semiduplex.*
xxiij	A	vj	8	De Octava, *semiduplex.*
xxij	b	v	9	De Octava, *semiduplex.*
xxj	c	iv	10	De Octava, *semiduplex.*
xx	d	iij	11	De Oct. *semid.* Com. S. Hygini Papae et Mart.
xix	e	Prid.	12	De Octava, *semiduplex.*
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniae, *duplex.*
				* *Dom. ij. post Epiph.* Festum SS. Nominis Jesu, *duplex 2. cl.*
xvij	g	xix	14	Hilarii Episc., Conf. et Doct. *duplex.* Com. S. Felicis Presb. et Mart.
xvj	A	xviij	15	Pauli primi Erem., *dupl.* Com. S. Mauri Abb.
xv	b	xvij	16	Marcelli Papae et Mart. *semiduplex.*
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis, *duplex.*
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romae, *duplex majus* Com. S. Priscae Virg. et Mart.
xij	e	xiv	19	Canuti Regis et Mart. *semiduplex ad libit.* Com. SS. Marii, etc. Mart.
xj	f	xiij	20	Fabiani et Sebastiani Mart. *duplex.*
x	g	xij	21	Agnetis Virg. et Mart. *duplex.*
ix	A	xj	22	Vincentii et Anastasii Mart. *semiduplex.*
viij	b	x	23	Raymundi de Pennafort Conf. *semiduplex.* Com. S. Emerentianae Virg. et Mart.
vij	c	ix	24	Timothei Episc. et Mart. *duplex.*
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apost. *duplex majus.*
v	e	vij	26	Polycarpi Episc. et Mart. *duplex.*
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi Episc., Conf. et D. *dupl.*
iij	g	v	28	Agnetis secundo.
ij	A	iv	29	Francisci Salesii Episc. Conf. et D. *duplex.*
j	b	iij	30	Martinae Virg. et Mart. *semiduplex.*
*	c	Prid.	31	Petri Nolasci Conf. *duplex.*

Ex appendice Breviarii.

23. Jan. Desponsatio B. M. V. cum s. Josepho, *duplex majus.*
Fer. III. post Dom. Sept. Orat. D. N. J. C. in Mont. Oliv., *duplex majus.*
Fer. III. post Dom. Sexag. Passionis D. N. J. C., *duplex majus.*

ΦΕΒΡΟΥΑΡΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Τρ.	(Τῆς Κατηχήσεως) καὶ Προεόρτια τῆς Ὑπαπαντῆς καὶ Τρύφωνος μάρτυρος.
†	14	2	Τε.	Ἡ Ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατάλυσις.
	15	3	Πε.	Συμεὼν τοῦ Θεοδόχου καὶ τῆς προφήτιδος Ἄννης.
	16	4	Πα.	Ἰσιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου.
	17	5	Σα.	(Ψυχοσάββατον· τῶν ἐν ἀσκήσει λαμψάντων) καὶ Ἀγάθης μάρτυρος.
†	18	6	Κυ.	(Τῆς Τυροφάγου) καὶ Βουκόλου ἐπισκ. Σμύρνης.
	19	7	Δε.	Παρθενίου ἐπισκ. Λαμψάκου καὶ Λουκᾶ τοῦ ὁσίου. (Ἄρχεται ἡ ἁγία καὶ μεγάλη Τεσσαρακοστή).
	20	8	Τρ.	Θεοδώρου τοῦ Στρατηλάτου καὶ Ζαχαρίου τοῦ προφήτου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	21	9	Τε.	Νικηφόρου μάρτυρος.
†	22	10	Πε.	Χαραλάμπους ἱερομάρτυρος. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	23	11	Πα.	Βλασίου ἱερομάρτυρος. Κατ. οἴνου καὶ ἐλ.
	24	12	Σα.	(Τοῦ παρὰ Θεοδώρου τοῦ Τήρωνος διὰ τῶν Κολλύβων γενομένου θαύματος) καὶ Μελετίου ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας.
†	25	13	Κυ.	(Τῆς Ὀρθοδοξίας) καὶ Μαρτινιανοῦ τοῦ ὁσίου.
	26	14	Δε.	Αὐξεντίου τοῦ ὁσίου.
	27	15	Τρ.	Ὀνησίμου τοῦ ἀποστόλου.
	28	16	Τε.	Παμφίλου μάρτ. καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.
	Μάρτ	17	Πε.	Θεοδώρου τοῦ Τήρωνος. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	2	18	Πα.	Λέοντος Πάπα Ῥώμης.
	3	19	Σα.	Ἀρχίππου τοῦ ἀποστόλου.
†	4	20	Κυ.	(Β΄. τῶν νηστειῶν) καὶ Λέοντος ἐπισκ. Κατάνης.
	5	21	Δε.	Τιμοθέου τοῦ ἐν Συμβόλοις καὶ Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας.
	6	22	Τρ.	Ἡ εὕρεσις τῶν λειψάνων τῶν ἐν Εὐγενίοις Μμ.
	7	23	Τε.	Πολυκάρπου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Σμύρνης.
	8	24	Πε.	Ἡ α΄. καὶ β΄. εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	9	25	Πα.	Ταρασίου ἀρχιεπισκ. Κωνσταντινουπόλεως.
	10	26	Σα.	Πορφυρίου ἐπισκόπου Γάζης.
†	11	27	Κυ.	(Τῆς Σταυροπροσκυνήσεως) καὶ Προκοπίου τοῦ Δεκαπολίτου, τοῦ ὁμολογητοῦ.
	12	28	Δε.	Βασιλείου τοῦ ὁμολογητοῦ, συνασκητοῦ τοῦ ἁγίου Προκοπίου.
		29		(Εἰ ἔστι βίσεκτος) Κασσιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου.

FEBRUARIUS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxix	d	Kal.	1	Ignatii Episc. et Mart. *duplex.*
xxviij	e	iv	2	Purificatio B. M. V. *duplex 2. cl.*
xxvij	f	iij	3	Blasii Episcopi et Martyris.
25. xxvj	g	Prid.	4	Andreae Corsini Episc. et Conf. *duplex.*
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathae Virg. et Mart. *duplex.*
xxiij	b	viij	6	Titi Episc. et Conf. *duplex.* cum com. S. Dorotheae Virg. et Mart.
xxij	c	vij	7	Romualdi Abbatis, *duplex.*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha Conf. *duplex.*
xx	e	v	9	Cyrilli Alex. E. C. D. *dupl.* Com. S. Apolloniae Virg. et Mart.
xix	f	iv	10	Scholasticae Virginis, *duplex.*
xviij	g	iij	11	VII Fund. O. Serv. B. M. V. CC. *duplex.*
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	Valentini Presb. et Mart.
xiv	d	xv	15	Faustini et Jovitae Mart.
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis Episc. et Mart.
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiae, *duplex maj.*
vj	e	vij	23	Petri Damiani Episc., Conf. et Doct. *duplex.* Com. Vigiliae.
v	f	vj	24	Mathiae Apostoli, *duplex 2. cl.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum s. Mathiae celebratur 25. Februarii, et bis dicitur *Sexto Kalendas*, id est die 24 et die 25, et litera Dominicalis, quae assumpta fuit in mense Januario, mutatur in praecedentem; ut, si in Januario Litera Dominicalis fuerit A, mutatur in praecedentem, quae est g, etc. et Litera f bis servit 24 et 25.

Ex appendice Breviarii.

Fer. VI. post Dom. Quinquag. Spin. Coron. D. N. J. C. *dupl. maj.*
Fer. VI. post Dom. I. Quadrag. Lanc. et Clav. D. N. J. C. *dupl. maj.*
Fer. VI. post Dom. II. Quadrag. Sindonis D. N. J. C. *dupl. maj.*

ΜΑΡΤΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	*Τρ.*	*Εὐδοκίας ὁσιομάρτυρος.*
	14	2	*Τε.*	*Θεοδότου ἱερομάρτυρος.*
	15	3	*Πε.*	*Εὐτροπίου, Κλεονίκου καὶ Βασιλίσκου μαρτύρων.*
	16	4	*Πα.*	*Γερασίμου τοῦ ὁσίου τοῦ ἐν Ἰορδάνῃ.*
	17	5	*Σα.*	*Κόνωνος μάρτυρος.*
†	18	6	*Κυ.*	*(Δ΄. τῶν νηστειῶν. Ἰωάννου τοῦ συγγραφέως τῆς Κλίμακος) καὶ τῶν ἐν Ἀμορίῳ μβ΄ μαρτύρων.*
	19	7	*Δε.*	*Τῶν ἐν Χερσῶνι ἱερομαρτύρων Καπίτωνος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*
	20	8	*Τρ.*	*Θεοφυλάκτου ἐπισκόπου Νικομηδείας.*
†	21	9	*Τε.*	*Τῶν ἐν Σεβαστείᾳ μ΄ μαρτ. Ἀργία κ. κατ. οἶν. κ. ἐλ.*
	22	10	*Πε.*	*(Ψάλλεται Κανὼν ὁ Μέγας) καὶ Κοδράτου μάρτυρος καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.*
	23	11	*Πα.*	*Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων.*
	24	12	*Σα.*	*(Ψάλλεται ὁ ἀκάθιστος ὕμνος) καὶ Θεοφάνους τοῦ ὁμολογητοῦ.*
†	25	13	*Κυ.*	*(Ε΄. τῶν νηστειῶν. Ψάλλεται ἡ ἀκολουθία Μαρίας τῆς Αἰγυπτίας) καὶ ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου Νικηφόρου Κωνσταντινουπόλεως.*
	26	14	*Δε.*	*Βενεδίκτου τοῦ ὁσ. κ. Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐν Πύδνῃ μάρτ.*
	27	15	*Τρ.*	*Ἀγαπίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ς΄ μαρτύρων.*
	28	16	*Τε.*	*Σαβίνου μάρτυρος.*
	29	17	*Πε.*	*Ἀλεξίου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ.*
	30	18	*Πα.*	*Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων.*
	31	19	*Σα.*	*(Τοῦ Λαζάρου) καὶ Χρυσάνθου καὶ Δαρείας Μμ.*
†	*Ἀπρ*	20	*Κυ.*	*(Τῶν Βαΐων) καὶ τῶν ἐν τῇ Μονῇ τοῦ ἁγίου Σάββα ἀναιρεθέντων ὁσίων πατέρων.*
	2	21	*Δε.*	*Ἰακώβου τοῦ ὁμολογητοῦ. (Ἄρχεται ἡ ἁγία καὶ μεγάλη ἑβδομάς.)*
	3	22	*Τρ.*	*Βασιλείου ἱερομάρτυρος.*
	4	23	*Τε.*	*Νίκωνος ὁσιομάρτυρος καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.*
	5	24	*Πε.*	*Προεόρτια τοῦ Εὐαγγελισμοῦ καὶ Ζαχαρίου τοῦ ὁσίου.*
†	6	25	*Πα.*	*Ὁ Εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκου. Ἀργία κ. ἰχθύος κατ.*
	7	26	*Σα.*	*Ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχαγγέλου Γαβριήλ. Κατ. οἶν. κ. ἐλ.*
†	8	27	*Κυ.*	*(ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΑΣΧΑ. Ἀργία καὶ κατάλυσις πάντων καθ' ὅλην τὴν ἑβδομάδα τῆς διακαινησίμου) καὶ Ματρώνης τῆς ὁσίας.*
	9	28	*Δε.*	*Στεφάνου τοῦ ὁσίου καὶ Ἱλαρίωνος τοῦ νέου.*
	10	29	*Τρ.*	*Μάρκου ἐπισκ. Ἀρεθουσίων κ. Κυρίλλου διακόνου.*
	11	30	*Τε.*	*Ἰωάννου τοῦ συγγραφέως τῆς Κλίμακος.*
	12	31	*Πε.*	*Ὑπατίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Γαγγρῶν.*

MARTIUS.

Cycl.	Ep.	L.	D.	D. m.	
	*	d	Kal.	1	
	xxix	e	vj	2	
	xxviij	f	v	3	
	xxvij	g	iv	4	Casimiri Conf. *semiduplex.* Com. S. Lucii Papae et Mart.
	xxvj	A	iij	5	
25.	xxv	b	Prid.	6	
	xxiv	c	Non.	7	Thomae de Aquino Conf. et Doct. *dupl* Com. SS. Perpetuae et Felicitatis Mart
	xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo Conf. *duplex.*
	xxij	e	vij	9	Franciscae Viduae Romanae, *duplex.*
	xxj	f	vj	10	Quadraginta Mart. *semiduplex.*
	xx	g	v	11	
	xix	A	iv	12	Gregorii Papae. Conf. et Doct. *duplex.*
	xviij	b	iij	13	
	xvij	c	Prid.	14	
	xvj	d	Idib.	15	
	xv	e	xvij	16	
	xiv	f	xvj	17	Patritii Episc. et Conf. *duplex.*
	xiij	g	xv	18	Cyrilli Hierosol. Ep. Conf. Doct. *dupl.*
	xij	A	xiv	19	Joseph Sponsi B. M. V. Conf. *dupl. 1. cl.*
	xj	b	xiij	20	
	x	c	xij	21	Benedicti Abbatis, *duplex majus.*
	ix	d	xj	22	
	viij	e	x	23	
	vij	f	ix	24	
	vj	g	viij	25	Annuntiatio B. M. V. *duplex 2. cl.*
	v	A	vij	26	
	iv	b	vj	27	Joannis Damasc. Conf. Doct. *dupl.*
	iij	c	v	28	Joannis a Capistrano Conf. *semidupl.*
	ij	d	iv	29	
	j	e	iij	30	
	*	f	Prid.	31	
					**Fer. VI. post Dom. Passionis.* Septem Dolorum B. M. V. *dupl. majus.*

Ex appendice Breviarii.

Fer. VI. post Dom. III. Quadrag. Quinq. Vuln. D. N. J. C. *dupl. maj.*
Fer. VI. post Dom. IV. Quadrag. Pret. Sang. D. N. J. C. *dupl. maj.*

ΑΠΡΙΛΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
†	13	1	Πα.	Μαρίας ὁσίας τῆς Αἰγυπτίας.
	14	2	Σα.	Τίτου τοῦ ὁσίου καὶ θαυματουργοῦ.
†	15	3	Κυ.	(Τοῦ Θωμᾶ) καὶ Νικήτα τοῦ ὁσίου.
	16	4	Δε.	Ἰωσὴφ τοῦ ὑμνογράφου καὶ Γεωργίου τοῦ ὁσίου τοῦ ἐν τῷ Μαλεῷ.
	17	5	Τρ.	Κλαυδίου, Θεοδώρου καὶ ἄλλων ε΄ μαρτύρων.
	18	6	Τε.	Εὐτυχίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.
	19	7	Πε.	Καλλιοπίου μάρτ. καὶ Γεωργίου ἐπισκ. Μιτυλήνης.
	20	8	Πα.	Τῶν ἀποστόλων Ἡρωδίωνος, Ἀγάβου, Ῥούφου, Ἀσυγκρίτου, Φλέγοντος καὶ Ἑρμοῦ ἐκ τῶν ο΄.
	21	9	Σα.	Εὐψυχίου μάρτυρος.
†	22	10	Κυ.	(Τῶν Μυροφόρων) καὶ Τερεντίου, Πομπηΐου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς.
	23	11	Δε.	Ἀντίπα ἱερομάρτυρος ἐπισκ. Περγάμου.
	24	12	Τρ.	Βασιλείου τοῦ ὁμολογητοῦ ἐπισκόπου Παρίου.
	25	13	Τε.	Μαρτίνου τοῦ ὁμολογητοῦ Πάπα Ῥώμης.
	26	14	Πε.	Ἀριστάρχου, Πούδη καὶ Τροφίμου τῶν ἀποστόλων ἐκ τῶν ο΄.
	27	15	Πα.	Κρήσκεντος μάρτυρος.
	28	16	Σα.	Ἀγάπης, Εἰρήνης καὶ Χιονίας τῶν αὐταδέλφων.
†	29	17	Κυ.	(Τοῦ Παραλύτου) καὶ Συμεὼν ἱερομ. τοῦ ἐν Περσίδι.
	30	18	Δε.	Ἰωάννου τοῦ ὁσίου, μαθητοῦ Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου.
Μάϊ		19	Τρ.	Παφνουτίου ἱερομ. κ. Ἰωάννου τοῦ παλαιολαυρίτου.
	2	20	Τε.	(Τῆς Μεσοπεντηκοστῆς) καὶ Θεοδώρου ὁσίου τοῦ Τριχινᾶ.
	3	21	Πε.	Ἰανουαρίου ἱερομ. καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ καὶ Θεοδώρου, τοῦ ἐν Πέργῃ ἱερομάρτυρος.
	4	22	Πα.	Θεοδώρου τοῦ Σικεώτου.
†	5	23	Σα.	Γεωργίου μεγαλομάρτυρος τοῦ Τροπαιοφόρου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	6	24	Κυ.	(Τῆς Σαμαρείτιδος) καὶ Ἐλισάβετ τῆς ὁσίας καὶ Σάββα μάρτυρος.
	7	25	Δε.	Μάρκου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	8	26	Τρ.	Βασιλέως ἱερομάρτυρος, ἐπισκόπου Ἀμασείας.
	9	27	Τε.	Συμεών, συγγενοῦς τοῦ Κυρίου, ἱερομάρτυρος.
	10	28	Πε	Τῶν ἐν Κυζίκῳ θ΄ μαρτύρων καὶ Μέμνονος τοῦ ὁσ.
	11	29	Πα.	Ἰάσωνος καὶ Σωσιπάτρου τῶν ἀποστόλων καὶ Δάδα Μαξίμου καὶ Κοντιλιανοῦ μαρτ.
	12	30	Σα.	Ἰακώβου τοῦ Ἀποστόλου, ἀδελφοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

APRILIS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula Conf. *duplex.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Isidori Episc., Conf. et Doct. *duplex.*
xxv. xxiv	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii Conf. *duplex.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis I. Papae, Conf. et Doct. *duplex.*
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Hermenegildi Mart. *semiduplex.*
xv	f	xviij	14	Justini M. *dupl.* Com. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi, Mart.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti Papae et Martyris.
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi Episc., Conf. et Doct. *duplex.*
vij	g	x	22	Soteris et Caji Pont. et Mart. *semiduplex.*
vj	A	ix	23	Georgii Martyris, *semiduplex.*
v	b	viij	24	Fidelis a Sigmaringa Mart. *duplex.*
iv	c	vij	25	Marci Evangelistae, *duplex 2. cl.*
iij	d	vj	26	Cleti et Marcellini Pont. et Mart. *semid.*
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Pauli a Cruce Conf. *duplex.* Com. S. Vitalis Mart.
*	g	iij	29	Petri Martyris, *duplex.*
xxix	A	Prid.	30	Catharinae Senensis Virg. *duplex.*
				**Dominica III. post Pascha.* Patrocin. s. Joseph, sponsi B. M. V. *dupl. 2. classis.*

ΜΑΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
†	13	1	Κυ.	(Τοῦ Τυφλοῦ) καὶ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου.
	14	2	Δε.	Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου Ἀθανασίου τοῦ Μ. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	15	3	Τρ.	Τιμοθέου καὶ Μαύρας τῶν μαρτύρων.
	16	4	Τε.	Πελαγίας μάρτυρος.
†	17	5	Πε.	(Τῆς Ἀναλήψεως) καὶ Εἰρήνης μάρτυρος.
	18	6	Πα.	Ἰὼβ τοῦ δικαίου καὶ πολυάθλου.
	19	7	Σα.	Ἡ ἀνάμνησις τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ φανέντος σημείου τοῦ Σταυροῦ ἐν Ἱερουσαλήμ.
†	20	8	Κυ.	(Ἡ μνήμη τῶν ἐν Νικαίᾳ τιη´ πατέρων) καὶ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου καὶ Ἀρσενίου τοῦ Μεγάλου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	21	9	Δε.	Ἡσαΐου τοῦ προφήτου καὶ Χριστοφόρου μάρτυρος.
	22	10	Τρ.	Σίμωνος Ἀποστόλου τοῦ Ζηλωτοῦ.
	23	11	Τε.	Μωκίου ἱερομάρτυρος καὶ τὰ Γενέθλια τῆς Κωνσταντινουπόλεως.
	24	12	Πε.	Ἐπιφανίου ἐπισκ. Κύπρου κ. Γερμανοῦ ἀρχιεπ. ΚΠ.
	25	13	Πα.	Γλυκερίας μάρτυρος.
	26	14	Σα.	(Τῶν κεκοιμημένων) καὶ τοῦ ἐν Χίῳ Ἰσιδώρου μάρτ.
†	27	15	Κυ.	(Τῆς Πεντηκοστῆς. Ἀργία τριήμερος καὶ κατάλυσις εἰς πάντα καθ' ὅλην τὴν ἑβδ.) καὶ Παχωμίου τοῦ Μεγάλου καὶ Ἀχιλλίου ἀρχιεπισκόπου Λαρίσσης. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	28	16	Δε.	Θεοδώρου τοῦ ἡγιασμένου μαθητοῦ τοῦ ὁσ. Παχωμ.
	29	17	Τρ.	Ἀνδρονίκου καὶ Ἰουνίας τῶν ἀποστόλων.
	30	18	Τε.	Πέτρου, Διονυσίου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς μαρτύρων.
	31	19	Πε.	Πατρικίου ἱερομάρτ. καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.
	Ἰούν.	20	Πα.	Θαλλελαίου μάρτυρος.
†	2	21	Σα.	Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης μεγάλων Βασιλέων καὶ ἰσαποστόλων. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλ.
†	3	22	Κυ.	(Τῶν Ἁγίων Πάντων) καὶ Βασιλίσκου μάρτυρος.
	4	23	Δε.	Μιχαὴλ τοῦ ὁμολογητοῦ ἐπισκόπου Συννάδων. (Ἄρχεται ἡ νηστεία τῶν ἁγίων Ἀποστόλων.)
	5	24	Τρ.	Συμεὼν τοῦ ἐν τῷ Θαυμαστῷ Ὄρει.
	6	25	Τε.	Ἡ τρίτη εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	7	26	Πε.	Κάρπου τοῦ ἀποστόλου ἐκ τῶν ο´.
	8	27	Πα.	Ἑλλαδίου ἱερομάρτυρος.
	9	28	Σα.	Εὐτυχοῦς ἱερομάρτυρος.
†	10	29	Κυ.	Θεοδοσίας μάρτυρος.
	11	30	Δε.	Ἰσαακίου ἡγουμένου τῆς Μονῆς τῶν Δαλμάτων.
	12	31	Τρ.	Ἑρμείου μάρτυρος.

MAJUS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxviij	b	Kal.	1	Philippi et Jacobi Apost. *dupl. 2. cl.*
xxvij	c	vj	2	Athanasii Episc., Conf. et Doct. *duplex.*
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *dupl. 2. cl.* Com. SS. Alexandri, etc. Mart. ac Juvenalis Ep. et Conf.
xxv. 25.	e	iv	4	Monicae Viduae, *duplex.*
xxiv	f	iij	5	Pii V. Papae et Conf. *duplex.*
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante portam Latinam, *dupl. maj.*
xxij	A	Non.	7	Stanislai Episc. et Mart. *duplex.*
xxj	b	viij	8	Apparitio S. Michaelis Archangeli, *dupl. maj.*
xx	c	vij	9	Gregorii Naz. Episc., Conf. et Doct. *dupl.*
xix	d	vj	10	Antonini Episc. et Conf. *duplex.* Com. SS. Gordiani et Epimachi Mart.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Nerei, Achillei, Domitillae Virg. atque Pancratii Mart. *semiduplex.*
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Ubaldi Episc. et Conf. *semiduplex.*
xij	d	xvj	17	Paschalis Baylon Conf. *duplex.*
xj	e	xv	18	Venantii Martyris, *duplex.*
x	f	xiv	19	Petri Coelestini Papae et Conf. *duplex.* Com. S. Pudentianae Virg.
ix	g	xiij	20	Bernardini Senensis Conf. *semiduplex.*
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Gregorii VII. Papae et Conf. *duplex.* Com. S. Urbani Papae et Mart.
iij	f	vij	26	Philippi Nerii Conf. *duplex.* Com. S. Eleutherii Papae et Mart.
ij	g	vj	27	Mariae Magdalenae de Pazzis Virg. *semid.* Com. S. Joannis Papae et Mart.
j	A	v	28	Augustini Ep. et Conf. *duplex.*
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Felicis Papae et Martyris.
xxviij	d	Prid.	31	Angelae Merici Virginis, *duplex.* Com. S. Petronillae Virginis.
				**Fer. VI. post oct. Corporis Christi.* SS. Cordis Jesu, *dupl. 1. classis.*

ΙΟΥΝΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Τε.	Ἰουστίνου τοῦ Φιλοσόφου μάρτ. καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.
	14	2	Πε.	Νικηφόρου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ὁμολογητοῦ.
	15	3	Πα.	Λουκιλλιανοῦ μάρτυρος κ. Παύλης κ. τῶν σὺν αὐτοῖς.
	16	4	Σα.	Μητροφάνους ἀρχιεπ. Κωνσταντινουπόλεως.
†	17	5	Κυ.	Δωροθέου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Τύρου.
	18	6	Δε.	Βησσαρίωνος τοῦ ὁσίου καὶ Ἱλαρίωνος τοῦ νέου.
	19	7	Τρ.	Θεοδότου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Ἀγκύρας.
	20	8	Τε.	Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου Θεοδώρου τοῦ Στρατηλάτου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	21	9	Πε.	Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας.
	22	10	Πα.	Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀντωνίνης μαρτύρων καὶ Τιμοθέου ἱερομάρτυρος.
	23	11	Σα.	Βαρθολομαίου καὶ Βαρνάβα τῶν Ἀποστόλων. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	24	12	Κυ.	Ὀνοφρίου καὶ Πέτρου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ.
	25	13	Δε.	Ἀκυλίνης μάρτυρος.
	26	14	Τρ.	Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου καὶ Μεθοδίου ἀρχιεπ. ΚΠ.
	27	15	Τε.	Ἀμὼς τοῦ προφήτου.
	28	16	Πε.	Τύχωνος ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος τῆς Κύπρου.
	29	17	Πα.	Μανουὴλ, Σαβὲλ καὶ Ἰσμαὴλ μαρτύρων.
	30	18	Σα.	Λεοντίου μάρτυρος.
	Ἰούλ.	19	Κυ.	Ἰούδα τοῦ Ἀποστόλου.
	2	20	Δε.	Μεθοδίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Πατάρων.
	3	21	Τρ.	Ἰουλιανοῦ μάρτυρος τοῦ Ταρσέως.
	4	22	Τε.	Εὐσεβίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Σαμωσάτων.
	5	23	Πε.	Ἀγριππίνης μάρτυρος.
†	6	24	Πα.	Τὸ Γενέθλιον τοῦ Προδρόμου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατάλυσις.
	7	25	Σα	Φεβρωνίας ὁσιομάρτυρος.
†	8	26	Κυ.	Δαβὶδ τοῦ ὁσίου τοῦ ἐν Θεσσαλονίκῃ.
	9	27	Δε.	Σαμψὼν ὁσίου τοῦ Ξενοδόχου.
	10	28	Τρ.	Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων Κύρου καὶ Ἰωάννου τῶν ἀναργύρων.
†	11	29	Τε.	Πέτρου καὶ Παύλου τῶν κορυφαίων Ἀποστόλων. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατάλυσις.
†	12	30	Πε.	Ἡ σύναξις τῶν ιβ' Ἀποστόλων. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

JUNIUS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Marcellini, Petri, atque Erasmi Mart.
xxv. xxiv	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	Francisci Caracciolo Conf. *duplex.*
xxij	b	Non.	5	Bonifacii Episc. et Mart. *duplex.*
xxj	c	viij	6	Norberti Episc. et Conf. *duplex.*
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviij	f	v	9	Primi et Feliciani Martyrum.
xvij	g	iv	10	Margaritae Reginae Scotiae Vid. *semid.*
xvj	A	iij	11	Barnabae Apostoli, *duplex majus.*
xv	b	Prid.	12	Joannis a S. Facundo Conf. *duplex.* Com. SS. Basilidis, etc. Mart
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua Conf. *duplex.*
xiij	d	xviij	14	Basilii Magni Episc., Conf. et Doct. *dupl.*
xij	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiae Mart.
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci et Marcelliani Martyrum.
viij	b	xiij	19	Julianae de Falconeriis Virg. *dupl.* Com. SS. Gervasii et Protasii Mart.
vij	c	xij	20	Silverii Papae et Martyris.
vj	d	xj	21	Aloysii Gonzagae Conf. *duplex.*
v	e	x	22	Paulini Episc. et Conf.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptistae, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
ij	A	vij	25	Guilielmi Abb. *duplex.* Com. Oct
j	b	vj	26	Joannis et Pauli Mart. *dupl.* Com. Oct.
*	c	v	27	De Octava Nativit. S. Joannis. *semid.*
xxix	d	iv	28	Leonis II. Papae et Conf. *semid.* Com. Oct. et Vigiliae.
xxviij	e	iij	29	Petri et Pauli Apost. *dupl. 1. cl.* cum Oct.
xxvij	f	Prid.	30	Com. S. Pauli Apostoli, *duplex majus*, com. Oct. Nativ. S. Joannis.

ΙΟΥΛΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Πα.	Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ τῶν ἀναργύρων. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	14	2	Σα.	Ἡ ἐν Βλαχέρναις κατάθεσις τῆς ἐσθῆτος τῆς Θεοτόκου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	15	3	Κυ.	Ὑακίνθου μάρτυρος καὶ Ἀνατολίου ἀρχιεπ. ΚΠ.
	16	4	Δε.	Ἀνδρέου Κρήτης τοῦ Ἱεροσολυμίτου.
	17	5	Τρ.	Μάρθας, μητρὸς τοῦ ἁγ. Συμεὼν καὶ Ἀθανασίου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ καὶ τοῦ Λαμπαδοῦ τοῦ θαυματ.
	18	6	Τε.	Σισώη τοῦ Μεγάλου.
	19	7	Πε.	Θωμᾶ τοῦ ἐν τῷ Μαλεῷ καὶ Ἀκακίου τοῦ ἐν τῇ Κλίμακι καὶ Κυριακῆς τῆς μεγαλομάρτυρος.
	20	8	Πα.	Προκοπίου μεγαλομάρτυρος.
	21	9	Σα.	Παγκρατίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Ταυρομενίας.
†	22	10	Κυ.	Τῶν ἐν Νικοπόλει με' μαρτύρων.
	23	11	Δε.	Εὐφημίας τῆς μεγαλομάρτυρος.
	24	12	Τρ.	Πρόκλου καὶ Ἱλαρίου τῶν μαρτύρων.
	25	13	Τε.	Ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ καὶ Στεφάνου τοῦ Σαββαΐτου.
	26	14	Πε.	Ἀκύλα τοῦ ἀποστόλου καὶ Ἰωσὴφ Θεσσαλ.
	27	15	Πα.	Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης τῶν μαρτύρων.
	28	16	Σα.	Ἀθηνογένους ἱερομάρτυρος.
†	29	17	Κυ.	(Τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν ταῖς ς' οἰκουμενικ. Συνόδοις) καὶ Μαρίνης τῆς μεγαλομάρτυρος. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	30	18	Δε.	Αἰμιλιανοῦ μάρτυρος.
	31	19	Τρ.	Δίου καὶ Μακρίνης τῶν ὁσίων.
†	Αὔγ.	20	Τε.	Τοῦ προφήτου τοῦ Ἡλίου. Ἀργία κ. κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	2	21	Πε.	Συμεὼν τοῦ διὰ Χριστὸν Σαλοῦ καὶ Ἰωάννου τοῦ συνασκητοῦ αὐτοῦ.
	3	22	Πα.	Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς. Κατάλυσις οἴν. κ. ἐλ.
	4	23	Σα.	Φωκᾶ ἱερομάρτυρος καὶ Ἰεζεκιὴλ τοῦ προφήτου.
†	5	24	Κυ.	Χριστίνης τῆς μεγαλομάρτυρος.
†	6	25	Δε.	Ἡ Κοίμησις τῆς Ἄννης. Ἀργία κ. κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	7	26	Τρ.	Ἑρμολάου ἱερομάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ Παρασκευῆς τῆς ὁσιομάρτυρος. Κατ. οἴν. κ. ἐλ.
†	8	27	Τε.	Παντελεήμονος τοῦ μεγαλομ. Ἀργία κ. κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	9	28	Πε.	Προχόρου, Νικάνορος, Τίμωνος καὶ Παρμενᾶ, τῶν ἀποστόλων καὶ διακόνων.
	10	29	Πα.	Καλλινίκου καὶ Θεοδότης τῶν μαρτύρων.
	11	30	Σα.	Σίλα καὶ Σιλουανοῦ τῶν ἀποστόλων ἐκ τῶν ο'.
†	12	31	Κυ.	Εὐδοκίμου τοῦ δικαίου, καὶ προεόρτια τῆς προελεύσεως τοῦ τιμίου Σταυροῦ.

JULIUS.

Cycl.	Ep.	L.	D.	D. m.	
	xxvj	g	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptistae, *duplex.* Com. Oct. Apost.
25.	xxv	A	vj	2	Visitatio B. M. V. *duplex 2. cl.* Com. SS. Processi et Martiniani Mart.
	xxiv	b	v	3	De Octava SS. Apost. *semiduplex.*
	xxiij	c	iv	4	De Octava, *semiduplex.*
	xxij	d	iij	5	Cyrilli et Methodii EE. CC. *dupl.* Com. Oct.
	xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Apost. Petri et Pauli. *dupl.*
	xx	f	Non.	7	
	xix	g	viij	8	Elisabeth Reginae Portugalliae Vid. *semid.*
	xviij	A	vij	9	
	xvij	b	vj	10	Septem Fratrum et SS. Rufinae ac Secundae Virg. et Mart. *semiduplex.*
	xvj	c	v	11	Pii Papae et Martyris.
	xv	d	iv	12	Joannis Gualberti Abb. *duplex.* Com. SS. Naboris et Felicis Mart.
	xiv	e	iij	13	Anacleti Papae et Mart. *semiduplex.*
	xiij	f	Prid.	14	Bonaventurae Episc., Conf. et Doct. *dupl.*
	xij	g	Idib.	15	Henrici Imperatoris Conf. *semiduplex.*
	xj	A	xvij	16	B. M. V. de Monte Carmelo, *dupl. maj.*
	x	b	xvj	17	Alexii Conf. *semiduplex.*
	ix	c	xv	18	Camilli de Lellis, Conf. *duplex.* Com. S. Symphorosae cum 7 filiis Mart.
	viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo Conf. *duplex.*
	vij	e	xiij	20	Hieronymi Aemiliani Conf. *duplex.* Com. S. Margaritae Virg. et Mart.
	vj	f	xij	21	Praxedis Virginis.
	v	g	xj	22	Mariae Magdalenae, *duplex.*
	iv	A	x	23	Apollinaris Episc. et Mart. *duplex.* Com. S. Liborii Episc. et Conf.
	iij	b	ix	24	Vigilia et Com. S. Christinae Virg. et Mart.
	ij	c	viij	25	Jacobi Apost. *duplex 2. cl.* Com. S. Christophori Mart.
	j	d	vij	26	Annae Matris B. M. V. *duplex 2. cl.*
	*	e	vj	27	Pantaleonis Martyris.
	xxix	f	v	28	Nazarii, Celsi et Victoris Papae Mart., ac Innocentii Papae et Conf. *semiduplex.*
	xxviij	g	iv	29	Marthae Virg. *semid.* Com. SS. Felicis Papae, Simplicii, etc. Martyrum.
	xxvij	A	iij	30	Abdon et Sennen, Martyrum.
25.	xxvj	b	Prid.	31	Ignatii de Loyola Conf. *duplex.*

**Dom. I.* Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dupl. 2. cl.*

ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Δε.	Ἡ πρόοδος τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ Σταυροῦ, καὶ τῶν ἑπτὰ παίδων τῶν Μακκαβαίων καὶ Σολομονῆς καὶ Ἐλεαζάρου. Ἄρχεται ἡ νηστεία τῆς Θεοτόκου.
	14	2	Τρ.	Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων Στεφάνου τοῦ πρωτομ.
	15	3	Τε.	Ἰσαακίου, Δαλμάτου καὶ Φαύστου τῶν ὁσίων.
	16	4	Πε.	Τῶν ἐν Ἐφέσῳ ζ΄ ἁγίων παίδων.
	17	5	Πα.	Προεόρτια τῆς Μεταμορφώσεως κ. Εὐσιγνίου μάρτ.
†	18	6	Σα.	Ἡ Μεταμόρφωσις τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατάλυσις.
†	19	7	Κυ.	Δομετίου ὁσιομάρτυρος.
	20	8	Δε.	Αἰμιλιανοῦ τοῦ ὁμολογητοῦ, ἐπισκόπου Κυζίκου.
	21	9	Τρ.	Ματθία τοῦ Ἀποστόλου.
	22	10	Τε.	Λαυρεντίου μάρτυρος καὶ ἀρχιδιακόνου.
	23	11	Πε.	Εὔπλου τοῦ διακόνου καὶ μάρτυρος.
	24	12	Πα.	Φωτίου καὶ Ἀνικήτου τῶν μαρτύρων.
	25	13	Σα.	Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ. Ἀπόδοσις τῆς ἑορτῆς τῆς Μεταμορφώσεως.
†	26	14	Κυ.	Προεόρτια τῆς Κοιμήσεως τῆς Θεοτόκου καὶ Μιχαίου τοῦ προφήτου.
†	27	15	Δε.	Ἡ Κοίμησις τῆς Θεοτόκου. Ἀργία κ. ἰχθύος κατ.
	28	16	Τρ.	Ἡ ἀνακομιδὴ τῆς εἰκόνος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ Διομήδους μάρτυρος.
	29	17	Τε.	Μύρωνος μάρτυρος.
	30	18	Πε.	Φλώρου καὶ Λαύρου μαρτύρων.
	31	19	Πα.	Ἀνδρέου τοῦ Στρατηλάτου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ βφγ΄ μαρτύρων.
	Σεπτ.	20	Σα.	Σαμουὴλ τοῦ προφήτου.
†	2	21	Κυ.	Θαδδαίου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Βάσσης μάρτυρος
	3	22	Δε.	Ἀγαθονίκου μάρτυρος.
	4	23	Τρ.	Λούπου μάρτ. Ἀπόδοσις τῆς ἑορτῆς τῆς Θεοτόκου.
	5	24	Τε.	Εὐτυχοῦς ἱερομάρτ. μαθητοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.
	6	25	Πε.	Ἡ ἐπάνοδος τοῦ λειψάνου Βαρθολομαίου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Τίτου τοῦ Ἀπ.
	7	26	Πα.	Ἀδριανοῦ καὶ Ναταλίας μαρτύρων.
	8	27	Σα.	Ποιμένος τοῦ ὁσίου.
†	9	28	Κυ.	Μωϋσέως ὁσίου τοῦ Αἰθίοπος.
†	10	29	Δε.	Ἡ ἀποτομὴ τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ Προδρόμου. Ἀργία καὶ νηστεία.
	11	30	Τρ.	Ἀλεξάνδρου, Ἰωάννου καὶ Παύλου τοῦ νέου, ἀρχιεπισκόπων Κωνσταντινουπόλεως.
	12	31	Τε.	Ἡ κατάθεσις τῆς τιμίας ζώνης τῆς Θεοτόκου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

AUGUSTUS.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxv. xxiv	c	Kal.	1	Petri ad Vincula, *duplex majus.* Com. SS. Machabaeorum Mart.
xxiij	d	iv	2	AlphonsiMariae de Lig. Episc., Conf. et Doct. *dupl.* Com. S. Stephani Papae et Mart.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Stephani Protom. *semid.*
xxj	f	Prid.	4	Dominici Confessoris. *duplex majus.*
xx	g	Non	5	Dedic. S. Mariae ad Nives, *dupl. maj.*
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *dupl. maj.* Com. SS. Xysti Papae, etc. Mart.
xviij	b	vij	7	Cajetani C. *dupl.* Com. S. Donati Ep. et M.
xvij	c	vj	8	Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart. *semid.*
xvj	d	v	9	Vigilia et Com. S. Romani Mart.
xv	e	iv	10	Laurentii Mart. *dupl. 2. cl.* cum Oct.
xiv	f	iij	11	De Oct. *semid.* Com. SS. Tib. et Sus. Mm.
xiij	g	Prid.	12	Clarae Virginis, *duplex.* Com. Oct.
xij	A	Idib.	13	De Oct. semid. Com. SS. Hippol. et Cass. Mm.
xj	b	xix	14	De Oct. *semid.* Com. Vig. et S. Eusebii C.
x	c	xviij	15	Assumptio B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Oct. * *Dom. infra Oct. Assumpt.* Festum S. Joachim Conf. *duplex 2. cl.*
ix	d	xvij	16	Hyacinthi Conf. *dupl.*, Com. Octavar.
viij	e	xvj	17	Oct. S. Laurentii, *dupl.* Com. Oct. Assumpt.
vij	f	xv	18	De Octava, *semid.* Com. S. Agapiti Mart.
vj	g	xiv	19	De Octava, *semiduplex,*
v	A	xiij	20	Bernardi Abb. et Doct. *dupl.* Com. Oct.
iv	b	xij	21	Joannae Franciscae Vid. *dupl.* Com. Oct.
iij	c	xj	22	Oct. Assumpt. B. M. V. *duplex.* Com. SS. Timothei, etc. Mart. * *Dom. post Oct. Assumpt.* Purissimi Cordis B. M. V. *duplex majus.*
ij	d	x	23	Philippi Benitii Conf. *dupl.* Com. Vigiliae.
j	e	ix	24	Bartholomaei, Apost. *dupl. 2. cl.* Romae 25.
*	f	viij	25	Ludovici Reg. Franc., Conf *semid.* Rom. 26.
xxix	g	vij	26	Zephyrini Papae et Martyris.
xxviij	A	vj	27	Josephi Calasanctii Conf. *duplex.*
xxvij	b	v	28	Augustini Episc., Conf. et Doct. *duplex* Com. S. Hermetis Mart.
xxvj	c	iv	29	Decollat. S. Joannis Baptistae, *dupl. maj.* Com. S. Sabinae Mart.
25. xxv	d	iij	30	Rosae V. *dupl.* Com. SS. Felicis etc. Mm.
xxiv	e	Prid.	31	Raymundi Nonnati Conf. *duplex.*

ΣΕΠΤΕΜΒΡΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
†	13	1	Πε.	Ἀρχὴ τῆς Ἰνδίκτου ἤτοι τοῦ νέου ἔτους· καὶ ἡ σύναξις τῆς Θεοτόκου, καὶ μνήμη Συμεὼν τοῦ Στυλίτου καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	14	2	Πα.	Μάμαντος μάρτυρος καὶ Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ.
	15	3	Σα.	Ἀνθίμου ἱερομάρτυρος καὶ Θεοκτίστου τοῦ ὁσίου.
†	16	4	Κυ.	Βαβύλα ἱερομάρτυρος καὶ Μωϋσέως τοῦ προφήτου.
	17	5	Δε.	Ζαχαρίου τοῦ προφήτου, πατρὸς τοῦ Προδρόμου.
	18	6	Τρ.	Ἡ ἀνάμνησις τοῦ ἐν Κολοσσαῖς θαύματος Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου.
	19	7	Τε.	Προεόρτια τῆς Γεννήσεως τῆς Θεοτόκου, καὶ Σώζοντος μάρτυρος.
†	20	8	Πε.	Τὸ Γενέθλιον τῆς Θεοτόκου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατ.
	21	9	Πα.	Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης τῶν Θεοπατόρων καὶ Σεβηριανοῦ μάρτυρος. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	22	10	Σα.	Μηνοδώρας, Μητροδώρας κ. Νυμφοδώρας τῶν μαρτ.
†	23	11	Κυ.	Θεοδώρας τῆς ὁσίας.
	24	12	Δε.	Αὐτονόμου ἱερομάρτυρος. Ἀπόδοσις τῶν Γενεθλίων τῆς Θεοτόκου.
	25	13	Τρ.	Τὰ ἐγκαίνια τοῦ Ναοῦ τῆς Ἀναστάσεως καὶ Κορνηλίου τοῦ ἑκατοντάρχου καὶ προεόρτια τοῦ Σταυροῦ. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	26	14	Τε.	Ἡ Ὕψωσις τοῦ τιμίου Σταυροῦ. Ἀργία κ. νηστεία.
	27	15	Πε.	Νικήτα μάρτυρος.
	28	16	Πα.	Εὐφημίας τῆς μεγαλομάρτυρος.
	29	17	Σα.	Σοφίας μάρτυρος καὶ τῶν τριῶν αὐτῆς θυγατέρων.
†	30	18	Κυ.	Εὐμενίου τοῦ θαυματουργοῦ ἐπισκόπου Γορτύνης.
	Ὀκτ.	19	Δε.	Τροφίμου, Σαββατίου καὶ Δορυμέδοντος τῶν μαρτ.
	2	20	Τρ.	Εὐσταθίου μεγαλομάρτυρος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	3	21	Τε.	Κοδράτου τοῦ ἀποστόλου.
	4	22	Πε.	Φωκᾶ ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Σινώπης.
	5	23	Πα.	Ἡ σύλληψις τοῦ Προδρόμου. Κατ. οἴν. καὶ ἐλ.
	6	24	Σα.	Θέκλης τῆς πρωτομάρτυρος.
†	7	25	Κυ.	Εὐφροσύνης τῆς ὁσίας.
†	8	26	Δε.	Ἡ μετάστασις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	9	27	Τρ.	Καλλιστράτου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων.
	10	28	Τε.	Χαρίτωνος τοῦ ὁμολογητοῦ.
	11	29	Πε.	Κυριακοῦ τοῦ ἀναχωρητοῦ.
	12	30	Πα.	Γρηγορίου ἐπισκόπου τῆς Μεγάλης Ἀρμενίας.

SEPTEMBER.

Cycl. Ep.	L.	D.	D. m.	
xxiij	f	Kal.	1	Aegidii Abb. Com. SS. 12 Fratrum Mart.
xxij	g	iv	2	Stephani Regis Hungariae Conf. *semid.*
xxj	A	iij	3	
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.*
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	Nativitas B. M. V. *dupl. 2. cl.* cum Oct. S. Adriani Mart.
				* *Dom. infra Oct.* Festum SS. Nominis B. M. V. *duplex majus.*
xv	g	v	9	De Octava, *semid.* Com. S. Gorgonii Mart.
xiv	A	iv	10	Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Com. Oct.
xiij	b	iij	11	De Octava, *semid.* Com. SS. Proti, etc. Mart.
xij	c	Prid.	12	De Octava, *semiduplex.*
xj	d	Idib.	13	De Octava *semiduplex.*
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, *dupl. maj.* Com. Oct.
ix	f	xvij	15	Octava Nativit B. Mariae, *duplex.* Com S. Nicomedis Mart.
				* *Dom. III.* Festum septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.*
viij	g	xvj	16	Cornelii et Cypriani Pont et Mart. *semid.* Com. S. Euphemiae, etc. Mart.
vij	A	xv	17	Impressio Stigmatum S. Francisci, *dupl.*
vj	b	xiv	18	Josephi a Cupertino Conf. *duplex.*
v	c	xiij	19	Januarii Episc. et Soc. Mart. *duplex.*
iv	d	xij	20	Eustachii et Soc. Mart. *dupl.* Com. Vigiliae.
iij	e	xj	21	Matthaei Apost. et Evang. *dupl. 2. cl.*
ij	f	x	22	Thomae a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* Com. SS. Mauritii et Soc. Mart.
j	g	ix	23	Lini Papae et Mart. *semid.* Com. S. Theclae Virg. et Mart.
*	A	viij	24	B. M. V. de Mercede, *duplex majus.*
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani et Justinae Martyrum.
xxvij	d	v	27	Cosmae et Damiani Mart. *semiduplex.*
25. xxvj	e	iv	28	Wenceslai Ducis et Mart. *semiduplex.*
xxv. xxiv	f	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Archang. *dupl. 2. cl.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi Presb., Conf. et Doct. *dupl.*

ΟΚΤΩΒΡΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Σα.	Ἀνανίου τοῦ ἀποστόλου καὶ Ῥωμανοῦ τοῦ μελῳδοῦ.
†	14	2	Κυ.	Κυπριανοῦ ἱερομάρτ. καὶ Ἰουστίνης τῆς παρθένου.
	15	3	Δε.	Διονυσίου ἱερομάρτυρος τοῦ Ἀρεοπαγίτου.
	16	4	Τρ.	Ἱεροθέου ἐπισκόπου Ἀθηνῶν.
	17	5	Τε.	Χαριτίνης μάρτυρος.
	18	6	Πε.	Θωμᾶ τοῦ Ἀποστόλου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	19	7	Πα.	Σεργίου καὶ Βάκχου τῶν μαρτύρων.
	20	8	Σα.	Πελαγίας τῆς ὁσίας.
†	21	9	Κυ.	Ἰακώβου Ἀλφαίου τοῦ ἀποστόλου καὶ Ἀνδρονίκου τοῦ ὁσίου.
	22	10	Δε.	Εὐλαμπίου καὶ Εὐλαμπίας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ, μαρτ.
	23	11	Τρ.	Φιλίππου τοῦ Ἀποστ. κ. Θεοφάνους τοῦ Γραπτοῦ.
	24	12	Τε.	Πρόβου, Ταράχου καὶ Ἀνδρονίκου τῶν μαρτύρων.
	25	13	Πε.	Κάρπου καὶ Παπύλου τῶν μαρτύρων.
	26	14	Πα.	Ναζαρίου ταὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων καὶ Κοσμᾶ τοῦ ἁγιοπολίτου καὶ ποιητοῦ.
	27	15	Σα.	Λουκιανοῦ μάρτυρος.
†	28	16	Κυ.	(Τῶν ἁγίων πατέρων τῆς ζ'. οἰκουμ. ἐν Νικαίᾳ Συνόδου) καὶ Λογγίνου τοῦ ἑκατοντάρχου μάρτυρος.
	29	17	Δε.	Ὠσηὲ τοῦ προφήτου καὶ Ἀνδρέου ὁσιομάρτυρος.
	30	18	Τρ.	Λουκᾶ τοῦ Εὐαγγελιστοῦ. Κατ. οἴνου καὶ ἐλαίου.
	31	19	Τε.	Ἰωὴλ τοῦ προφήτου καὶ Οὐαρίου μάρτυρος.
	Νοέμ.	20	Πε.	Ἀρτεμίου μεγαλομάρτυρος.
	2	21	Πα.	Ἱλαρίωνος τοῦ Μεγάλου.
	3	22	Σα.	Ἀβερκίου τοῦ θαυματουργοῦ καὶ τῶν ἐν Ἐφέσῳ κοιμηθέντων ζ' παίδων.
†	4	23	Κυ.	Ἰακώβου τοῦ Ἀδελφοθέου καὶ Ἀποστόλου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	5	24	Δε.	Ἀρέθα μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.
	6	25	Τρ.	Μαρκιανοῦ καὶ Μαρτυρίου τῶν Νοταρίων.
†	7	26	Τε.	Δημητρίου μεγαλομάρ. Ἀργία καὶ κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	8	27	Πε.	Νέστορος μάρτυρος.
	9	28	Πα.	Τερεντίου καὶ Νεονίλλης μαρτύρων καὶ Στεφάνου τοῦ Σαββαΐτου.
	10	29	Σα.	Αναστασίας Ῥωμαίας τῆς ὁσιομάρτυρος, καὶ Ἀβραμίου τοῦ ὁσίου.
†	11	30	Κυ.	Ζηνοβίου καὶ Ζηνοβίας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ μαρτ.
	12	31	Δε.	Στάχυος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀποστόλων ἐκ τῶν ο' καὶ Ἐπιμάχου μάρτυρος.

OCTOBER.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
				* *Dom. I.* Solemnitas ss. Rosarii B. M. V. *duplex 2. cl.*
xxij	A	Kal.	1	Remigii Episc. et Conf. *semid. ad libitum, vel simplex de praecepto.*
xxj	b	vj	2	Angelorum Custodum, *duplex majus.*
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Confessoris, *duplex majus.*
xviij	e	iij	5	Placidi et Sociorum Martyrum.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Confessoris, *duplex.*
xvj	g	Non.	7	Marci Papae et Conf. Com. SS. Sergii, etc. Martyrum.
xv	A	viij	8	Birgittae Viduae, *duplex.*
xiv	b	vij	9	Dionysii, Rustici et Eleutherii Martyrum, *semiduplex.*
xiij	c	vj	10	Francisci Borgiae Conf. *semiduplex.*
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Eduardi Regis Conf. *semiduplex.*
ix	g	Prid.	14	Callisti Papae et Mart. *duplex.*
viij	A	Idib.	15	Teresiae Virginis, *duplex.*
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	Hedwigis Viduae, *semiduplex.*
v	d	xv	18	Lucae Evangelistae, *duplex 2. cl.*
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara Conf. *duplex.*
iij	f	xiij	20	Joannis Cantii Conf. *duplex.*
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis. Com. SS. Ursulae et Sociarum Virg. et Mart.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanthi et Dariae Martyrum.
xxvij	e	vij	26	Evaristi Papae et Martyris.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
25. xxv	g	v	28	Simonis et Judae Apost. *duplex 2. cl.*
xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia.

Ex appendice Breviarii.

7. Octob. Pulcheriae Virginis, imperatricis, *duplex majus.*
Dom. II. Octob. Maternitatis B. M. V. *duplex majus.*
Dom. III. Octob. Puritatis B. M. V. *duplex majus.*

ΝΟΕΜΒΡΙΟΣ.

	Ν.	Π.		
	13	1	Τρ.	Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ τῶν θαυματουργῶν ἀναργύρων. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	14	2	Τε.	Ἀκινδύνου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων.
	15	3	Πε.	Ἀκεψιμᾶ μάρτυρος καὶ ἡ κατάθεσις τοῦ λειψάνου Γεωργίου μεγαλομάρτυρος.
	16	4	Πα.	Ἰωννικίου τοῦ Μ. καὶ Νικάνδρου καὶ Ἑρμαίου ἱερομ.
	17	5	Σα.	Γαλακτίωνος καὶ Ἐπιστήμης τῶν μαρτύρων.
†	18	6	Κυ.	Παύλου τοῦ ὁμολογητοῦ ἀρχιεπ. Κωνσταντινουπ.
	19	7	Δε.	Τῶν ἐν Μελιτινῇ λγ' Μμ. κ. Λαζάρου τοῦ ὁσίου.
†	20	8	Τρ.	Ἡ σύναξις Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	21	9	Τε.	Ὀνησιφόρου καὶ Πορφυρίου μαρτύρων καὶ Ματρώνας τῆς ὁσίας.
	22	10	Πε.	Ὀλυμπᾶ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀποστόλων.
	23	11	Πα.	Μηνᾶ, Βίκτωρος καὶ Βικεντίου μαρτύρων καὶ Θεοδώρου τοῦ Στουδίτου.
	24	12	Σα.	Ἰωάννου τοῦ Ἐλεήμονος καὶ Νείλου τοῦ ὁσίου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
†	25	13	Κυ.	Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	26	14	Δε.	Φιλίππου Ἀποστόλου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατ.
	27	15	Τρ.	Γουρία, Σαμωνᾶ καὶ Ἀβίβου τῶν μαρτύρων. Ἄρχεται ἡ νηστεία τῶν Χριστουγέννων.
	28	16	Τε.	Ματθαίου τοῦ Ἀπ. κ. Εὐαγγελιστ. Κατ. οἴν. κ. ἐλ.
	29	17	Πε.	Γρηγορίου τοῦ θαυματουργοῦ ἐπισκ. Νεοκαισαρείας.
	30	18	Πα.	Πλάτωνος καὶ Ῥωμανοῦ τῶν μαρτύρων.
	Δεκ.	19	Σα.	Ἀβδίου τοῦ προφήτου καὶ Βαρλαὰμ μάρτυρος.
†	2	20	Κυ.	Προεόρτια τῶν Εἰσοδίων, καὶ Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου καὶ Πρόκλου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ.
†	3	21	Δε.	Τὰ Εἰσόδια τῆς Θεοτόκου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατ.
	4	22	Τρ.	Φιλήμονος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀπ. κ. Κικιλίας μάρτ.
	5	23	Τε.	Γρηγορίου ἀρχιεπ. Ἀκραγαντίνων καὶ Ἀμφιλοχίου ἐπισκόπου Ἰκονίου.
	6	24	Πε.	Κλήμεντος Ῥώμης καὶ Πέτρου Ἀλεξανδρείας.
†	7	25	Πα.	Αἰκατερίνης μεγαλομάρτυρος καὶ Μερκουρίου μάρτυρος. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
	8	26	Σα.	Ἀλυπίου καὶ Νίκωνος τῶν ὁσίων.
†	9	27	Κυ.	Ἰακώβου τοῦ Πέρσου τοῦ μεγαλομάρτυρος.
	10	28	Δε.	Στεφάνου τοῦ Νέου καὶ Εἰρηνάρχου μάρτυρος.
	11	29	Τρ.	Παραμόνου καὶ Φιλουμένου τῶν μαρτύρων.
†	12	30	Τε.	Ἀνδρέου τοῦ Πρωτοκλήτου Ἀποστόλου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.

NOVEMBER.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xxj	d	Kal.	1	Festum Omnium Sanctorum, *duplex. 1. cl.* cum Oct.
xx	e	iv	2	Com. omnium fidelium Defunctorum, *dupl.* et de Oct. omnium Sanctorum.
xix	f	iij	3	De Octava, *semiduplex.*
xviij	g	Prid.	4	Caroli Episc. et Conf. *duplex.* Com. Oct. et SS. Vitalis, etc. Mart.
xvij	A	Non.	5	De Octava, *semiduplex.*
xvj	b	viij	6	De Octava, *semiduplex.*
xv	c	vij	7	De Octava, *semiduplex.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, *dupl.* Com. SS. Quatuor Coronatorum Mart.
xiij	e	v	9	Dedicat. Basilicae Salvatoris, *dupl. majus.* Com. S. Theodori Mart.
xij	f	iv	10	Andreae Avellini Conf. *duplex.* Com. SS. Tryphonis, etc. Mart.
xj	g	iij	11	Martini Episc. et Conf. *duplex.* Com. S. Mennae Mart.
x	A	Prid.	12	Martini Papae et Mart. *semiduplex.*
ix	b	Idib.	13	Didaci Confessoris, *semiduplex.*
viij	c	xviij	14	Josaphat Episc. et Mart. *dupl.*
vij	d	xvij	15	Gertrudis Virginis, *duplex.*
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.*
iv	g	xiv	18	Dedicat. Basilic. SS. Petri et Pauli, *dupl. maj.*
iij	A	xiij	19	Elisabeth Viduae, *dupl.* Com. S. Pontiani Papae et Mart.
ij	b	xij	20	Felicis de Valois Conf. *duplex.*
j	c	xj	21	Praesentatio B. M. V. *duplex majus.*
*	d	x	22	Caeciliae Virg. et Mart. *duplex.*
xxix	e	ix	23	Clementis Papae et Mart. *dupl.* Com. S. Felicitatis Mart.
xxviij	f	viij	24	Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Com. S. Chrysogoni Mart.
xxvij	g	vij	25	Catharinae Virg. et Mart. *duplex.*
25. xxvj	A	vj	26	S. Silvestri Abb. *dupl.* Com. Petri Alexand. Ep. et Mart.
xxv. xxiv	b	v	27	
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
xxj	e	Prid.	30	Andreae Apostoli, *duplex 2. cl.*

Ν.	Π.		ΔΕΚΕΜΒΡΙΟΣ.
13	1	Πε.	Ναοὺμ τοῦ προφήτου.
14	2	Πα.	Ἀββακοὺμ τοῦ προφήτου.
15	3	Σα.	Σοφονίου τοῦ προφήτου.
† 16	4	Κυ.	Βαρβάρας τῆς μεγαλομάρτυρος καὶ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
† 17	5	Δε.	Σάββα τοῦ ἡγιασμένου. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
† 18	6	Τρ.	Νικολάου ἐπισκόπου Μύρων τῆς Λυκίας. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
19	7	Τε.	Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνων.
20	8	Πε.	Παταπίου τοῦ ὁσίου.
† 21	9	Πα.	Ἡ Σύλληψις τῆς Θεοπρομήτορος Ἄννης. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
22	10	Σα.	Μηνᾶ, Ἑρμογένους καὶ Εὐγράφου μαρτύρων.
† 23	11	Κυ.	(Τῶν ἁγίων Προπατόρων) καὶ Δανιὴλ τοῦ Στυλίτου.
24	12	Δε.	Σπυρίδωνος τοῦ θαυματουργοῦ. Ἀργία καὶ κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
25	13	Τρ.	Εὐστρατίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων.
26	14	Τε.	Θύρσου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων.
27	15	Πε.	Ἐλευθερίου ἱερομάρτυρος. Κατ. οἴν. καὶ ἐλ.
28	16	Πα.	Ἀγγαίου τοῦ προφήτου.
29	17	Σα.	Δανιὴλ τοῦ προφήτου καὶ τῶν τριῶν παίδων. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
† 30	18	Κυ.	(Πρὸ τῆς Χριστοῦ Γεννήσεως, καὶ τῶν Πατέρων) καὶ Σεβαστιανοῦ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων.
31	19	Δε.	Βονιφατίου μάρτυρος.
Ιαν.	20	Τρ.	Προεόρτια τῶν Χριστουγέννων καὶ μνήμη Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.
2	21	Τε.	Ἰουλιανῆς μάρτυρος.
3	22	Πε.	Ἀναστασίας μάρτυρος τῆς Φαρμακολυτρίας.
4	23	Πα.	Τῶν ἐν Κρήτῃ ι' μαρτύρων.
5	24	Σα.	Παραμονὴ τῶν Χριστουγέννων καὶ Εὐγενίας μάρτ.
† 6	25	Κυ.	Ἡ κατὰ σάρκα Γέννησις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πάσχα. Ἀργία τριήμερος καὶ κατ. εἰς πάντα μέχρι τῆς παραμονῆς τῶν Φώτων.
† 7	26	Δε.	Μετὰ τὴν Χριστοῦ Γέννησιν, καὶ ἡ σύναξις τῆς Θεοτόκου καὶ Εὐθυμίου ἱερομάρτυρος.
† 8	27	Τρ.	Στεφάνου ἀρχιδιακ. καὶ Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ.
9	28	Τε.	Τῶν ἐν Νικομηδείᾳ καέντων δισμυρίων μαρτ.
10	29	Πε.	Τῶν ιδ' χιλιάδων νηπίων κ. Μαρκέλλου τοῦ ὁσίου.
11	30	Πα.	Ἀνυσίας τῆς ὁσιομ. κ. Ζωτικοῦ τοῦ Ὀρφανοτρόφου.
12	31	Σα.	Μελάνης τῆς ὁσίας. Ἀπόδοσις τῆς τῶν Χριστουγέννων ἑορτῆς.

DECEMBER.

Cycl. Ep.	L. D.		D. m.	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	Bibianae Virg. et Mart. *semiduplex.*
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii, Conf. *duplex.*
xvij	b	Prid.	4	Petri Chrysologi Episc., Conf. et Doct. *duplex.* Com. S. Barbarae Virg. et Mart.
xvj	c	Non.	5	Sabbae Abbatis com.
xv	d	viij	6	Nicolai Episc. et Conf. *duplex*
xiv	e	vij	7	Ambrosii Ep., Conf. et Doct. *dupl.* Vigilia.
xiij	f	vj	8	Immac. Conceptio B. M. V. *dupl. 1. cl* cum Octava.
xij	g	v	9	De Octava, *semiduplex.*
xj	A	iv	10	De Octava, *semidupl.* Com. S. Melchiadis
x	b	iij	11	Damasi Papae et Conf. *semid.* Com. Oct.
ix	c	Prid.	12	De Octava, *semiduplex.*
viij	d	Idib.	13	Luciae Virg. et Mart. *duplex.* Com. Oct
vij	e	xix	14	De Octava, *semiduplex.*
vj	f	xviij	15	Octava Immac. Conceptionis, *duplex.*
v	g	xvij	16	Eusebii Episc. et Mart. *semiduplex.*
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	Thomae Apostoli, *dupl. 2. cl.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	Nativitas D. N. Jesu Christi, *dupl. 1. cl.* cum Octava.
25. xxv	c	vij	26	Stephani Protomartyris, *dupl. 2. cl.* Com. Octavae.
xxiv	d	vj	27	Joannis Apost. et Evang. *dupl. 2. cl.* cum com. Octavarum.
xxiij	e	v	28	SS. Innocentium, *dupl. 2. cl.* Com. Oct.
xxij	f	iv	29	Thomae Cantuariensis Ep. et Mart. *semid.* Com. Octavarum.
xxj	g	iij	30	De Dominica infra Oct. Nativit. vel de Octava, *semidupl.* cum com. Octavarum.
19. xx	A	Prid.	31	Silvestri Papae et Conf. *duplex.* Com. Octavarum.

Haec Epacta 19. *nigra* numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.

Habes, lector, explicatas ob oculos catholici utriusque ecclesiae Kalendarii tabulas, quarum explanandarum cogitationem suscepimus. Verum antequam de iis quidquam commentemur, duo hic primum in eorum gratiam dicenda videntur, qui genus hoc literarum minus delibarunt, quae nempe horum Kalendariorum dispositio sit, et unde festorum in iis descriptorum varietas ac divisio petatur.

De Kalendariorum dispositione atque ordine.

In graecis tabulis singuli menses tribus columnis ad perpendiculum directis constant. Duabus prioribus ipsa ἡμερομενεία seu *dierum mensis supputatio* ita exhibetur, ut differentia appareat, quae inter utriusque styli dies per annum intercedit; in tertia autem tituli festorum cum diebus hebdomadis seu feriis describuntur.

Literae singulares *N* et *Π*, columnis superscriptae, ad notas compendiarias spectant, quae *sigla* seu *singlae* vocantur in jure [1]. Iis autem integrae voces *νέον*, *novum* et *παλαιόν, antiquum* (subaudi ἔτος vel ἡμερολόγιον) significantur. Pro litera *N* saepe etiam alia haec sigla ponuntur: *K* = *καινοτομηθέν*, *reformatum;* vel *Γ* = *Γρηγοριανόν*, *Gregorianum;* vel *Δ* = *δυτικόν*, *occidentale.* Duobus posterioribus respondent, super alteram columnam: *Ἰ* = *Ἰουλιανόν*, *Julianum,* et *Ἀ* = *ἀνατολικόν*, *orientale.*

---

[1]) Justinian. *De confirmat. Digest. ad Senat. et omnes popul.* § 22. (Praef. 2. Digest.), juncta Constit. sequenti graeca *Ad Magnum Senatum,* in qua, § item 22, de his *σημείοις* agitur, *ἅπερ σίγγλας καλοῦσιν*, quae *sigglas,* seu *singlas* vocant.

In mixtis nostris provinciis hanc Kalendariorum varietatem sic exprimere solemus: $\frac{13}{1}$ Januar., vel 13. Januar. *n. s. (novi styli)*, vel etiam 1. Januar. *v. s. (veteris styli)*.

In tertia columna titulis festorum dies hebdomadis praefiguntur pro anno cum litera dominicali *B*. Eorum appellationes, initio a 1. Januarii ducto, hae sunt:

Ἡμέρα	*σάββατον*	= dies	sabbati;
„	*Κυριακή*	= dies	dominicus;
„	*δευτέρα*	= feria	secunda;
„	*τρίτη*	= „	tertia;
„	*τετάρτη*	= „	quarta;
„	*πέμπτη*	= „	quinta;
„	*παρασκευή*	= „	sexta.

Variis, quae pro spatii angustiis erant necessaria, siglis verborumque compendiis adhibitis, quolibet die adscriptum est *festum, ἑορτή* [1]), voce non vulgari neque juridico sensu accepta pro feriatione seu cessatione a strepitu forensi servilibusque operibus, sed potius pro ipso officio liturgico, eo die peragendo. In ecclesia graeca enim *ἅγιος ἑορταζόμενος* (slav. *svjatyj naročityj;* rumen. *s. ce se serbeza)* ille ex sanctis est, cujus memoria agitur, quamvis dies immunis a feriatione sit, eadem plane ratione, qua Latini etiam officio simplici trium lectionum *festum sancti colere* dicuntur in Benedictione ante paenultimam lectionem.

De festorum per annum distributione pulchre olim cecinit s. Paulinus, Nolae in Campania episcopus, saeculo quinto:

Ergo velut coelum stellis, ut floribus arva,
Temporibusque annos Dominus: sic ipse diebus
Tempora distinxit festis, ut pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltem discrimine facto,
Post intervallum reduci solemnia voto
Sancta libenter agant, residesque per annua mentes
Festa parent Domino [2]).

Variis anni diebus nimirum festa consignamus, distinctisque temporibus *sanctorum memorias religiosa solemnitate concelebramus ad acuendam in Deum et in illos caritatem, et ad excitandam imitationem,*

---

[1]) Fortasse ex aramaico 'a'artâ = hebr. 'açäreth (congregatio festiva).

[2]) De s. Felice. Natalitium carmen IX. (Migne, Patr. l. tom. 61, pp. 650—651).

et ut meritis eorum consociemur atque orationibus adjuvemur, quemadmodum s. Augustinus etiam pluribus exsequitur *contra Faustum Manich.* l. 20. c. 21[1]).

Utriusque ecclesiae mos habet, ut plures sancti simul in una celebritate jungantur. Est autem ejusmodi *ἁγίων ὁμοῦ ἑορταζομένων* ratio duplex: altera per se et quasi ex natura rei, quando videlicet eodem simul die ac loco eandemque ob causam vitae cursum feliciter consummarunt, ut *ss. Innocentes, ss. Cosmas et Damianus;* altera vero per accidens et ex occasione dumtaxat, quando nimirum nulla alia inter eos necessitudo aut affinitas intervenit, quam quod eodem die obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de causa, cujusmodi sunt plerique omnes sancti, qui in *Ὡρολογίοις* et Kalendariis sociati reperiuntur. Videsis quae de jungendis simul sub una inscriptione pluribus sanctis late disputat Guyetus, *Heortologiae* l. 1. c. 5, q. 14, jcto. l. 2, c. 8, q. 1.

Quum nec totus anni circulus celebrandis sanctis omnibus, utpote innumeris, sufficeret, reliquum fuit, ut ii prae caeteris ex *Μηναίοις* et Martyrologiis seligerentur in *Ὡρολογίῳ* ac Kalendario universali reponendi, qui vel sanctitatis fama vel nominis celebritate praestarent. Et Graeci quidem omnes anni dies sanctorum festis implere potuerunt, quum nec in majoribus solemnitatibus dominicis de sanctis agi apud eos sit vetitum, nec qui Latinos obligat canon de translatione festorum, in Oriente vigeat. In ecclesia latina contra plures dies vacuos reservari ac nominatim trimestre Kalendarium vernum rarioribus festis distinctum esse oportuit, quod bonam horum mensium partem sibi vindicet celebritas Paschalis, quam nempe festa passionis cum hebdomada majori praecedunt et sacra *διακαινήσιμος* sequitur; omnibus his diebus enim ordinarias sanctorum solemnitates ritus noster excludit.

Dies tum Dominici tum alii insigniores per annum graecum festi apposita cruce (†) distinguuntur.

Ut uno in conspectu omnes totius anni solemnitates lector videret, Kalendario graeco etiam dies festos mobiles, parenthesibus inclusos, inseruimus, sumptis in exemplum annis,

---

[1]) Ibid. tom. 42, p. 384.

quibus Pascha die 27. Martii *v. s.* celebratur, cujusmodi praeter alios sunt, 1877, 1939, 2034, 3378, 4431, 4963 [1]).

Quod idem ne in describendo Kalendario Latinorum quoque fieret, memoratum jam praeceptum *de transferendis festis* obstitit; in ecclesia latina enim omnes anni celebritates, mobiles atque immobiles, easdem in tabulas referri atque ita unum sub aspectum subjici nequeunt, quin plura sanctorum festa, quae simul cum mobilibus occurrerint, pro eo anno a propriis sedibus avulsa in alios dies liberos transferantur.

In Kalendario latino duae priores columnae, exhibentes *Cyclum Epactarum* et *Literas dominicales,* inserviunt *τῇ τοῦ Πάσχα εὑρέσει,* ut *rectam Paschatis inventionem* computistae vocant [2]); Epactae Gregorianae enim, singulis diebus affixae, *ποσταίαν τῆς σελήνης, aetatem lunae,* determinant, Literae dominicales autem *τὴν τοῦ ἡμεροευρεσίου μέθοδον, investigandae feriae modum,* suppeditant: quod utrumque fusius declaratum vide in *Computo ecclesiast.* cc. 5. et 6.

In columnis tertia et quarta dies mensis describuntur, eorundem denominationibus romanis cum iis collatis, quae receptae in nostris Kalendariis civilibus sunt.

In quinta columna tandem plerique dies statis celebritatibus assignantur, adjectis etiam varii gradus notis *duplex, semiduplex* etc., de quibus agere solent juris interpretes ad C. *Gloriosus* un. de reliq. et ven. ss. in 6, quod integrum est *de festis ad altiorem ritum elevandis.* Ex scriptoribus liturgicis autem videndus prae caeteris est Emman. Azevedo, *de divino officio, exercitationibus* 11, 12 et 13, ubi eadem haec festorum distinctio erudite accurateque pertractatur.

Geminum Kalendarium hic descriptum *festa* in utroque ritu *universalia* seu *omnibus communia* exhibet. Quae praeterea a variis nationibus in particularibus quibusque ecclesiis vel locis celebrantur, *propria* audiunt. Ejusmodi apud inclytam nationem ruthenam in Galicia septemdecim numerantur, mobilia tria, ex Decreto synodi Zamoscenae mox afferenda; immobilia vero quatuordecim, nimirum: Febr. 14.

---

[1]) Paschatis juxta novum stylum ipso hoc die 27. Martii agendi, iisdem ferme saeculis, exempla sunt an. 1910, 1921, 2225, 3295, 4411, 4946.

[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 19, p. 1301.

s. Cyrilli; April. 23. *s. Alexandrae;* Maji 2. *Ss. Borisi et Glěbae translat.;* 3. *S. Theodori Pečarensis;* 10. *S. Nicolai translat.;* 11. *Methodii Morav.;* Jul. 10. *S. Antonii Pečarensis;* 15. *S. Wladimiri;* 24. *Ss. Boris et Glib.;* Septemb. 16. *S. Josaphat;* Octob. 1. *Patrocinium B. M. V.;* 14. *S. Parasceves;* 23. *Commemorat. S. Ignatii CP.;* 28. *S. Parasceves mart.*

In Hungaria et Transsylvania omnibus catholicis, Ruthenis et Rumenis aeque ac Latinis, dies 20. Augusti memoriae *s. Stephani* regis sacer est.

Italo-graeci plura festa Latinorum, quibus permixti vivunt, agere solent, propriis etiam officiis recitatis, ut puta, *Corporis Christi; B. M. V* sub titulo *Gratiae* (*τῆς Χάριτος*); Mart. 19. *S. Josephi;* Nov. 1. *Omnium SS.;* 2. *Offic. Defunctorum.*

Praecipua festa extraordinaria Melchitarum et, qui graecum ritum quadantenus imitantur, Maronitarum, in eorundem conciliis paulo inferius recensentur. Festa propria Latinorum ex Breviariis Dioecesium propriis, ubi opus fuerit, sunt quaerenda.

De paucis illis festis ex ritu latino in *διάταξιν* festorum ecclesiae orientalis assumptis animadverti haec possunt: In sacris canonibus illud quidem statutum habetur, ritum orientalem et graecum cum latino haud esse miscendum[1]; at nullo jure affirmari potest, vetitam hanc ritus commixtionem ex eo induci, quod, salvo in omnibus graeco ritu, nonnullae solemnitates ex aliis ecclesiis acceptae a Graecis agantur. Nec enim novum est, ut inter varias ecclesias, catholica invicem unitate conjunctas propriosque ritus firmiter custodientes, quaedam veluti celebritatum exercitiorumque communicatio contigerit, praesertim ubi solemnia ab omnibus communiter recepta notae esse censebantur catholicos ab

---

[1]) CC. *Quum secundum* 9. X. de temp. ordinationum (I, 11); *Quanto de benignitate* 4. X. de consuetudine (I, 4) *Quoniam* 14. X. de officio jud. ordin. (I, 31).

Quae eadem confirmantur Bulla Clementis PP. VIII. *Magnus Dominus,* an. 1598, binis literis encyclicis Benedicti PP. XIV. *Demandatam* d. d. 24. Dec. an. 1743 et *Allatae* d. d. 26. Jul. an. 1755, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus relatis in literis Pii PP. IX. *Omnem solicitudinem* datis ad Archiep. Leopolien. rit. gr. die 13. Maji 1874 (exstant in Collect. Lacensi Concil. tom. 2, pp. 483—484).

haereticis et schismaticis discernentes [1]), vel ubi peculiaria quaedam pietatis exercitia, in aliis ritibus jam usurpata, ad promovendam fidelium religionem valde apta et proficua ab episcopis judicata eoque titulo in suas ecclesias admissa fuerunt [2]). Sic vel ipsa Romana ecclesia certos quosdam ritus in Orientis ecclesiis ab antiquo tempore usitatos in Occidentem traduxit, ac Graecos vicissim aliquas solemnitates caeremoniasque ex latina ecclesia sibi adsciscere ita est passa, ut in caeteris omnibus tamen sartus semper tectusque maneret proprius ritus graecus [3]). In iis autem, quae ita sunt a majoribus inducta atque ab Ecclesia approbata, nihil est innovandum, etiam nomine instaurandi caeremonias, quae antiquo ritui magis conformes esse videantur, nisi ex gravissimis causis et accedente Sedis Apostolicae auctoritate, cui suprema juris de liturgia dicundi potestas competit. Quare ferendi non sunt novatores illi, qui, falso quodam zelo inducti vetustatis ubique defendendae orientalesque ritus expurgandi atque in integrum restituendi, caeremonias sacras de consensu Sedis Apostolicae ex aliis ritibus assumptas atque immemorabili usu religiose servatas propria auctoritate e medio tollere, ac pauca haec Latinorum festa, Graecis catholicis tanto affectu olim adamata et legitime in eorundem ecclesiam invecta, ex catalogo dierum festorum delere student [4]); tota enim illa cum antiquis ritibus similitudo nihil proderit, nisi, qui eos servant, simul etiam cum antiquis ss. Patribus graecis Sedi Apostolicae firmiter conjuncti maneant, *et subjectionem profiteantur erga successorem Petri, Apostolorum principis, Romanum Pontificem, cui,* ut Patres Chalcedonenses loquuntur [5]), *vineae custodia a Salvatore commissa est* (ὁ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπιτετραμμένος). Ita Gregorius PP. XVI. in literis gratulatoriis d. d. 17. Julii ad Mich. Card. Lewicki, Metropolit. Leopol. rit. gr., ubi hanc veritatem graviter copioseque docet (apud Theiner, *Die Staatskirche Russlands.* Schaffhausen, 1844, pp. 384—385, et Harasiewicz, *Annales ecclesiae ruthenae.* Leopoli, 1862, pp. 1077—1078).

---

[1]) Cfr. Literae Gregorii PP. XVI. *Studium paternae* dat. ad clerum populumque Armenum CP. die 2. Maji 1836 (Ibid. p. 555).

[2]) Benedict. PP. XIV. Encycl. *Demandatam* cit. (Ibid. p. 523).

[3]) Id. in Encyclic. *Allatae* cit. (Ibid. p. 535).

[4]) Gregor. PP. XVI. Constitut. *Inter gravissima* dat. ad Archiep. Primat. Armen. CP. die 3. Febr. 1832 (Ibid. p. 554) jctis. literis Pii PP. IX. *Omnem solicitudinem* cit.

[5]) In relatione ad s. Leonem PP. I. apud Hardouin. Concil. tom. 2. pp. 655—656.

De festorum divisione.

Quadruplex est divisionis fundamentum; distinguuntur enim festa 1° ratione objecti celebrati; 2° ratione ritus liturgici; 3° ratione exterioris sanctificationis; 4° ratione temporis.

I. Pro varietate objecti festa in tres classes distribuunt Graeci: in ἑορτὰς δεσποτικάς, *quae Christi Domini sunt*, θεομητορικάς, *quae Dei matris;* καὶ τῶν ἁγίων, *et quae sanctorum* sunt propria.

Ἑορτὰς δεσποτικάς, festa dominica, his versibus vulgo recensent:

> *Τὸ χαῖρε, γέννα, Συμεὼν καὶ Ἰορδάνης,*
> *Θαβώριον, Λάζαρος, τὰ βαΐα, ξύλον,*
> *Ἔγερσις, ὕρσις, πνεῦμα.*

Chairetismus sive *Annuntiatio, Nativitas, Praesentatio Christi in Simeonis ulnis*, seu *Hypapante*, ejus *Baptismus* seu *Epiphania, Transfiguratio, resuscitatio Lazari, dies Palmarum, Ligni* seu *sanctae crucis,* quo nomine non tantum ipsa magna Parasceve crucifixionis venit, sed et festum *exaltationis s. crucis; Resurrectio, Ascensio* et *Pentecoste.*

Easdem porro ἑορτὰς θεομητορικάς, *Dei matris,* celebrat ecclesia orientalis, quas et occidua, praeterquam Visitationis, cujus loco Graeci memoriam agunt *depositionis vestis B. M. V. in Blachernis.*

Τῶν ἁγίων ἑορταί, festa sanctorum, pertinent ad ἑορταζομένους ἁγίους, seu ad sanctos illos, quorum memoria certis per annum diebus recolitur.

II. Quemadmodum apud Latinos prima ac generali divisione, statim in fronte rubricarum generalium Breviarii posita, pro vario festorum celebrandorum ritu, triplex assignatur officii genus: *duplex, semiduplex* et *simplex;* ita et Graeci omnes anni festivitates tripartito describunt, in *majores* videlicet, *medias* et *minores.*

Festivitates majores numerantur 17, quae in tres ordines diribentur.

Ordine ac dignitate omnium prima est solemnitas paschalis, ἐξαιρέτως nomine τῆς ἑορτῆς ornata.

Sequuntur *sacra festa duodecim*, quae *προεορτίοις* vel *ἀποδόσει* vel aliis extraordinariis caeremoniis adhibitis solemnius celebrantur; sunt autem *Nativitas Christi, Epiphania, Purificatio B. V. M., Annuntiatio, Dominica Palmarum, Ascensio Domini, Pentecoste, Transfiguratio, Dormitio B. V. M., ejus Nativitas, Exaltatio crucis, Praesentatio B. V. M.*

Tertio loco tandem inter *majora* recensentur quatuor festa in sacrum duodenarium numerum non relata eaque de causa *ἀδωδέκατα* nuncupata, quae nec *προεόρτια* nec *ἀπόδοσιν* habent, scilicet: *Circumcisio, Nativitas s. Joannis Bapt., Natale ss. Apostolorum Petri et Pauli, Decollatio s. Joannis B.*

Festivitates *mediae* in duplici differentia versantur; aliae enim admittunt commemorationem solemnem B. V. M., cujusmodi octo hae sunt: *SS. Basilii, Gregorii et Chrysostomi,* 30. Jan.; *S. Georgii* 23. April.; *Joannis Evang.* 8. Maji; *τοῦ ἁγίου μανδηλίου*, 16. Aug.; *ἡ μετάστασις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου*, 26. Sept.; *J. Chrysostomi*, 13. Nov.; *Sabbae,* 5. Decemb.; *Nicolai,* 6. Decemb. Aliae ex festivitatibus mediis praeterea in Laudibus admittunt *τὸ πολυέλεος*, quo praeter alias pertinent dies *SS. Antonii,* 17. Jan.; *40 Martyrum,* 9. Mart.; *Constantini et Helenae,* 21. Maji; *Eliae prophetae,* 20. Jul.; *Demetrii M.,* 29. Oct.; *Cosmae et Damiani,* 1. Nov.; *Andreae Apost.,* 30. Nov.

Denique *festa minora* ex ipso Kalendario sunt petenda. Si in iis recitatur *doxologia major*, proprio nomine *δοξολογούμενα* dicuntur, in caeteris commemorationes sanctorum *ἄνευ δοξολογίας* aguntur.

III. Distinctione facta inter *dies communes* et inter eos, qui divino officio piis ritibus peculiarius peragendo sunt destinati ac sensu proprio *festi, feriae, αἱ ἐπίσημοι τῶν ἑορτῶν, insignes dies festi,* vocantur, ex altera hac classe, respectu habito ad exteriorem celebrationem ac sanctificationem, alii sunt *dies festi fori,* qui et *de praecepto* seu *decretales* dicuntur, alii vero *chori tantum* et *intercisi.* Illos integros Deo et religioni tribuere oportet, ut adeo non tantum sacrosancto missae sacrificio praesentes simus, sed etiam diem in divinis laudibus, in precibus, in caeteris religionis officiis transigamus[1].

[1]) Catechism. Rom. part. 3, praec. 3, c. 4.

ab operibus servilibus aliisque actis vetitis omnino abstinendo; quare et in ordine ad acta judicialia *τελείως* sive *τέλεον ἄπρακτοι* (corrupte *ἄπρακοι* et *ἄπραχτοι*) et *καθ' ὁλόκληρον ἀπρακτήσουσαι* vocantur [1]). *Diebus festis chori* tota clero relicta celebritas templorum parietibus finitur. Quodsi tamen ex ecclesiae praescripto ita sint agendi, ut christiani, nisi audita missa laborare suisque rebus temporalibus vacare non possint, *intercisi vocantur*, graece *ἐν μέρει μὲν ἄπρακτοι, ἐν μέρει δὲ ἔμπρακτοι* [2]).

Ex *Enchirid. juris eccles. oriental.* Rmi. Episcopi Papp-Szilágyi, *τοῦ μακαρίτου*, *festa fori* ecclesiae orientalis haec sunt [3]).

Septemb.	8.	Nativitatis B. M. V.
	14.	Exaltationis s. Crucis.
Octob.	26.	S. Demetrii M.
Novemb.	8.	SS. Michaelis et Gabrielis Archangelorum.
	21.	Praesentationis B. M. V.
Decemb.	6.	S. Nicolai Ep. Myrensis.
	9.	Immaculatae Conceptionis B. M. V.
	25.	et 26. Nativitatis Domini.
	27.	S. Stephani Protomartyris.
Januar.	1.	Circumcisionis Domini.
	6.	Epiphaniae Domini.
	30.	SS. Basilii M., Joan. Chrysostomi et Gregorii Naz.
Februar.	2.	Purificationis B. M. V.
Mart.	25.	Annuntiationis B. M. V.
		Paschatis et Pentecostes dies secundus, item Ascensionis suo tempore; cum omnibus diebus dominicis per annum.
April.	23.	S. Georgii Megalomartyris.

[1]) Cfr. Manuelis Comneni imperat. *Novella Constitut.* (*διάταξις*) an. 1166, apud Migne, Patr. gr. tom. 133, pp. 749—762.

[2]) Ibid. — Caeterum ea de re adeundus est Benedict. PP. XIV. Constitut. *Non multi* 63, edit. 14. Nov. 1748, in ejus Bullario tom. 2, pp. 233—234, editionis Venetae an. 1768.

[3]) Ducta festorum series est a Septembri, quod a primo die hujus mensis et anni ecclesiastici initium ducatur et Indictio Constantinopolitana proficiscatur, quemadmodum monuimus in *Computo ecclesiastico,* c. 7. n. 86, et iterum dicemus infra ad eundem diem p. 265.

Jun. 24. Nativitatis s. Joannis Bapt.
29. SS. Apost. Petri et Pauli.
Jul. 20. S. Eliae prophetae.
August. 6. Transfigurationis Domini.
15. Obdormitionis et Assumptionis B. M. V.
29. Decollationis s. Joannis Bapt.

Synodus provincialis *Ruthenorum rit. gr.*, Zamosciae habita an. 1720, *festa fori* sic exhibet tit. 16. *de jejuniis et festis* [1]):

Festa immobilia.

Januar. 1. Circumcisio Domini, et S. Basilii Magni.
6. Epiphania Christi Domini.
30. SS. Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni et Joannis Chrysostomi.
Februar. 2. Purificatio Bmae. V. M.
Mart. 25. Annuntiatio Bmae. V. M.
April. 23. S. Georgii Martyris.
Maj. 8. S. Joannis Apostoli et Evangelistae.
9. Translatio s. Nicolai.
Jun. 24. Nativitas s. Joannis Baptistae.
29. SS. Petri et Pauli Apostolorum.
Jul. 20. S. Heliae Prophetae.
25. S. Annae.
August. 6. Transfiguratio Christi Domini.
15. Assumptio Bmae. V. M.
29. Decollatio s. Joannis Baptistae.
Septemb. 8. Nativitas Bmae. V. M.
14. Exaltatio sanctae Crucis.
16. S. Josaphat Martyris.
26. S. Joannis Evangelistae.
Octob. 1. Protectio Bmae. M. V.
Novemb. 8. S. Michaelis Archangeli.
21. Praesentatio Bmae. M. V.
Decemb. 6. S. Nicolai.
9. Conceptio Bmae. M. V.

[1]) Collect. Lacen. tom. 2, pp. 63—64.

Decemb. 25. Nativitas Christi Domini.
26. S. Josephi.
27. S. Stephani.

Festa mobilia.

Pascha.
Ascensio Christi Domini.
Pentecostes.
Sanctissimae Trinitatis.
Festum Corporis Christi Domini.
Festum dolorosae Bmae. M. V., 10. feria 6. post Pascha.

Festa seorsiva[1]).

Jul. 27. S. Pantaleonis Martyris in Volhynia.
Maj. 2. et *Jul.* 24. S. Romani, et s. Davidis in Lithuania.

Synodus provincialis Patriarchatus Antiocheni, in Monte Libano celebrata an. 1736, omnibus *Maronitis* breviorem hunc catalogum *festorum de praecepto* seu *fori* sanxit part. 1, c. 4, *de festis et jejuniis,* n. 6[2]):

Festa mobilia.

Dominicae omnes per annum.
Dominica Resurrectionis D. N. J. Ch. cum die sequenti.
Ascensio Christi Domini.
Dominica Pentecostes cum die sequenti.
Dominica SSmae. Trinitatis.
Festum Corporis Christi.

Festa immobilia.

Januar. 1. Circumcisio Domini.
6. Epiphania Domini.
Februar. 2. Ingressus Domini in templum.
9. S. Maronis abbatis.
Mart. 9. SS. quadraginta martyrum.
19. S. Joseph sponsi B. M. V.

---

[1]) H. e. *particularia,* non ubique per totam provinciam ecclesiasticam, sed a certis tantum dioecesibus observanda.
[2]) Collect. Lacen. tom. 2, p. 109.

Mart.	25.	Annuntiatio B. V. M.
Jun.	24.	Nativitas s. Joannis Bapt.
	29.	SS. Apostolorum Petri et Pauli.
August.	6.	Transfiguratio Domini.
	15.	Assumptio B. V. M.
Septemb.	8.	Nativitas B. V. M.
	14.	Exaltatio s. Crucis.
Novemb.	1.	Omnium sanctorum.
Decemb.	25.	Nativitas D. N. J. Ch.
	26.	Commemoratio B. V. M.

Inter 25 canones Concilii patriarchalis *Graeco-Melchitarum.* pro tribus ejus nationis Patriarchatibus (Antiocheno, Alexandrino et Hierosolymitano) sancitos anno 1835, ordine decimus est *de celebratione festorum.* Eum ex Arabico in Latinum versum integrum hic sistimus, quod cum duabus praecedentibus synodis, Zamoscena et Libanensi, incommoda tangat, quae nimia festorum copia parit. Sic igitur Patres Graeco-Melchitae loquuntur[1]):

Confirmamus decreta aliis temporibus edita, ne dies festi generales ex praecepto celebrentur, cum obligatione abstinendi ab operibus servilibus, nisi haec festa in libris nostri ritus graeci ut praecepta designentur; excipiuntur festa *Corporis Christi* et *Immaculatae Conceptionis B. M. V. Matris Dei,* quae ab omnibus nostrae nationis fidelibus ex praescripto servari volumus, itemque festum *Patroni ecclesiae parochialis,* quod nisi in nostro ritu praeceptum sit, a parochianis illius tantum ecclesiae ex praecepto agatur. Aliorum vero sanctorum memoriae, quae in aliquibus dioecesibus, contra praescriptum ritualis, ex praecepto aguntur, ad pristinum modum reducantur, id est, ad solam commemorationem secundum nostrum ritum, sine cessatione operum servilium, ut in omnibus nostrae nationis dioecesibus aequalis, et ad nostros libros ecclesiasticos exacta servetur disciplina; quum praesertim populorum pauperum conditio requirat, ut dierum festorum numerus minuatur potius quam augeatur.

Catalogum festorum ecclesiae *Syrorum* ex authenticis libris liturgicis erutum in forma integra exhibebimus in extrema parte primi hujus tomi.

Italo-graeci et *Albanenses rit. gr.* inter Latinos existentes ex Constitutione Benedicti PP. XIV. *Etsi pastoralis* (§ 9. n. 6) ed. 26. Maji an. 1742, dies festos de praecepto ejusdem Ecclesiae latinae servant[2]).

[1]) Collectio Lacen. tom. 2, p. 585.

[2]) Collect. Lacen. tom. 2, p. 518. Conferatur etiam Instructio Clementis PP. VIII., ed. d. 31. Aug. an. 1595 n. 35, ibid. p. 450.

De festis *ecclesiae latinae* ex professo agunt juris interpretes tum in part. 3. Decreti Gratiani *de consecratione,* tum in titul. *de Feriis* (II, 9), tum in titul. *de reliquiis et veneratione sanctorum,* qui quater omnino in corpore juris sacri occurrit, scilicet in Decretalibus Gregorii IX. lib. 3, tit. 45, in Sexto Bonifacii VIII. lib. 3. tit. 22, in Clementinis lib. 3. tit. 16. et in Extravagant. com. lib. 3. tit. 12.

Designatio dierum festorum *de praecepto* nominatim desumi debet ex can. *Pronuntiandum* 1. Dist. 3. de cons., ex cap. *Conquestus* 5. de Feriis, ex Decreto Urbani PP. VIII. d. d. 13. Septemb. 1642 [1]), demum ex statutis synodalibus atque ex aliis legitimis fontibus juris particularis cujusvis dioecesis. Dies festi minus solemnes autem, quibus, integro praecepto audiendi missam, laborandi facultas est attributa, in variis Constitutionibus Romanorum Pontificum determinantur, quae seorsim in suis locis edi solent atque authentice promulgari, unde facile est, in eorum notitiam devenire.

Armenorum festa in altera parte commentarii nostri, tomo 2, describemus, quod plerumque stata non sint, nec locum propterea in Kalendario certum ac stabilem habeant.

Kalendarium *Coptorum* tandem operis finem faciet.

Festa chori, ἑορταὶ ἀπὸ μέρους ἀπρακτήσουσαι, ex laudato Rmo. Papp-Szilágyi in ecclesia orientali haec sunt:

Septemb.	26.	Translationis s. Joannis Evang.
Octob.	6.	S. Thomae Apostoli.
	18.	S. Lucae Ap. et Evang.
	23.	S. Jacobi Apostoli.
Novemb.	13.	S. Joannis Chrysostomi.
	14.	S. Philippi Apostoli.
	16.	S. Matthaei Ap. et Evang.
	25.	S. Catharinae mart.
	30.	S. Andreae Apostoli.
Decemb.	29.	SS. 14.000 infantum.
Januar.	17.	S. Antonii Magni.
	18.	SS. Athanasii et Cyrilli.

[1]) Magn. Bullar. Roman. edit. Luxemburg. an. 1742, tom. 5, pp. 378—379.

Januar.	20.	S. Euthymii Magni.
	27.	S. Joannis Chrysostomi.
Febr.	8.	S. Theodori Stratilat. Mart.
	17.	S. Theodori Tyronis Megalomart.
	24.	Prima et secunda inventio capitis s. Joannis Bapt.
Mart.	9.	SS. 40 martyrum.
April.	25.	S. Marci Evang.
	30.	S. Jacobi Apostoli.
Maj.	2.	S. Athanasii.
	8.	S. Joannis Evang.
	21.	SS. Constantini et Helenae.
	25.	Tertia inventio capitis s. Joannis Bapt.
Jun.	30.	Omnium 12 ss. Apostolorum.
Jul.	22.	S. Mariae Magdalenae.
	25.	S. Annae.
	27.	S. Pantaleonis Megalomartyr.
August.	9.	S. Mathiae Apostoli.

Praeter hos dies *ταῖς ἐπισήμοις τῶν ἑορτῶν* Graeci accensent festa

Octob.	26.	S. Demetrii Megalomart.
Decemb.	12.	S. Spiridionis Episcopi.
	20.	S. Ignatii *τοῦ Θεοφόρου.*
Januar.	25.	S. Gregorii Nazianzeni.
Februar.	11.	S. Blasii Mart.
Jun.	11.	S. Bartholomei Apostoli.
Jul.	17.	S. Marinae Megalomart.
	26.	S. Parasceves.

Haec ergo varietas circa festa sanctorum servatur, quoniam, sicut *stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (I. Cor. 15, 41—42); siquidem *gloriosus Deus in sanctis suis, cujus recti censura judicii coelestia pariter et terrena disponit, etsi cunctos ejus ministros coelestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen (ut dignis digna rependat) praemiorum uberiori retributione prosequitur, quos commendat ingentior excellentia meritorum*[1]*).* Quum autem *alma mater Ecclesia, coelites sollicitis honorando studiis, sacra ejus vestigia premat,* pium sane ac justum est, ut ex omnibus Ecclesiae triumphantis civibus, *quorum memoriam esse in Ecclesia militante veneran-*

[1]) Ita Bonifacius PP. VIII. in C. *Gloriosus* un. de reliq. et ven. SS. in 6.

dam praeclaris miraculis declarat Deus, ii potioris laudis officio attollantur et glorificentur in terris, quos ipse Dominus insignioris merito sanctitatis coronavit in coelis[1]*.* Recte igitur, *divino ducta exemplo*[2], varii gradus officia sanctorum Ecclesia celebrat.

Ratione temporis festi dies sunt vel *mobiles ἑορταὶ κινηταί;* slav. *prazdniki dwižimyi* sive *podvižnie;* rumen. *serbatori schimbatorie* sive *mobile)* vel *immobiles (ἑορταὶ ἀκίνητοι;* slav. *prazdniki nedwižimyi* et *nepodvižnie;* rumen. *serbatori statorie* seu *nemobile);* mobiles non eodem die quovis anno celebrantur; immobiles vero certis semper diebus haerent. De utrisque separatim agendum.

---

[1]) Legi ea de re possunt, quae Gregorius PP. IX. habet in quatuor Bullis canonizationis: s. Francisci Assis. d. d. 19. Jul. 1228, § 6 (Magn. Bullar. Rom. edit. Luxemburg. tom. 1, p. 73), s. Antonii Patavin. d. d. 1. Jun. 1233, Exord. (ibid.), s. Dominici d. d. 3. Jul. 1234, § 6, (ibid. p. 78), et s. Elisabeth d. d. 1. Jun. 1235, §. 5. (ibid. p. 79). — Quibus in decretalibus duo haec principia enuntiantur: 1. Miracula „ad memorias Sanctorum patrata“ certa sunt signa divinae voluntatis, ut ecclesia eos, qui gloria jam sunt coronati in coelis, etiam condigno honore prosequatur in terris; 2. ad majorem illius venerationem inducimur in terris, quem insignioribus suis miraculis altius honorandum ostendit e coelis.

[2]) C. *Gloriosus* cit.

ΠΕΡΙ

ΤΟΥ ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΥ

ΔΙΑΤΡΙΒΗ

DE

KALENDARIO

COMMENTARIUS.

ΜΕΡΟΣ Α΄

ΠΕΡΙΕΧΟΝ

τὰς ἀκινήτους τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἑορτάς.

PARS I.

COMPLECTENS

immobilia totius anni festa.

JANUARIUS.

Μὴν Ἰανουάριος; mensis Januarius; slav. *měsjac Ianuarij;* rumen. *lun'a lui Ianuariu;* arab. Kanun et-tsânî (II).

Ἰανουάριος. De latinis mensium nominibus in graecis Kalendariis. Nihil apud Graecos, sive in Europa sive in Asia tam varium olim, quam mensium appellatio fuit: ut, notante Morcellio, cujusque mensis plus quam duodena nomina, alia nempe apud aliam gentem fuisse reperiamus [1]). Sed Graecia universa in populi Romani potestatem redacta missisque plures in urbes Latinorum coloniis, factum est, ut Graeci omnes paulatim Romanos induerent mores, ac *latina nomina, quum in aliis multis tum in mensium propriis vocabulis permiscentes, mature in rem suam verterent, appellationibus mensium Romanis tanquam suis usi* [2]).

Sic qui princeps *Martyrium sancti hieromartyris Ignatii τοῦ Θεοφόρου* ex antiqua traditione, ut videtur, primi scripserunt, Romanam consuetudinem jam secuti, et *Januarium* et *Decembrem* memorant. *Contigerunt autem haec,* inquiunt sub finem narrationis [3]), *a. d. XIII. Kalendas Januarias, hoc est, Decembris vicesimo* (*Ἐγένετο δὲ ταῦτα τῇ πρὸ δεκατριῶν Καλανδῶν Ἰαννουαρίων, τουτέστιν Δεκεμβρίῳ εἰκάδι*). Legi de hoc argumento possunt quae observavimus ad *Symbolen mensium variarum nationum* propositam in *Computo ecclesiast.,* p. 135.

---

[1]) Kal. CP. ad 1. sept. tom. 1, p. 108.

[2]) Ita Theodor. Gaza in *libro de mensibus,* graece scripto an. 1470, cap. 6, apud Migne, Patr. gr. tom. 19, pp. 1183—1184, jcto. tom. 161. pp. 971—972 et 983—984.

[3]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 5, pp. 987—988.

Antiqui Romani autem mensibus nomina quaedam ex diis suis, quaedam ex causis, quaedam vero ex numero imposuerunt. incipientes a Martio, quia ex ipso anni exorientis ordinem servaverunt, quemadmodum ex s. August. *contra Faustum* l. 18, c. 5 [1]) breviter mensium appellationes declarando animadvertit s. Isidorus *de natura rerum* c. 5 [2]).

Januarius mensis et *Januarius* absolute, olim undecimus, deinde primus anni mensis Romanorum, a *Jano* bicipite, cui sacer erat, nomen habet. In jure sacro etiam ex s. Hieronymi sententia *in Zachar. c. 8,* vv. 18—19 [3]) *Januarius dicitur, eo quod janua anni sit atque principium.* C. *Jejunium* 7. Dist. 86.

Ecclesia latina in foro et publicis negotiis annum cum Romanis inchoat a Kalendis Januariis; in divinis officiis autem ab Adventu Christi Domini.

In subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Christi, in Bullis *sub plumbo* vero a die Incarnationis Verbi divini, h. e., a die 25. Martii [4]). Annus igitur 1895, quem nos computamus ab initio Januarii, Bullis Pontificiis non adscribitur ante 25. Martii, hoc tamen discrimine, ut nos Kalendis Januarii inchoatum annum 1895 a die Circumcisionis Domini numeremus, Curia Romana autem in Bullis notet hunc ipsum annum die 25. Martii jam completum a prima Incarnatione Verbi. Videndus ea de re Card. Petra, *ad Constit. Apost.* tom. 1, prooemiali §. 3, n. 12, edit. Rom. an. 1705, p. 10, itemque Scaccia, *De judiciis* l. 2, c. 12, nn. 1190—1195, edit. Frankofurt. an. 1669, pp. 648—649.

Apud Graecos anni ecclesiastici atque inde Kalendariorum sacrorum initium esse a Septembri, notabimus infra ad d. 1. ejusdem mensis p. 265.

Slav. *Měsjac.* Quoniam graeci ritus catholici Slavi, Rumeni et Graeco-Melchitae [5]) propriis suis linguis in re divina

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 42, p. 346.

[2]) Ibid. tom. 83, p. 969.

[3]) Commentariorum in Zachar. l. 2, c. 8, apud Migne, Patr. l. tom. 25, p. 1476.

[4]) Sic et auctor *Gestorum Innocentii PP. III.,* eundem stylum secutus, narrat, hujus pontificis electionem celebratam esse die 8. Januarii anno Incarnationis Dominicae 1197, ordinationem in presbyterum d. 21. Februarii, die sequenti vero consecrationem in episcopum (Migne ibid. tom. 214, p. XX), quum duo hi menses tamen ad annum communem 1198 spectent.

[5]) Istud nominis sic explicat Benedictus PP. XIV. in *Allocut. consist.* d. 3. Febr. 1744: Saeculo quinto vergente, dilacerato per Nestorii et Eutychetis haereses Oriente, qui concilii Chalcedonensis definitionibus

peragenda utuntur, pro usibus academicis mensium ac praecipuarum festivitatum appellationes *slavicas, rumenas* atque *arabicas* ex libris ecclesiasticis illarum nationum literis latinis transscribemus: additis etiam, in commentarii decursu, nominibus syriacis eorum dierum festorum, quos Syri Maronitae ex decreto Concilii Montis Libani an. 1736 observant [1]), quod et ipsi, quamvis proprio ritu utentes, graecum tamen quadantenus imitentur, ut notavimus supra p. 30.

Vocabula slavica nominatim quod spectat, quum in iis saepissime occurrant literae sonum exprimentes non omnino simplicem, sed ex duobus pluribusve conflatum atque in totidem resolubilem, in iisdem latine transscribendis utendum erit characteribus varie notatis ac connexis, quo tota earum potestas rite exhibeatur. Sequemur autem bohemicum scribendi notandique modum, ut adeo literarum, conjunctionum apicumque vis ac ratio haec sit:

c = ц, *Zui*, nunquam habet sonum durum literae *k*, sed semper pronuntiatur ut Germanorum *z*, et Hungarorum *cz*, sono composito scilicet ex consona muta *t* et sibilante *s*, *sz* (hung.), ut ecce: *Carej* = *Zarej* = *Tsarej*, regum seu imperatorum [2]); *čudotvorcev* = *čudotvorzev* = *čudotvortsev*, thaumaturgorum [3]).

š = ш, *Scha*, sonus est plerisque gentibus familiaris, Germanis *sch*, Anglis *sh*, Gallis *ch*, Italis *sce* vel *sci*, Polonis *sz*, Hungaris *s*, Arabibus *schin*. Exempla haec sunto: *našego* = *nachego* (gall.) = *nascego* (ital.), nostri, et *našich* = *naschich* (germ.) = *nashich* (angl.), nostrorum, in titulis festorum occurrentium (*sv. otca našego* = *sv. otza naschego*, s. Patris nostri; *sv. otec našich* = *sv. otez naschich*, ss. Patrum nostrorum).

č = ч, *Tscherw*, fortiorem obtinet sonum, constantem ex consona muta *t* et ex sequenti composita *š*, *tsch*, quem sonum Angli exprimunt per *ch*, Poloni per *cz*, Hungari per *cs*, Itali et Rumeni per suum *c* ante *e* et *i*. Exemplum habent iidem tituli festorum in *mučenika* = *mutschenika* (germ.) = *mucenika* (ital.) = *mucsenika* (hung.) = *muczenika* (polon.), martyris.

šč = щ, *Schtscha*, litera prae caeteris omnibus conflata, utpote ex duabus compositis *š* et *č* efformata, acuto et stridulo sono

sese opposuerunt, adhuc per hos dies *Jacobitarum* nomine subsistunt, qui e contrario concilii dogmata ac decreta venerantes, Marciani imperatoris edictis obsequentes fuernnt, *Melchitae*, h. e., Regii seu Caesarei nuncupati sunt. (Bullar. Benedicti PP. XIV., tom. 1, Append. n. 6, edit. Venetae an. 1768, p. 285).

[1]) Vide supra p. 36.

[2]) In Horologio ad d. 21. Maj.

[3]) Ibid. ad d. 1. Julii et 1. Novemb.

fortius ac durius profertur, ut in vocabulo *svjaščennomučenika* = *svjaschtschennomutschenika* (germ.) = *szviascsennomucsenika* (hung.), hieromartyris, quod in festis episcoporum et martyrum legitur.

ž = ж, *Shiwete*, est Gallorum *j* consona (*je*, ego) vel *g* molle (*âge*, aetas), Hungarorum *zs:* affinis proinde Germanorum literae compositae *sch*, verum molliori sono pronuntianda. Sic nomen *položenije, depositio*, ad d. 31. August. recte profertur: *polojeniie* (gall.) et *polozseniie* (hung.).

ě = ѣ, *Jat*, effertur *je*, etenim consona *j*, sono quam proxime accedente ad sonum vocalis *i* raptissime prolatae, vocali *e* praefixa cum hac quasi diphtongescit, ut in *mĕsjacoslov* = *mjesjazoslov*, Menologium seu Kalendarium.

Animadvertendum denique est, Ruthenos literam *Γ*, *Glagol*, *g*, *gh*, aspirando per *h*, et *Θ*, *Fita*, Graecorum *Θ*, fere per *Ph* seu *F* proferre. Sic igitur ad d. 8. Junii graecum titulum *τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου τοῦ στρατηλάτου* slavice versum ruthenice legunt: *svjataho velikomučenika Feodora* (Ftheodora) *stratilata*.

α'. 1. *Ἡ κατὰ σάρκα Περιτομὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ μνήμη Βασιλείου τοῦ Μεγάλου. Ἀργία.*

Domini Nostri Jesu Christi Circumcisio secundum carnem; slav. *iže po ploti Obrězanije Gospoda našego Isusa Christa;* rumen. *Taliarea impregiuru cé dupa trupu a Domnului nostru Isusu Christosu;* arab. *Khitânet es-sîd el-Mesîch;* syriac. *ʿîdâ da g'zurtêh d'mâran.*

Περιτομή, circumcisio, a *περί, circum*, et *τέμνω, seco, scindo*, festivitas antiquitus in ecclesia latina non a circumcisione, sed ab *Octavis Domini* appellata. Utrumque titulum conjungit Martyrolog. Rom. *Circumcisio D. N. J. Ch. et Octava Nativitatis.* Armeni ac Graeco-slavi etiam *ss. Nomen Jesu* venerantur.

De festi hujus antiquitate apud Latinos testimonia habemus in Concilio Turonensi secundo an. 567 [1]) et in *Regula monachorum* s. Isidori Hispalensis († 636). A Graecis

[1]) Apud Hardouin, Concil. tom. 3, p. 360.

eadem Circumcisionis solemnia certum est serius fuisse recepta: ea enim quae olim ex s. Joanne Chrysostomo et Amphilochio vetustiora afferri solebant, abjudicari his auctoribus debere, eruditis compertum jam est [1]). At saeculo octavo ineunte hujus mysterii memoriam in ecclesia graeca notam frequentatamque ostendit *Kalendarium CPolitanum,* sub id tempus in urbe regia conscriptum, prout pluribus ostendit Morcelli, *praefat.* § 2.

Quod Circumcisionis dies in Ecclesia maturius festus esse non coeperit, tribui id posse videtur *iniquis illarum Kalendarum observationibus paganismi* [2]) universo orbi Romano communibus et piae festaequae laetitiae maxime adversariis: hae enim a christianis potius exigebant, ut primo die Januarii nefandas gentilium impietates et in Deum injurias impensiori studio, additis jejuniis et litaniis, vindicare satagerent. Unde s. Augustinus *in psalm. 98 „per istos dies,* inquit, *ad hoc jejunamus, ut, quando ipsi laetantur, nos pro illis gemamus"* [3]). Qua de re praeter alios, qui de festis Domini scripserunt, videndus est Baron. *notat. ad Martyrol. Rom.* h. d.

Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας, τοῦ Μεγάλου.

Memoria sancti Patris nostri Basilii Magni, archiepiscopi Caesareae in Cappadocia; slav. *pamiat iže vo svjatych otca našego Vasilija Velikago, archiepiskopa Kesarii Kappadokijskija;* rumen. *amentirea celui deintru santi parentelui nostru Vasiliu celu Mare, episcopulu Cesarei Capadociei.*

Diem hunc fasti graeci latinique s. Basilii memoriae sacrum habent; primus Januarii enim mortis ejus dies est anniversarius. Graeci in officio partim de Circumcisione Domini, partim de s. Basilio agunt; Latini vero quum in tanta dominica solemnitate de sanctis agi vetitum in eorum ritu sit,

[1]) Cfr. Montfaucon. in *monit. ad hom. s. Joan. Chrysost.* apud Migne, Patr. gr. tom. 50, p. 807, et Cave *script. eccles.* p. 159 edition. an. 1720, juncto Morcellio *Kal. Eccles. CP.* ad hunc diem.

[2]) Ita superstitiosi hi gentilium ritus in jure vocantur c. *Non licet* 13. C. XVI. q. 7, jcto. c. *Si quis Kalendas* 14. eod.

[3]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 37, p. 1262.

festum s. Basilii transferunt ad 14. Junii, quo eum Martyrol. Roman. ordinatum fuisse episcopum perhibet (an. 370) cum hoc elogio: *Caesareae in Cappadocia ordinatio s. Basilii episcopi, qui tempore Valentis imperatoris doctrina et sapientia insignis omnibusque virtutibus ornatus mirabiliter effulsit, et Ecclesiam adversus Arianos et Macedonianos mira constantia defendit,* quae omnia fusius declarat Breviar. Rom. ad eundem diem.

Monachi Italo-graeci O. S. Bas., Latinos secuti, alterum hunc diem quoque honori sanctissimi sui institutoris dicarunt[1]) eumque praeterea cum omnibus sanctis suis cognatis venerantur die 30. Maji[2]). Saeculo undecimo Graecorum pietas quartum diem addidit ss. Basilio, Gregorio Nazianzeno, et Joan. Chrysostomo communiter dicatum, 30. Januarii, prout infra dicetur p. 86. Decessit an. 379, aetatis 63. — Caeterum in s. Basilio celebrando cum Oriente Occidens illustri certamine contendit. Si Graecis est *ὁ μέγας τῆς ἀληθείας διδάσκαλος, magnus ille veritatis magister, ὁ ἔνθεος τῆς οἰκουμένης φωστήρ, divino numine afflatus illuminator orbis,* et *κατ᾽ ἀντονομασίαν* vulgo *οὐρανοφάντωρ* (slav. *nebojavlennje;* rumen. *aratatoriule de celea ceresci), ad coelum usque resplendens:* ejusdem *claritas* et in jure nostro *per totum orbem circumfulsisse* traditur c. Jacobus 47. *Dist. 1. de Cons.*, et scripta tum generatim omnia, tum nominatim *divina liturgia* semel atque iterum cum eximia laude approbata leguntur c. *Sancta Romana* 3. Dist. 14 et c. *Quoniam sanctae* 7 Dist. 16 jcto. c. *Jacobus cit.* Exstant opera apud Migne, Patrol. gr. tt. 29—32. Caeteras magni viri res praeclare gestas apud Bollandianos reperies Junii tom. 2, pp. 295—436, consultis quae de vita s. Basilii docte commentatur Jos. a Puteo, O. S. Basil. Abbas generalis, in opere *Dilucidazioni critico-istoriche sulle relazioni degli antichi e moderni scrittori della vita di S. Basilio Magno.* Romae, 1746.

Praeclara sunt quae *magnus hic veritatis magister* variis occasionibus de primatu Sedis Romanae planissime scribit. Ex iis adduci inprimis merentur literae ad s. Damasum Papam datae

[1]) Cfr. Horologium monasterii Cryptae ferratae ad d. 14. Junii.
[2]) Vide Festi titulum infra positum ad d. 30. Maji.

an. 371, in quibus quum Orientis mala vividis coloribus depinxisset, Papam enixe rogat, ut ex more et instituto decessorum suorum in periculo versantibus auxilium ferat, *horum* (malorum) *unicam solutionem*, inquiens, *exspectavimus miserationis vestrae visitationem* (*τούτων μίαν προσεδοκήσαμεν λύσιν τὴν τῆς ὑμετέρας εὐσπλαγχνίας ἐπίσκεψιν*): *ac nos semper consolata est mirabilis vestra caritas praeterito tempore, et laeto rumore allato, fore ut a vobis inviseremur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Postquam autem spe excidimus, non jam amplius ferentes, eo devenimus, ut vos per literas obsecremus, ut ad opem nobis ferendam excitemini . . ., omnino autem nihil exposcimus novi (πάντως δὲ οὐδὲν καινὸν ἐπιζητοῦμεν), sed quod et caeteris olim beatis ac Deo dilectis viris usitatum et praecipue vobis. Novimus enim ex serie memoriae, a patribus nostris interrogatis, et literis etiamnum apud nos asservatis edocti, Dionysium beatissimum illum episcopum, qui apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse ecclesiam nostram Caesariensem, et patres nostros per literas consolatum esse*[1]). . . . *Nunc difficilior ac tristior est rerum nostrarum status . . .; quare nisi jam ad suppetias ferendas excitemini, paulo post nec quibus manum porrigatis, inventuri estis, omnibus sub haeresis potestatem redactis*[2]). — Nec minus dilucide in eandem rem sancto Athanasio haec refert: *Nobis autem operae pretium visum est, ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut, quum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium propria auctoritate aggrediatur* (*αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα*) *eligens homines idoneos . . . ad eos, qui apud nos perversi sunt, corrigendos*[3]). Qua reverentia autem ejusdem s. Damasi literas synodicas magnus Doctor exceperit, ipse aperte declarat anno sequenti Romanae synodo scribens: *Revera summae laudis praeconio dignum est, quod a Domino pietati vestrae gratia datum est, adulterinum quidem a probo et puro discernere, patrum vero fidem absque ulla dissimulatione praedicare (χαρισθὲν παρὰ τοῦ Κυρίου, τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκιμοῦ καὶ καθαροῦ διακρίνειν, τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρύσσειν), quam et nos suscepimus agnovimusque ex apostolicis notis consignatam (ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χαρακτήρων μεμορφωμένην), eique et caeteris omnibus, quae in literis synodalibus (ἐν τῷ συνοδικῷ γράμματι) canonice et legitime statuta sunt, assentimur*[4]).

[1]) Quod s. Basilius hic narrat de Romanis Pontificibus, afflictis rebus longinquarum ecclesiarum medentibus, illustratum invenies testimoniis et Dionysii Corinthiorum episcopi, apud Euseb. *Hist. eccl.* l. 4. c. 23 (Migne Patr. gr. tom. 20, pp. 387—388) et Dionysii Alexandrini, l. 7. c. 5 (ibid. pp. 643—644) et ipsius etiam Eusebii l. 4. c. 23 *citat.*

[2]) Epist. 70, al. 220, apud Migne, Patr. gr. tom. 32, pp. 433—436.

[3]) Epist. 69, al. 52, ibid. pp. 431—432.

[4]) Epist. 92, al. 69, ibid. pp. 483—484.

Ἀργία, per *κρᾶσιν* factum ex *ἀεργία*, ab *α* privat. et *ἔργον opus, cessatio ab opere,* dies cessationis, dies feriatus, *dies festus;* slav. proprie *nedělа*, verum in Horologio hic redditur voce *prazdnik, festum;* rumen. *serbatoria.*

β'. 2. *Προεόρτια τῶν Θεοφανείων καὶ μνήμη Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμης.*

Προεόρτια τῶν Θεοφανείων; slav. *Predprazdenstvo prosvěščenija;* rumen. *Preserbarea botezului Domnului.*

Προεόρτια officium, *quod festum praecedit,* a *πρό, ante* et *ἑορτή, festum,* veluti praeparatio festi, haud absimilis *Vigiliae* Latinorum, cum eo tamen discrimine, quod maximis festis Graecorum plures ejusmodi dies *προεόρτιοι* praemittantur. *Προεόρτια τῶν Θεοφανείων* igitur quatuor dies 2. 3. 4. et 5. Januarii complectuntur, quibus fideles ad instantem festivitatem rite celebrandam proprio officio praeparantur atque informantur. Totidem celebrari videbimus ante Nativitatem Domini, quare *Menaea* ad 20. Decemb. habent: *ἀπὸ ταύτης ἀρχόμεθα τῶν προεορτίων τῆς κατὰ σάρκα Γεννήσεως κ. τ. λ. ab hoc die incipimus festa praeparatoria Nativitatis secundum carnem* etc. Porro toto hoc *προεορτίων* spatio singulis diebus eundem illum *προεορτίων* titulum legimus repetitum in Menaeis.

In Kalendariis syriacis cod. vatican. 20 per hos dies signantur:

Sabbatum ante benedictionem aquae.
Dominica ante benedictionem aquae.
Ipsa nox benedictionis aquae.
Sabbatum post benedictionem aquae.

S. Silvestrum PP. Latini colimus die 31. Decembris. *Sapientia et virtute clarus post Melchiadis obitum ordinatus episcopus* (Menol. Basil. pp. 239—240) an. 314, *synodis habitis multisque aliis rebus sanctissime gestis* (Martyrol. Rom.) *in profunda senectute ad Deum laetus migravit* (Menol. Basil. l. c.) an. 335.

Acta graeco-latina vulgavit Combefisius; de iis tamen est censura Concilii Romani sub s. Gelasio PP. habiti an. 496,

quod incerto auctore sint composita; scripta anonyma quippe. teste eodem Concilio, *secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, ne vel levis subsannandi oriatur occasio*[1]); quae cautio quam recte provideque a Latinis fuerit adhibita, vel ipsa haec acta sancti Silvestri manifestum faciunt; ex ejusdem enim neglectu factum est, ut praeter alios commentitios eventus etiam fabula illa de bove a Judaeis interfecto et a sancto ad vitam revocato in pleraque omnia Menologia slavica transierit. Vide Asseman. *Kal. E. U.* ad h. d.

In officio s. Silvestri egregium exstat testimonium ecclesiae graecae de infallibili magisterio Romani Pontificis; comparatur enim sanctus columnae ignis ac nubi populum Israeliticum praecedentibus, praedicaturque *dux ac coryphaeus Concilii Nicaeni,* qui *semper infallibilibus doctrinis suis ora haereticorum obstruxerit.* En officii verba *ad Vesperas,* in *στιχηροῖς προσομοίοις:*

Πάτερ Σίλβεστρε . . . στύλος ὡράθης πυρός, ἱερῶς προηγούμενος ἱεροῦ συστήματος, καὶ νεφέλη σκιάζουσα, Αἰγύπτου πλάνης πιστοὺς ἐξαίρουσα, καὶ πρὸς θείαν αὐγὴν μεταφέρουσα ταῖς ἀπλανέσι διδαχαῖς ἑκάστοτε.

Silvester pater, visus es veluti columna ignis, sacro more ducem agens sacri conventus, et veluti nubes obumbrans, eripiens fideles ab Aegyptio errore (Arii) *et semper infallibilibus doctrinis transferens ad divinam lucem.*

Et in Odis iidem Graeci cantant:

Ὡς θεῖος κορυφαῖος ἱερῶν πατέρων τὸ ἱερώτατον δόγμα ἐκράτυνας, αἱρετικῶν ἀποφράξας ἄθεα στόματα.

Ἔτρεψας, Σίλβεστρε, ἐναντίων σύστημα τὸ τῶν ἀποστόλων μαχόμενον τῷ κηρύγματι.

Συνεχύθησαν γλῶσσαι συμφωνοῦσαι τῇ πλάνῃ ἐν τῇ δυνάμει σοφῇ πνεύματος τοῦ θείου τοῦ ἐν σοὶ ἐνεργοῦντος· καὶ εἰς μίαν συνήφθησαν δοξολογίαν θεοῦ πιστῶν χοροστασίαι.

Ut divinus coryphaeus sacrorum patrum sacratissimum dogma statuisti, obstruens impia haereticorum ora.

Prostravisti, Silvester, aciem hostium, qui doctrinae ab Apostolis traditae adversabantur.

Linguae, quae in errore consentiebant, confusae sunt per virtutem divini spiritus, qui in te operabatur; et fidelium chori congregati sunt ad glorificandum Deum.

Alia in eandem rem vide apud Jos. Cozza-Luzi, O. S. Bas. *de Romani Pontificis auctoritate doctrinali testimonia liturgica ecclesiae graecae* pp. 7 et 15, junctis literis encyclicis Michaelis Levicki, Metropolitae Leopoliensis *rit. gr.* d. d. 10. Martii 1841 apud Theiner. Die Staatskirche Russland's pp 354 seqq.

---

[1]) C. *Sancta Romana* 3. Dist. 14.

γʹ. 3. *Μαλαχίου τοῦ προφήτου καὶ Γορδίου μάρτυρος*[1]).

S. Gordium Comitem, centuriae praefectum et martyrem sub Licinio, Martyrol. Rom. hoc elogio exornat: *Caesareae in Cappadocia s. Gordii centurionis, de cujus laudibus exstat praeclara Basilii Magni,* ejusdem civitatis episcopi, *oratio in ejus die festo habita.* Eam integram reperies tum latine solum in Actis SS. Januar. tom. 1, pp. 130—133, tum graece et latine apud Migne, Patrol. gr. tom. 31, pp. 489—508: in synopsin redactam vero in Synaxario Menologii Basil. pp. 239—240 et in Menaeis ad h. d.

Graeci hoc die memoriam venerantur *Malachiae prophetae, τοῦ τελευταίου τῶν ιβʹ ἐλασσόνων ultimi inter 12 minores;* Latini vero 14 h. Vaticinatus est medio saeculo quinto ante Christum. Res gestas ex libro *de vitis prophetarum,* sancto Epiphanio olim tributo[2]), breviter describunt Bollandiani Januar. tom. 2, p. 213, quibus fere consonat synaxarium Menologii Basil. pp. 239—242. Verum de Actis prophetarum consulendi sunt scriptores historiae divinae revelationis atque interpretes veteris testamenti.

δʹ. 4. *Ἡ σύναξις τῶν ἁγίων ἑβδομήκοντα· καὶ τοῦ ὁσίου Θεοκτίστου, τοῦ ἐν τῷ Κουκούμῳ τῆς Σικελίας ἡγουμένῳ.*

Synaxis ss. septuaginta apostolorum, slav. *Sobor svjatych apostolov sedmdesiat;* rumen. *Adunarea santîloru celoru 70 de apostoli.*

Σύναξις, conventus, a *συνάγω, colligo, congrego,* generatim omnis christianorum coetus religionis causa celebratus omnium celebritatum indiscriminatim proprius; speciatim dicitur de festivis conventibus, qui statis diebus ad solemnius

[1]) Integra hodiernae festivitatis appellatio in Menaeis haec est: *Προεόρτια τῶν Φώτων· καὶ τοῦ ἁγίου προφήτου Μαλαχίου καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Γορδίου;* verum paucis eam coarctamus, quia in Commentario hoc nostro festorum titulos, prolixitatis vitandae causa, quam poterimus compendio scribemus, nisi tamen si exercitationum academicarum utilitas aliud suadere visa fuerit.

[2]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 43, pp. 411—414. De eo confersis Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 296.

officium canendum propriamque liturgiam peragendam in Horologio designantur, ac cum *stationibus* Latinorum ferme comparandi sunt, quatenus diebus stationum in Kalendario notatis confluxus fiebat ad aliquem locum sacrum, ubi illo die publica missarum solemnia fieri debebant.

Ἀπόστολος, ab *ἀποστέλλω*, *mitto cum mandatis, cum potestate et auctoritate negotii gerendi causa,* quivis dicitur, qui *cum mandatis mittitur* (Joan. 13, 16; II. Cor. 8, 23). Et quamvis communi usu loquendi duodecim illi, quos Christus Dominus *praecipuo quodam honore solos (μόνους κατά τι γέρας ἐξαίρετον)* apostolos vocavit[1]), *κατ' ἐξοχήν* dicantur apostoli, in ecclesia orientali tamen honorificum hoc *apostoli* nomen etiam 72 discipulis Domini tribuitur, quum et ipsi cum potestate essent missi ad Dei verbum praedicandum[2]). Ut eos aliqua ratione a duodecim distingueremus, eorundem titulum *τῶν ἀποστόλων* adhibita litera minori *α* in Heortologio scripsimus.

In libris liturgicis Graecorum iis numerus *septuagenarius (οἱ ἅγιοι ἑβδομήκοντα ἀπόστολοι* vel simpliciter *οἱ ἑβδομήκοντα, οἱ ο')* tribuitur, secundum lectionem plurimorum codicum graecorum Luc. X, 1. De omnibus ss. 72 Christi discipulis olim etiam in aliquibus fastis latinis simul actum legimus. Cfr. Cuperum in *Commentario historico-critico* apud Bollandianos, Jul. tom. 4, p. 17.

Horum 72 sanctorum nomina, inquit idem Cuperus l. c., ita scripta sunt in coelis, ut pauca admodum in terris certo cognita esse existimem. Exstant quidem plurimi catalogi, in quibus ea singillatim recensentur[3]); sed ita corrupti sunt ac diversi, ut eos hic transscribere non sit operae pretium. Quantum vero fidei tribuendum sit variis his nominum catalogis, aperte liquet ex Eusebio, qui in *Ecclesiastica*

---

[1]) Ita Euseb. *Hist. Eccles.* l. 1, c. 10, apud Migne Patrol. gr. tom. 20, p. 113; *Chronic. Paschal.* ibid. tom. 92, p. 522; et Nicephor. Callist. *Hist. Eccles.* 1, 21, Patrol. cit. tom. 145, p. 695.

[2]) Confer quae dicentur infra ad 21. Augusti.

[3]) Ejusmodi catalogos habes apud Migne, Patrol. gr. tum in *Chronic. Paschal.* tom. 92, pp. 521—524 et 543—546, tum inter opera spuria s. Hippolyti, tom. 10, pp. 953—958.

Historia l. 1. c. 12 ita testatur [1]: *Et apostolorum quidem Servatoris nostri nomina ex Evangeliorum libris notissima sunt omnibus. Quod vero ad septuaginta discipulos attinet, eorum series nullibi perscripta reperitur. Fertur tamen ex illorum numero unus fuisse Barnabas, cujus quum in Actibus Apostolorum crebra fit mentio, tum in Pauli ad Galatas epistola. Ex iisdem etiam Sosthenem fuisse perhibent, eum qui una cum Paulo literas ad Corinthios scripsit; sic enim refert Clemens in libro 5. Hypotyposeon: in quo etiam Cepham illum, cui Antiochiam ingresso Paulus se palam restitisse dicit, quoniam reprehensione dignus erat, unum ait fuisse ex septuaginta discipulis, Petro apostolo cognominem* [2]; *Matthiam quoque, eum qui Judae proditoris loco in numerum Apostolorum adscriptus est, et alterum illum, qui cum Matthia pari suffragio fuit honoratus, fama est ex illo coetu septuaginta discipulorum fuisse. Thaddaeum praeterea unum ex illis fuisse ferunt.* Vides, ita concludit Cuperus, Eusebii tempore nullum eorum catalogum exstitisse, atque hos paucos ab eo ex veterum traditione tantummodo recenseri. Recentibus Graecorum fastis tamen multa discipulorum nomina inscripta leguntur, quae singula propriis diebus, ipsis in Heortologio attributis, referemus.

S. Theoctistus abbas monasterii Cucumi in Sicilia circa annum 800 floruisse creditur. Cfr. Bolland. Januar. tom. 1, p. 180.

ε'. 5. *Θεοπέμπτου καὶ Θεωνᾶ, μαρτύρων· καὶ Συγκλητικῆς τῆς ὁσίας. Παραμονὴ τῶν Φώτων. Νηστεία, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ τύχῃ.*

Sanctos Theopemptum Episcopum et Theonam, martyres in Cilicia sub Diocletiano, circa an. 284, Latini colunt die 3. Januarii. — Quae iisdem in fastis plerisque additur s. *Syn-*

---

[1]) Ibid. tom. 20, pp. 117—118.

[2]) In eandem sententiam *Cephas* in Chronico Paschali l. c. pp. 521—522 designatur *Petro cognominis, cum quo congressus est Paulus de Judaismo (Κηφᾶς ὁμώνυμος Πέτρου, ᾧ καὶ ἐμαχήσατο Παῦλος κατὰ Ἰουδαϊσμοῦ).* Cum aliis sex in Menologio Basil. honoratur die 9. Decembris, pp. 197—198.

cletica, Aegyptia, sacrarum virginum Antistita Alexandriae, sub Constantino Magno, Martyrologio Rom. adscripta legitur hoc die. Vitam a s. Athanasio, ut fertur, conscriptam latine edidit Bolland. Januar. tom. 1, pp. 242—257; graece et latine Montfaucon. inter opera s. Athanas. tom. 3 [1]).

Παραμονὴ τῶν Θεοφανείων ἤτοι τῶν Φώτων; slav. *navečerije Bogojavlenija;* rumen. *ajunulu Botezului.*

Παραμονή, *παννυχίς*, *ἀγρυπνία* Latinorum *Vigiliis* proprie dictis respondent; ita tamen, ut *παραμονή* (*constans, mansio* in ecclesia, *exspectatio* festi, a *παραμένω constanter, perseveranter maneo*) potius diurnum Vigiliae seu stationis officium designet, *παννυχίς* contra, ut vox sonat, officium nocturnum, pervigilium seu officium pernox [2]), quo etiam *ἀγρυπνία* pertinet. Hoc nomen autem ex sua notatione [3]) ipsam *experrectam*, attentam atque alacrem *vigilantiam* tempore officii nocturni significat, conjunctumque cum praecedenti nonnunquam occurrit, ut *παννυχὶς ἀγρυπνητή*, officium nocturnum, quod tota nocte cum sollicitudine vigilando attente ac devote peragitur [4]).

---

[1]) Refertur inter opera spuria s. Athanasii apud Migne, Patrol. gr. tom 28, p. 1485—1558.

[2]) Inferioris aetatis scriptoribus ecclesiasticis *παννυχίς* pressius sumpta est *officium nocturnum Defunctorum*, etiam praesente cadavere celebratum, quod olim apud Latinos quoque in ecclesia vigilatum fuisse constat ex Reginone, *de disciplina eccl.* 2, 5, 55 (apud Migne, Patr. l. tom. 132, p. 285) juncto can. *Sacerdos* C. XXVI, q. 7.

[3]) Veteres grammatici vocabulum *ἀγρυπνία* ex *ἀϋπνία* pleonasmo literarum *γρ* factum esse putarunt, scilicet ab *α* priv. et *ὕπνος*, *somnus;* verum recentiores linguarum scrutatores illud deducunt ab *ἐγείρω*, *expergefacio*, (unde et *ἐγρηγορέω*, *vigilo*) juncto *ἀγείρω*, *colligo*, utriusque verbi origine repetita a sanskritico *gri* et *gâ-gri*, *vigilare.* Consule, qui praeter caeteros ea de re late diputant Benfey, *Griechisches Wurzellexikon*, edit. Berol. an. 1842, tom. 2, p. 128, et Pott, *Wurzel-Wörterbuch der indogermanischen Sprachen*, ed. 2 (Detmold) an. 1869, tom. 2, sect. 1, pp. 239—243.

[4]) *Ἀγρυπνίας cum multis lampadibus et suffitibus* (*ὑπὸ πολλαῖς λαμπάσι καὶ θυμιάμασι*) actas in *vita s. Euthymii* ex Cyrillo Scythopolitano refert Metaphrastes n. 122 (Migne, Patr. gr. tom. 114, pp. 699—700), eoque pertinent illa s. Joannis Chrys. in *homil. post terrae motum: νύκτα ἡμέραν ἐργάζεσθε . . . ταῖς παννυχίσι τὰς νύκτας φωτίζοντες, noctem diem facitis . . . pervigiliis noctes illustrantes* (ibid. tom. 50, p. 713), et alia in *homil. in martyres: ἐποιήσατε τὴν νύκτα*

quo sensu et *ἀγρυπνία ὁλονύκτιος* dicitur in *Typico* Irenes Augustae, c. 39 [1]).

Scire oportet,' inquit Codin. *De officiis CPolitanis,* c. 13, quatuor quotannis *ἀγρυπνίας* in palatio imperatoris peragi: *magni Canonis; Virginis acathistae, Annuntiationis et magnae feriae quintae* in Coena Domini [2]). Sed de his opportunior erit disserendi locus in altera parte, quum de festis mobilibus tempore Quadragesimae disputabimus.

De antiquissimo piissimoque ritu Vigiliarum apud Latinos accurate disputat Baronius in *Notis ad Martyrolog. Rom.* h. d.

Νηστεία, abstinentia a cibo, jejunium (slav. *post;* rumen. *postu*). Dicitur, inquit Suidas, a particula *νη* privativa et verbo *ἐσθίειν, edere,* vel a nomine *σίτιον, cibus.* Multa de hoc vocabulo sunt apud Benfey, *Wurzellexicon,* tom. 1, pp. 246—249. *Νηστεία* haec similis est jejunio, quod Latini in vigiliis majorum solemnitatum observare jubemur c. *Consilium* 2. *de observatione jejuniorum* (3, 46). Habetur autem et ipso festo decollationis s. Joannis Baptistae (29 Aug.) et die vivificae crucis sacro (14. Septemb.).

ϛ'. 6. *Τὰ ἅγια Θεοφάνεια. Ἀργία, καὶ κατάλυσις εἰς πάντα.*

Sancta Manifestatio Dei; slav. *Svjatoje Bogojavlenije* seu *Bogojavlenije Gospodne;* rumen. *Aratarea cé santa domnedieesca a Domnului Domnedieu Is. Chr.;* arab. *'îmâd sîd'nâ el-Mesîch va tçuhûr ilâhî;* syriac. *'îdâ d' denchêh d' mâran.*

Antiquissimam hanc in universa Ecclesia solemnitatem varie appellatam legimus. Nomina Graecis et Latinis com-

---

ἡμέραν διὰ τῶν παννυχίδων τῶν ἱερῶν, noctem convertistis in diem per sacras istas vigilias; quo in loco etiam veluti propria *τῶν παννυχίδων* exercitia recenset *γραφῶν ἁγίων ἀκρόασιν, μυστηρίων θείων κοινωνίαν καὶ πνευματικὴν χορηγίαν, sacrarum auditionem scripturarum, divinorum participationem mysteriorum et spiritualem largitionem* (ibid. pp. 663—664).

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 127, p. 1059.

[2]) Ibid. tom. 157, pp. 87—88.

munia fuerunt *Epiphania* et *Theophania*[1]), *ostensio, apparitio Dei,* quod hoc die se Deus hominibus manifestum praebuerit. Et Latini quidem simul triplicem venerantur Domini manifestationem, qua scilicet ipsius divinitas manifestata est Magis in Bethlehem, Joanni ad Jordanem et discipulis in Cana Galilaeae[2]). Graeci vero, quum de Magorum adoratione die ipso Christi natali jam egerint, hodie Dei apparitionem in Baptismo Christi factam, seu ipsum ejus Baptismum recolunt. Ad rem s. Joan. Chrysostomus: *Τίνος οὖν ἕνεκεν αὕτη Ἐπιφάνεια λέγεται; Quamnam igitur ob causam haec Epiphania appellatur? Ἐπειδὴ οὐχ, ὅτε ἐτέχθη, τότε πᾶσιν ἐγένετο κατάδηλος, ἀλλ' ὅτε ἐβαπτίσατο: quia nimirum non omnibus manifestus est redditus, quum partu est editus, sed quum est baptizatus*[3]). Hinc titulus ad hunc diem in Menologio Basiliano p. 243: *Ἡ βάπτισις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Baptismus Domini Nostri Jesu Christi.*

Quoniam autem quod Latini *baptizari* dicunt, Graecis est *φωτίζεσθαι, illuminari,* et *baptismus* ipse *φωτισμός, illuminatio,* vocatur, hodierna solemnitas appellatione Graecorum propria *τὰ Φῶτα* nominatur. *Ἡ γὰρ ἁγία τῶν φώτων ἡμέρα,* inquit s. Gregorius Nazianz.[4]), *εἰς ἣν ἀφίγμεθα, καὶ ἣν ἑορτάζειν ἠξιώμεθα σήμερον, ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει, Etenim sanctus Luminum dies, ad quem pervenimus, et quem hodie divino beneficio celebramus, originem quidem a Christi mei baptismo ducit.* Sunt autem, qui teste L. Allatio[5]) propriae hujus Graecorum appellationis rationem a cereis et lampadibus repetant, quibus accensis *ὁ μέγας ἁγιασμὸς τοῦ ὕδατος, solemnis benedictio aquae,* absolvitur. *Sub mediam noctem* scilicet, templo plurimis facibus collucente, sacri fontis aqua rite expiari ac tum baptismus

[1]) *Theophaniae* appellatio etiam in Sacramentario s. Gelasii PP. I. occurrit, apud Migne, Patrol. lat. tom. 74, p. 1062; itemque in jure canonico c. *Pronuntiandum* 1. Dist. 3. de Cons.

[2]) Cfr. Antiphon. ad Magnificat in II. Vesperis.

[3]) Homilia *de baptismo Christi* n. 2. apud Migne, Patr. gr. tom. 49, p. 363.

[4]) Orat. 39. *Εἰς τὰ ἅγια Φῶτα τῶν Ἐπιφανείων* apud Migne, Patrol. gr. tom. 36, pp. 335—336.

[5]) De Dominicis et hebdom. Graec. 32.

solemniter conferri solebat: et plerique e populo *ex aquis sanctificatis* lagunculas *domum referebant ac recondebant et per integrum annum conservabant* (S. Joan. Chrysostom. l. c.).

Fuit antiquitus hoc festum adeo celebre, ut vel impiissimi imperatores ausi non sint, se ejus officio subducere. Sic *Julianus apostata, quantumvis haruspicinae auguriisque intentus et caeteris, quae Deorum semper fecere cultores, tamen ut haec interim celarentur, feriarum die quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam, solemniter numine orato discessit*[1], dum Viennae in Gallia degebat an. 361. Simile quid *Valentem* imperatorem fecisse narrat s. Gregor. Nazianz. in *orat. in laudem s. Basilii M.* n. 52, apud Migne, Patr. gr. tom. 36, pp. 561—564.

Insignibus miraculis etiam hunc diem fuisse illustratum, ex graecis patribus discimus. Alterum sic refert s. Joan. Chrysost. l. c. p. 366: *Fit miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum (hoc die sanctificatarum, σήμερον ἁγιασθέντων τῶν ὑδάτων) natura vitiatur, sed integro anno, atque adeo biennio et triennio saepe, quae hodie fuit hausta, incorrupta et recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quae nuper fuerint e fontibus eductae, certat.* Alterum in memoriam Christi, in nuptiis se manifestantis, fieri solitum, narrat s. Epiphanius *haeres. 51,* nn. 29—30 his verbis[2]: *Primum in Cana Galilaeae miraculum edidit, quum ex aqua vinum est factum*[3]. *Quapropter etiam in multis locis usque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est, divinum signum in testimonium incredulis, velut testantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum conversi (ὡς μαρτυροῦσι ἐν πολλοῖς τόποις πηγαί τε καὶ ποταμοὶ εἰς οἶνον μεταβαλλόμενοι): Cibyres quidem, urbis Cariae fons, eadem illa hora, qua hauserunt ministri et ipse dixit:* Date architriclino. *Testatur et in Gerasa Arabiae fons similiter. Nos bibimus de Cibyres fonte (πεπώκαμεν ἀπὸ τῆς Κιβύρης), fratres vero nostri de eo, qui est in Gerasa, in martyrum templo. Sed et multi in Aegypto de Nilo hoc testantur*[4].

Cum hodierna baptismatis celebritate graeca appellatio *τῶν φώτων* sive *τῆς βαπτίσεως* ad Graeco-slavos transiit, apud Slavos quidem *Prosvěšćenije, illuminatio*, vel etiam

---

[1]) Ita Ammianus Marcellinus, auctor gentilis, l. 21, n. 2.

[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 41, pp. 941—942.

[3]) Joan. II, 1—11. Legitur a Graecis fer. 2. post Dom. in Albis, a Syris Domin. Quinquagesimae, quae ipsis est prima Quadragesimae.

[4]) Confer sis quae de his fontibus vinosis contra Casaubonum late disputat Heribert. Rosweid. in *lege talionis 12 tabularum.*

Kreščenije, baptismus dicta, *apud* Rumenos autem *Botedului Isusu Christosu, Baptismus Jesu Christi.*

Armenis Solemnitas Epiphaniae est unum e quinque summis festis „*Daghavár*“ appellatis, cum praevia hebdomada jejunii primae classis, et sequenti octava, simili fere Octavae Latinorum; dies proxime sequens festis de praecepto accensetur, uti apud nos feria II. Paschatis et Pentecostes. Catholici hodie cum Epiphania baptismum Christi Domini recolunt. schismatici vero Nativitatem et Epiphaniam, celebritate baptismi cum veneratione Nominis Jesu in 13. Januarii translata.

Benedictio solemnis aquae in toto Oriente magna cum pompa et populi concursu peragi solet extra ecclesiam, ut plurimum ad rivi cujusdam fluenta, ne cui potestas desit se eo die aqua sanctificata lavandi. Benedictione fluminis peracta in eo multi mares foeminaeque trina mersione toti merguntur. In Aegypto immo ex Turcis multi se cum Christianorum Coptorum turba in Nilum solemni ritu expiatum projiciunt, quin et imagines et animalia sua domestica in fluvium praecipitant, res omnes veluti baptismo sanctificaturi. Et haec quidem in Oriente.

In Occidente contra baptismatis celebritatem temporis paschalis propriam esse censentes Latini, gemina Christi manifestatione ad Jordanem et in Cana Galilaeae obiter tantum memorata, hunc diem adorationi cultuique ss. Magorum praecipue dedicatum esse voluerunt, ut qui vocationis gentium primordia, gratissima memoria nobis perpetuo recolenda, proponat.

Et quoniam s. Siricius PP. in epistola ad Himerium Tarraconensem an. 385, s. Leo M. in epist. ad Episcopos Siciliae an. 447, s. Gelasius PP. I. in epist. ad clerum et pleb. Tarentin. an. 494 aliique Pontifices in jure sacro relati cc. 11—18 Dist. 4. de Cons., auctoritate et ratione innixi, statuerunt, antiquam Romanae Ecclesiae consuetudinem baptismatis tempore paschali solemniter conferendi per Occidentem esse servandam, non abs re fuerit, ejus disciplinae rationes e jure canonico breviter declarare. His igitur de causis s. Leo M. *generale* bapsisma non die Epiphaniae, sed in Paschate et Pentecoste celebrandum esse docet c. *Proprie* 13. Dist. cit.: *Primo,* quia per mortem et resurrectionem Christi baptismus demum plenam suam vim atque efficaciam est consecutus. Hinc, si Christus aquae Jordanis *tactu sui cor-*

poris potestatem baptismi contulisse dicitur c. *Nunquam* 10. Dist. cit., improprie id accipiendum intelligendumque est juxta glossam hujus canonis verb. *electum* de potestate aliqua, quam ante mortem suam noluit effectum consequi, *quum janua coeli solum per sanguinem Jesu reserata sit et nonnisi per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati ad illud perveniatur,* ut ait Innocentius PP. III. c. *Majores* 3. X. de baptismo (III, 42). — *Secundo,* quia in baptismo repraesentatur mors Christi et resurrectio. *Per similitudinem formamque mysterii,* inquit S. Leo M., *ea quae geruntur in membris, his quae in ipso sunt capite gesta congruere, ex doctrina Apostoli apparet: dum in baptismatis regula et mors intervenit interfectione peccati, et sepulturam triduanam imitatur trina demersio, et ab aquis elevatio resurgentis instar de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas* (h. e. modus operandi) *docet celebrandae generaliter gratiae diem legitimum eum esse, in quo orta est et virtus et species actionis.* — *Tertio,* quia Christus post resurrectionem suam formam et potestatem tradidit baptizandi; unde *proprie voluit intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse.* — De Pentecostes solemnitate vero speciatim valent *quarto,* quod tunc Spiritus s. in Apostolos descendit, sicut illo die venit in baptizatos; *quinto,* quod Pentecostes festum, *de paschalis festi pendens articulo, porrigit quodam modo auxiliantis gratiae manum, et eos, qui die Paschatis quibuslibet necessitatibus vel difficultatibus impediti erant, invitat, ut desiderii sui effectum dono Spiritus s. consequantur;* — *sexto* denique quod s. Petrus eo die tria millia hominum baptizavit. Ad argumentum vero pro baptismatis celebritate in festo Epiphaniae ex baptismo Christi erutum idem s. Pater respondet c. 14 Dist. cit.: *Baptismi s. Joannis alia gratia et alia fuit ratio, nec ad eandem pertinuit virtutem, qua per Spiritum s. renascuntur fideles,* h. e. remissio peccatorum non erat in baptismo Joannis, ad quem illo die Christus venisse creditur, nec ideo fuit baptizatus, quod *quaereret remedium renascendi. Quodsi voluit baptizari et baptismi sui in se condere sacramentum, ejus regenerationis potentiam tamen tunc sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis.* Etenim *usque ad mortem Christi regnum coelorum omnibus obseratum mansit,* quemadmodum habetur c. *Majores cit.*

Κατάλυσις εἰς πάντα, solutio ad omnia; slav. *razrěšenije na vsja* et *dni splošnij;* rumen. *deslegare la tote,* h. e. omnimoda solutio xerophagiae et jejunii, si festum Epiphaniae feria IV. vel VI. (et pro monachis etiam feria II.) occurrerit, similis privilegio, quod Latini *secundum consuetudinem Ecclesiae generalis* habemus *vescendi carnibus die Nativitatis Dominicae, si feria VI. venire contigerit, propter festi excellentiam* ut Honorius PP. III. ait c. *Explicari* 3. X. de observatione jejuniorum (III, 46).

Quae *κατάλυσις*[1]) ut recte intelligatur, haec sunt ex ordine notanda:

1. Canon 69. Apostolorum[2]) etiam feriis IV. et VI. per annum jejunii legem servari jubet. *Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel cantor vel lector sanctam Quadragesimam Paschae aut feriam IV. aut parasceven non jejunet, praeter quam si propter imbecillitatem corporis impediatur, deponitor (εἴ τις . . . τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύοι, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευήν, καθαιρείσθω); si autem laicus sit, a communione excluditor (ἀφοριζέσθω). Canon* quippe, verba sunt Joannis Zonarae[3]), *sanctam Quadragesimam Paschae et uniuscujusque caeterarum hebdomadarum ferias IV. et VI. omni modo in eodem ordine ponit (τετράδα καὶ παρασκευὴν ἑκάστης τῶν ἄλλων ἑβδομάδων ἐκ παντὸς τρόπου ἐν ἴσῃ τάξει τίθησιν).*

2. Est autem ex canone 50. Concilii Laodiceni[4]) tota Quadragesima *ξηροφαγίᾳ*, *aridorum esu* transigenda[5]). *Oportet totam Quadragesimam jejunare vescentes aridis (δεῖ . . . νηστεύειν ξηροφαγοῦντας).*

Hinc 3. Theodor. Balsamon. in can. 69. Apostol. cit. recte infert: *omni feria IV. et parasceve similiter ac in s. Quadragesima aridis vesci jussi sumus (παρομοίως τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ ξηροφαγεῖν ὡρίσθημεν);* exceptis tamen tribus hebdomadibus *τῆς ἀπόκρεω τῆς τυροφάγου* et *τῆς διακαινησίμου*[6]).

4. *Ξηροφαγεῖν* autem (ex vocis notatione *cibos siccos, aridos comedere*, ejusmodi scilicet qui *siccandi vim habent)* ex s. Epi-

---

[1]) Frequentia in eundem sensum apud Graecos sunt vocabula *ἀπόλυσις, ἐπίλυσις, περίλυσις.*

[2]) Canones Apostolorum ecclesia latina plus semel scriptis apocryphis annumeravit cc. *Sancta Romana.* 3, § 64. Dist. 15; *Canones* 1. et *Clementis* 3. Dist. 16. Eos orientales tamen postea in Synodo sexta an. 706 approbarunt (cfr. Migne, Patr. gr. tom. 137, pp. 521—526). Imo Leo PP. IX., seu potius Humbertus S. R. E. Cardinalis, Episcopus Sylvae Candidae et Legatus Apostolicus, in responsione ad *libellum Nicetae presbyteri et monachi Monasterii Studii contra Latinos editum* (apud Migne, Patrol. lat. tom. 143, pp. 973—883) *quinquaginta capitula* ex iisdem admisit an. 1054, *quae orthodoxae fidei essent adjungenda,* uti habetur in jure c. *Clementis* cit. *De canonibus Apostolorum* ex recentioribus scriptoribus videndi sunt Drey, Funk, aliique magno numero adducti a Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 31—32.

[3]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 137, pp. 179—180.

[4]) Celebrati sub medium saeculi quarti. Cfr. *Hefele,* Conciliengeschichte, lib. 6, § 93, pp. 507—508.

[5]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. cit. pp. 1407—1408. Refertur in corpore juris ecclesiae latinae C. *Non oportet* 8. Dist. 3. de Cons.

[6]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 137, pp. 177—178 et 1407—1410.

p h a n i o, *Expositio fidei,* c. 22 [1]), colligimus proprie fuisse pane tantum cum sale et aqua sub vesperam uti *(ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ ὕδατι χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν). Constitutiones Apostolicae* l. 5, c. 17 [2]) olera etiam addunt *(καὶ λαχάνοις).* Unde xerophagia stricte usum carnis, piscium, ovorum, lactis, butyri, casei, olei et vini excludit.

5. Omnia haec jejunia ut a catholicis ritus graeci exactissime servarentur in Oriente, Sedes Apostolica toties istarum nationum patriarchis obstitit, quoties veterem rigorem jejunii suis subditis praescripti relaxare voluerunt, quemadmodum adductis Constitutionibus pontificiis probat B e n e d i c t. PP. XIV. Encycl. *Allatae* d. d. 26. Jul. 1755.

6. Quinam vero dies festi id privilegii habeant, ut occurrentibus iisdem feria IV. aut VI. (et pro monachis etiam fer. II.) vel omnimoda sit *ad omnia* solutio vel piscium saltem, aut vini et olei, ex Horologio majori in Heortologio notatum invenies [3]).

7. Haec *κατάλυσις εἰς πάντα* autem intelligi debet *ad omnia, quae cuique statui ordinarie alias licita sunt.* Quia igitur religiosis alias carnes comedere non licet, per hanc *solutionem ad omnia* non obtinent licentiam vescendi carnibus, sed lacticiniis et piscibus tantum; monachis enim pisces sunt loco carnium, eosque omnibus diebus (praeter ferias exceptas) comedere possunt, sicut saeculares carnes.

Caeterum quartae et sextae feriae jejunium antiquitus *juxta traditionem* eamque, ut s. Epiphanius l. c. cum aliis censet, *apostolicam cum ratione servatum,* necnon ejusdem jejunii causam, crudele videlicet consilium decretumque Judaeorum cum traditione Judae ac necem Christi, passim reperire est apud veteres tam Graecos [4]) quam Latinos, ut adeo *qui in his diebus sine aliqua necessitate solvisset statuta jejunia,* occidentalibus quoque *videretur vel cum tradente tradere salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere,* quemadmodum habet c. *Jejunia* 16. Dist. 3. de Cons. Latinis praeterea sabbato jejunare praeceptum est *ob sepulturam dominicam* [5]),

[1]) Patrol. cit. tom. 42, pp. 827—828.

[2]) Patrol. cit. tom. 1, pp. 889—890.

[3]) Benedictus PP. XIV. *paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemor,* ut ipse ait, Graecis catholicis in Italia et insulis adjacentibus concessit, ut in Quadragesima, quartis et sextis feriis et reliquis anni jejuniis vino, oleo et piscibus uti possint. Constit. *Etsi pastoralis* d. d. 26. Maji 1742, § 9, n. 12.

[4]) Cfr. Constitutiones Apost. l. 5, c. 15, l. c. pp. 879—880; s. P e t r u s A l e x a n d r i n. epistola canon., c. 15. Patrol. cit. tom. 18, pp. 507—508 et tom. 104, pp. 637—638.

[5]) T h e o d. B a l s a m o n. orientalium canonum scientissimus, ecclesiae latinae vero infamator ejusque rituum imperitus, quum audire sibi visus

quia *constat,* ut scribit Innocentius PP. I. ad Decentium an. 416, relat. c. *Sabbato* 13. Dist. 3. de Cons. *Apostolos* biduo isto (fer. VI. et sabbato) *in moerore fuisse et propter metum Judaeorum se occuluisse et jejunasse*[1]).

ζ'. 7. *Ἡ σύναξις τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου προφήτου καὶ προδρόμου Βαπτιστοῦ Ἰωάννου. Ἀργία καὶ ἰχθύος κατάλυσις.*

Synaxis sancti et gloriosi prophetae et praecursoris Joannis Baptistae; slav. *Sobor svjatago slavnago proroka, predteči i krestitelja Ioanna;* rumen. *Adunarea santului maritului profetu in a-ânte mergatoriu şî botezatoriu Ioane.*

Ad ritum graecum pertinet, ut post singula majora festa Domini et B. Virginis postridie memoria eorum sanctorum subjungatur, qui primam aut saltem partem aliquam in eodem mysterio habuerunt. Ita post hesternum festum *τῶν φώτων* agitur hodie memoria s. Joannis Baptistae; post festum Hypapantes die 2. Februarii sequitur dies Simeonis, qui suis ulnis Christum excepit; post Nativitatem Domini *σύναξις τῆς Θεοτόκου;* Nativitatem B. Virginis excipit festum ss. Joachim et Annae die 9. Septemb., et Annuntiationi B. Virginis subjungitur synaxis s. Gabrielis Archangeli die 26. Martii.

Syri quoque, Graecorum morem secuti, alterum hoc festum sub titulo *Qulôso* (a gr. *καλῶς* vel *κλέος*), h. e., *praeconium, laudes* talis Sancti, agunt.

Occasione ex appellatione hodiernae solemnitatis sumpta Menolog. Basil. *synaxeos* rationem breviter declarat his verbis: *Διὰ ταῦτα τιμῶσα τὸν Βαπτιστὴν ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, ἐπιτελεῖ κατὰ καιρὸν ἑορτὴν καὶ ὀνομάζει αὐτὴν σύναξιν· διότι συνάγεται ὁ λαὸς ἐν αὐτῇ δοξολογῶν τὸν Θεὸν καὶ τὸν αὐτοῦ Πρόδρομον, quamobrem Baptistam Ecclesia Dei honorans festum hunc et*

esset, Latinos jejunare *διὰ τὴν εἰς τὸν ἅγιον τάφον τοῦ Κυρίου ἀπέλευσιν,* h. e., ex mente Latinorum, *propterea quod eo die Dominus in sepulchro fuit,* putavit, jejunii rationem esse peregrinationem Hierosolymitanam seu iter fidelium ad s. sepulchrum, Comment. in can. 55. Conc. Trullan., apud Migne, Patrol. gr. tom. 137, pp. 707—710.

[1]) Benedictus PP. XIV. Italo-graecos specialibus favoribus ac gratiis prosecuturus, eosdem in propriis suis parochiis adeo noluit hac lege obstrictos, ut immo jejunium a Romano Pontifice pro tota Ecclesia die sabbati aliquando pro lucrandis indulgentiis praescriptum in alium diem transferri permiserit. Constit. *Etsi pastoralis* cit. § 9, n. 11.

statutum diem celebrat, quem Synaxim *appellat, quod populus in ipsa convenit ad laudes Deo ejusque Praecursori dicendas.*

Ἰχθύος κατάλυσις. Solutio ad piscem (slav. *razrěšenije na ribi;* rumen. *deslegare de pesce).* Adveniente aliqua solemnitate feriis II., IV. et VI. monachis esus piscium conceditur, partim propter solemnitatem festi, partim in sublevamen laboris vigiliarum nocturnarum, praesertim in majoribus festivitatibus, quum solida nox praecedens insomnis *(ἀγρυπνία ὁλονύκτιος)* agenda et in psalmis lectionibusque sacris tota occupanda sit. Vide heic notata pp. 50 et 62.

ἡ. 8. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου τοῦ Χοζεβίτου καὶ τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Δομνίκης καὶ Αἰμιλιανοῦ τοῦ ὁμολογητοῦ.*

Georgius, non vero *Gregorius,* uti vocatur apud Sergium in *Polnyi měsjacoslov Vostoka,* natus in Cypro, monasterio *Chozibae* prope Hierosolymam traditus a fratre Heraclide monacho, floruit eo tempore, quo Saraceni, duce Omaro, sanctam civitatem occuparunt, h. e., an. 636. Prolixiorem vitam ex codice Coisliano exscriptam, idoneis prolegomenis ac commentariis instructam, graece et latine exhibent *Analecta Bollandiana* t. 7; pp. 94—144, 336—359; additis etiam „Miraculis B. M. V. in Choziba", pp. 360—372.

S. Domnica Theodosio Magno Imperatore (379—395) nata Carthagine vixit usque ad tempora Zenonis Augusti (474—491). Relicta patria, Constantinopolim profecta, a Nectario Patriarcha (381—397) baptizata et in monasterio collocata ac diaconissa ordinata in pace quievisse legitur in Menol. Basil. ad d. 10. h. pp. 249—252. Vitam ex Menaeis dat Bollandus Januar. tom. 1, p. 483.

De *s. Aemiliano* monacho et confessore Menaea nihil habent praeter nomen. Vide Bollandum l. c.

Slavi hodie etiam agunt memoriam ss. *Juliani, Basilissae et sociorum martyrum* sub Diocletiano, qui prolixo elogio exornantur in Martyr. Rom. die sequenti. Acta pluribus illustrat Bollandus Januar. tom. 1, pp. 570—588.

θ'. 9. *Πολυεύκτου μάρτυρος.*

S. Polyeuctus, miles sub Decio et Valeriano, in utroque Menologio Graecorum perhibetur omnium primus Melitinae ad Euphratem, in Armenia minore, mota sub Valeriano persecutione, pro Christi fide martyrium subiisse circa an. 259. Martyrologio Rom. inscriptus legitur ad 13. Febr. Acta illustrata videas apud Bolland. Febr. tom. 2, pp. 650—655, juncto Aubé, *Polyeucte dans l'histoire,* Paris, 1882.

ι'. 10. *Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης καὶ Δομετιανοῦ ἐπισκόπου Μελιτινῆς καὶ τοῦ ὁσίου Μαρκιανοῦ, πρεσβυτέρου καὶ οἰκονόμου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.*

S. Gregorium Nyssenum Latini ab antiquis temporibus colunt 9. Martii, sive is suscepti ab eo Pontificatus dies fuerit, sive eum hoc die ecclesia sua ab exilio reducem receperit. Annos natus circiter 40 a Basilio M. fratre ordinatus Nyssae in Cappadocia episcopus ineunte an. 372, *ob fidei catholicae defensionem sub Valente imperatore Ariano civitate sua pulsus* (Martyr. Rom.), eidem restitutus est a Gratiano an. 378. Obiit die 10. Januarii anno, ut videtur, 395 vel 396, a ss. Patribus maximis laudibus celebratus.

Acta Gregorii post Papebrochium [1] illustravit Tillemontius in suis Commentariis *Mémoires* inscriptis, tom. 9. pp. 561—616. Opera s. Basilii Nysseni habes apud Migne, Patrol. gr. tt. 44—46. Cfr. etiam Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 282—284.

S. Domitianus Melitines, in Armenia minore, episcopus. Mauritii imperatoris cognatus atque ab eo legatus ad Chosroëm Persarum regem missus, a s. Gregorio M. ob eruditionem, prudentiam et zelum egregie commendatus (ep. 62, ind. 11), imperatoris filiis Theodosio et Tiberio tutor datus, obiit circa an. 600. Vitam exhibent Bollandiani Januar. tom. 1. pp. 618—621.

Hodie Graeci pariter ac Latini memoriam etiam venerantur *s. Marciani* presbyteri, origine Romani, sed magnae ecclesiae Constantinopolitanae seu s. Sophiae oeconomi, qui

[1]) Act. SS. Martii tom. 2, pp. 4—11.

sub Marciano et s. Pulcheria Augustis floruit circa an. 472. Vitam diligenter exornavit Bollandus t. cit. pp. 609—619.

ια'. 11. *Θεοδοσίου τοῦ Κοινοβιάρχου. Κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου.*

S. Theodosium Latini eodem die colimus. Ortus ex oppido Mogariso seu Magariasso, in Cappadocia, Theodosius primum Antiochiam ad s. Symeonem Stylitam se contulit, cujus benedictione accepta Hierosolymam petiit anno 451, quum concilium oecumenicum Chalcedone celebraretur. Inde in eremum secessit ad flumen Laura, ibique sancto Sabae amicitia junctus multis monasteriis erectis communem monachorum vitam instituit, unde et cognomento *Coenobiarchae* (slav. *obščich žitij načalnika;* rumen. *cinoviarculu*) dictus est. Spectatissimum eum dicit Baronius in *not. ad Martyr. Rom.* h. d. non tantum ob exactam vitae monasticae exercitationem, verum etiam ob egregios labores pro fide catholica adversus Acephalos haereticos exantlatos [1]). Tribus episcopis praesentibus sancte obiit anno Christi 529, suo 105. Quae manca Bolland. repererat Acta, nuper integra edidit Usener in op. *Der heilige Theodosios.* Lipsiae 1890.

Solutio Jejunii quoad vinum et oleum; slav. *razrěšenije ot vina i jelea;* rumen. *deslegare de vinu sî de untu de lemnu.* Diebus in Heortologio notatis pro ratione solemnitatis et laboris vigiliae (etiam feriis illis, quibus alias est jejunandum) modo usum piscium, modo usum vini et olei concedi, jam diximus supra ad dies 5. et 6. hujus mensis.

ιβ'. 12. *Τατιανῆς μάρτυρος.*

Martyrologium Rom. hoc eam elogio exornat: *Romae s. Tatianae martyris, quae sub Alexandro imperatore uncis atque pectinibus laniata, bestiis exposita et in ignem projecta, sed nil laesa, gladio demum percussa migravit in coelum.*

Eadem habentur in Menaeis et in Menol. Basil. pp. 251—254. Acta ejus similia sunt Actis ss. Martinae et Priscae. Cfr. Asseman. *Kal. E. U.* ad hunc diem.

[1]) Huc pertinent quae referemus infra *de festo conciliorum* ad d. 17. Julii.

Aliquibus Kalendariis slavicis hodie s. Eupraxia inscripta legitur, de qua legi potest Martinov. *An. eccl.* ad h. d.

ιγ'. 13. *Ἑρμύλου καὶ Στρατονίκου μαρτύρων καὶ Πέτρου τοῦ Ἀβεσαλαμίτου μάρτυρος.*

Singidoni in Mysia superiore ss. martyrum Hermyli, Diaconi, *et Stratonici,* commentariensis, *qui post saeva tormenta sub Licinio imperatore in Istrum flumen demersi sunt* an. 315 (Martyr. Rom. h. d.). Acta vulgavit Bollandus Januar. tom. 2, pp. 50—53.

Quem Latini die 3. Januarii veneramur *s. Petrum crucis supplicio peremptum* (Martyrol. Rom.), Graeci hodie vel die praecedenti (in Menaeis) vel etiam die 11. (in Menol. Basil. pp. 251—252) colunt. Acta syriaca eum natum perhibent in pago Anea apud Eleutheropolim in Palaestina, et passum Caesareae anno septimo persecutionis Diocletiani, dum adhuc in flore aetatis esset [1]). A sepulturae loco *Atroensis* vocatur. Ab aliis sanctis homonymis quadruplici distinguitur cognomento: *a) τοῦ Ἀβεσαλαμίτου, Abesalamitae,* paterno nomine scilicet *Abelsamus* seu *Balsamus* dictus; *b) τοῦ ἀπὸ Ἀνέας, Aniensis,* ex pago *Anea; c) τοῦ ἀσκητοῦ, ascetae,* quod hic non tam religiosum, quam *robustum, athletam* atque *ad certamina exercitatum* significat [2]); ex Menol. Bas. enim *corpore robusto, sed fide in Christum robustior* erat *(ἀνδρεῖος δὲ ὑπάρχων τῷ σώματι, ἀνδρειότερος ἐγένετο τῇ εἰς Χριστὸν πίστει); d) τοῦ σημειοφόρου, signiferi, vexillarii, antesignani,* cujus appellationis rationes post alios sic explicat Bollandus Januar. tom. 1, p. 129. *Varie potest cognomentum τοῦ σημειοφόρου accipi, quasi Petrus Christi vestigia in corpore suo circumtulerit, sicut D. Paulus et alii; vel quod crucem assidue gestarit, uti de quibusdam aliis legimus, σημεῖον enim etiam crucem et signum filii hominis significat* Matth. 24; *vel quod signa fecerit; vel quod literis in fronte notatus et inustus fuerit,*

---

[1]) Exstant Acta syriaca apud Steph. Evod. Asseman. inter *Acta martyrum occidentalium,* tom. 2, pp. 208 seqq.

[2]) Primis ecclesiae saeculis *ἀσκητής* vocabatur quivis christianus, qui strictiori vitae majorique studio pietatis vacans sedulo se in divino servitio exercebat, ut olim athleta in arena: unde *ascetae* etiam *ἀθληταί* nuncupati leguntur.

sicut nonnulli infra prodibunt literati, quod sacras imagines noluerint damnare, aut rejicere aut proculcare, quod iconoclastae fieri volebant et cogebant. Reor, illum potius in crucem actum pro Christo et, quae etiam Jos. Sim. Assemanii est sententia, inde *Σημειοφόρον* dictum [1]).

In *Mĕsjacoslov* Sergius Petrum *Σημειοφόρον, ἐν τῷ ἁγίῳ Ζαχαρίᾳ τῆς Ἀτρώας κείμενον, Signiferum, in aede s. Zachariae Atroae sepultum,* ab hodierno Abesalamita diversum putat, cui tamen ne accedamus, praestantissimae animadversiones obstant, quas Martinov ea de re prior occupavit scribere in *An eccl. gr. sl.* tum ad ipsum hunc diem, tum ad 2. Jan.

ιδ'. 14. *Τῶν ἐν Ῥαϊθῷ καὶ Σινᾷ σφαγέντων πατέρων. Ἀπόδοσις τῆς ἑορτῆς τῶν Θεοφανείων.*

Sanctorum Patrum in Raïtho et in monte Sinai occisorum. Menologium Bas. in inscriptionibus huius diei bis *σφαγέντων* et semel *τελειωθέντων*, Menaea vero *ἀναιρεθέντων* habent. *Σφαγέντων* a *σφάζω* sive *σφάττω, jugulo, interimo,* et generalius *interficio;* hinc *σφαγῆναι, mactari, occidi; τελειωθέντων* a *τελειόω* sive *τελεόω ad finem et perfectionem (τέλος) perduco, finio,* et speciatim causa religionis *victimam Deo per mortem consecro.* Hinc ss. martyres dicuntur *τελειωθῆναι* Deo consecrati esse, tanquam videlicet perfectionem quandam et consummationem martyrio consecuti; quem verbi *τελειοῦσθαι* usum ex epistola ad Hebraeos, 2, 10 fluxisse dubium non est [2]); *ἀναιρεθέντων* ab *ἀναιρέω, aufero, e medio tollo, interficio.* Menaea porro loco *τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν* habent *τῶν ἁγίων ἀββάδων, sanctorum abbatum sive patrum,* ex quo nomine appellativo *ἀββάδων* auctorem russum codicis Ostromirani inscite nomen proprium *Abbadae* fecisse et Kalendario *memoriam sancti Abbadae* inscripsisse, animadvertit Martinov *An. eccl. gr. slav.* ad hunc diem, p. 41, qui error tamen in libros Graeco-slavorum catholicorum non

[1]) Kalend. U. E. tom. 6, p. 59.

[2]) Decebat enim eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, *auctorem salutis eorum per passionem consummare (τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι).*

transiit; simpliciter enim scribunt slav. *svjatych otec v Sinai i v Raithě izbijenych, sanctorum patrum in Sina et Raithje occisorum;* rumen. *Cuv. nostri parenti ucisi in Sinai, sî in Raitu.*

Menolog. Basil. hodie tres turmas ss. martyrum distinguit pp. 253—256; e quibus prima passa est sub Diocletiano in Monte Sinai circa an. 309; secunda Valentis imperatoris tempore, post an. 371, ut putat *Tillemontius*[1]), in celeberrimo asceterio Raitha, quod duorum dierum intervallo distat a monte Sinai; tertia martyrium fecit in eodem monte Sinai sub finem saeculi sequentis, quando morabatur ibidem s. Nilus, olim praefectus Constantinopolitanus, tunc vero monachus Sinaita. Raithenorum Patrum caedem a barbaris illatam aegyptia lingua enarravit Ammonius monachus, testis oculatus, quam historiam graece vertit Joannes presbyter, qualem a Combefisio editam habemus. Certamen martyrum Sinaitarum scripsit s. Nilus, oculatus testis et ipse, meminitque prioris illius caedis, quae tempore Diocletiani contigerat. Martyrologium Rom. tria haec ss. martyrum agmina non satis distinguens Sinaitas a Saracenis, Raithenos a Blemyis secus Nilum versus mare rubrum habitantibus interfectos tradit. Et Baronius in *not. ad Mart.* h. d. Blemyos Saracenis adnumerat, Saracenorum nomen scilicet latissime accipiendo, eo ferme sensu, quo eos Bollandus *Saracenis similes* vocat.

Acta a s. Nilo conscripta doctissimis commentariis illustrat Bolland. tom. 2, pp. 235—249. Prostant etiam apud Migne, Patr. gr. tom. 79, pp. 583—694. Caeterum de sanctis hisce Patribus *Sinaitis* et *Raythenis* seu *Raythunis* late ac solide contra Asseman. *Kal. E. U.* h. d. disputat Martinov l. c.

Ἀπόδοσις τῆς ἑορτῆς τῶν Θεοφανείων, conclusio solemnitatis Epiphaniae; slav. *otdanije prazdnika Bogojavlenija;* rumen. *introptirea serbatorei Aratarii domnedieescei;* conferenda sane cum Octava Latinorum, ita tamen, ut non semper octo dies complectatur. Quemadmodum occidentales majora festa toto octiduo celebrant, ita orientales quoque praecipuas

[1]) Mémoires tom. 7, p. 782.

festivitates per plures dies producunt, in quorum ultimo ἡ ἑορτὴ ἀποδίδοται, *festum absolvitur ac finitur.* Alio nomine haec *solemnitatis conclusio* vocatur ἀπόλυσις, *dimissio,* quia, Basilio Seleuciensi interprete *de s. Thecla* l. 2, c. 18[1]), vere *est postremus festi dies* (ἡ τελευταία τῆς ἑορτῆς ἡμέρα) . . . *festo deinceps finem accipiente* (ὡς ἂν καὶ πέρας ἐχούσης λοιπὸν τῆς ἑορτῆς).

ιε'. 15. Ἰωάννου τοῦ Καλυβίτου καὶ Παύλου τοῦ Θηβαίου.

Joannis Calybitae; slav. *Ioanna kuščnika;* rumen. *Joane colibasiulu.* Ex Menaeis et Menol. Basil. pp. 259—260 de eo paucis haec accipe: Constantinopoli Eutropio patricio ac Theodora natus, quum puer esset, rogavit parentes, ut, quando caeteri condiscipuli Evangelia haberent, curarent etiam sibi eum librum. Quem quum parentes auro gemmisque ornatum, quingentorum aureorum pretio comparassent, Joannes relicta doctrinarum schola cum quodam monacho monasterium τῶν ἀκοιμήτων, *Acoemetorum*[2]), insciis parentibus adiit ibique monachum induit. Sed quum summo parentes videndi desiderio, sibi a diabolo injecto, flagraret, re cum monasterii hegumeno communicata invisit quidem domum et parentes; verum extra januam tugurio (καλύβην Graeci vocant) sibi constructo ibi ut mendicus mansit usque ad obitum; tum vero ex aureo, quem gestabat, Evangeliorum libro cognitus est. Hinc multiplex ei cognomentum datum: *a)* τοῦ Καλυβίτου, a καλύβη, *tuguriolum, gurgustium,* vulgo *cabane,* ex καλύβω pro καλύπτω, *tego; b)* οὗ ἦν τὸ χρυσοῦν Εὐαγγέλιον,

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 85, p. 596.

[2]) Ἀκοίμητος, *qui cubitum non discedit, qui non dormit,* generatim de eo dicitur, qui die noctuque in oratione perseverat; sicque stylitae et monachi Palaestinae in lauris suis tota nocte orantes *acoemeti* vocati leguntur. Pressius vero acceptum *acoemetorum* nomen hoc loco eos significat, qui, ut Baronius ait *Annal.* ad an. 459, n. 16, juges die noctuque pervigiles Deo laudes offerunt, tripartito tempore sibi invicem succedentes. S. Alexander enim, hujus instituti fundator (Acta SS. Januar. tom. 2, pp. 300—311), voluerat, ut monachi in decurias divisi psalmodiae sic operam navarent, ut alii aliis succedentes eam perpetuam facerent, nulla vel diei vel noctis parte a divinis laudibus vacua.

qui aureum Evangelium habebat; c) τοῦ διὰ Χριστὸν πτωχοῦ, propter Christum pauperis; d) Romani, a patria; et *e) filii regum* (syr. *Bar Malke),* a generis nobilitate.

Floruit Joannes saeculo quinto sub Theodosio juniore et sub eo, aut Marciano fortassis, mortuus est, quum vixisset annos fere 22. Acta habes apud Bolland. Januar. tom. 2, pp. 311—330. Quoniam autem Romae templum habuit ejusque reliquiae eo erant allatae, plures hagiographi, qui non attenderunt Constantinopolim vulgo *secundam (δευτέραν)* vel *novam Romam (νέαν Ῥώμην)* appellatam esse, unam cum altera Urbe confundentes res gestas Joannis Calybitae veteri Romae adscripserunt, quemadmodum factum a Baronio est in Martyrologio Rom. ipso hoc die; de quo vulgari errore Romam cum Roma confundendi confersis Bollandianos l. c.

Sancti Pauli primi eremitae non eodem ubique die consignata memoria est. Martyrologium Rom. eam recenset 10. Jan., festo tamen propter octavam Epiphaniae ad hodiernum diem translato, hoc de eo proponens elogium: *In Thebaide natalis beati Pauli primi eremitae, qui a 16. aetatis suae anno usque ad 113. solus in eremo permansit: cujus animam inter Apostolorum et prophetarum choros ad coelum ferri ab angelis sanctus Antonius vidit* an. 341.

Vitam scripsit s. Hieronymus, quam habes inter ejus opera apud Migne, Patrol. lat. tom. 23, pp. 18—28, et apud Bollandianos Januar. tom. 2, pp. 602—608. Eam cum laude memorat s. Gelasius PP. I. in conc. Roman. an. 496 relat. C. *Sancta Romana* 3. §. 18. Dist. 15. Praecipua rerum gestarum capita breviter tangit tum Menol. Basil. in synaxario pp. 257—260, tum Breviar. Roman. in lectionibus propriis festi.

ιϛ'. 16. *Ἡ προσκύνησις τῆς τιμίας ἁλύσεως τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Πέτρου.*

Adoratio venerandae catenae sancti et eximia laude praedicandi Apostoli Petri; slav. *Poklonenije čestnym verigam svjatago i vsechvalnago Apostola Petra;* rumen. *Inchinarea onoratei catene a sântului sî intru totu laudatului Apostolu Petru.*

Ἄλυσις, catena, a verbo *λύω, solvo, libero,* quod *ἄλυτον, insolubilem,* reddat.

Eudocia, Theodosii junioris uxor, Hierosolymam peregrinata an. 437, ex accepta a Juvenalio Patriarcha catena partem Constantinopolim, partem Romam misit ad filiam Eudoxiam, Valentiniani imperatoris conjugem. Haec simili festo Kalendis Augusti celebrando occasionem dedit, quum applicata alteri catenae, qua idem Apostolus Romae fuerat in carcere Mamertino constrictus, ipsi mirabiliter inhaesisset; ista vero hodie solemniter colebatur CPoli. Haec Baronius in *not. ad Martyrol. Rom.* d. 1. Aug. atque ex eo Papebroch. in *Metric.* Graec. h. d. — Morcelli contra veri simile putat, usque ad imperium Justiniani Augusti Constantinopolim nihil ex catenis s. Petri habuisse, sed hunc imperatorem primum ex urbe Hierosolymitana duas catenas Herodianas (act. 12, 6) sibi comparasse et in templo a se aedificato posuisse, quarum deinde altera ante saeculi decimi finem Romam ad Pontificem Maximum missa et in ecclesia *ad vincula* collocata sit, ubi jamdiu Romanae Petri catenae conditae fuerant. *Kal. Eccl. Const.* ad h. d.

Primatum in universam Ecclesiam Petro collatum Graeci in hodierno officio variis verborum formulis profitentur, ut ecce, quum ab ipsis celebratur ut *ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας καὶ ἡ πέτρα τῆς πίστεως, basis Ecclesiae et fundamentum fidei* (*Μηναῖον*, edit. Venet. ad Vesper.); *δογμάτων βάσις ἀσειστος, dogmatum basis immobilis* (ibid. ad Matut. *ᾠδὴ γ'*); *ἕδρα τῆς πίστεως, sedes fidei* (ibid. *ᾠδὴ δ'*); *ὁ πρῶτος τῶν ἀποστόλων, primus Apostolorum* (ibid. *κοντάκιον*); *ὁ πρωτόθρονος, qui primam sedem tenet* (ibid. *οἶκος*); *τῶν ἀποστόλων πρωτόθρονος, inter apostolos primam sedem tenens* (*ἀπολυτίκιον* Vesper.). Quorum titulorum rationes accuratius expositas reperies apud Tondini, *La primauté de saint Pierre prouvée par les titres que lui donne l'église Russe dans sa liturgie.* Paris. Victor Palmé. 1867.

ιζ'. 17. *Τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου τοῦ Μεγάλου.*

In omnibus Graecorum et Latinorum ecclesiasticis libris hodie festum agitur *s. Antonii Magni, Ἀντωνίου τοῦ Μεγάλου,* slav. *Antonia velikago;* rumen. *Antoniu celu mare;* in Martyrologio Rom. nominatim hoc elogio celebrati: *In Thebaide s. Antonii abbatis, qui multorum monachorum*

pater [1]), *vita et miraculis praeclarissimus vixit annos 105; cujus gesta sanctus Athanasius insigni volumine prosecutus est. Ejus autem sacrum corpus sub Justiniano imperatore divina revelatione repertum atque Alexandriam delatum, in ecclesia s. Joannis Baptistae tumulatum fuit.* Decessit an. 365. Vitam a s. Athanasio exaratam latine non multo post ab Evagrio, episcopo Antiocheno, et sancti Hieronymi itineris in Orientem comite, redditam testatur s. Hieronymus *de viris illustribus* c. 125 apud Migne, Patrol. lat. tom. 23, pp. 713—714, prodiitque, praeter infinitas propemodum editiones, in Actis SS. Januar. tom. 2, pp. 486—506, egregiis commentariis illustrata [2]). Cum exemplari graeco exstat apud eundem Migne, Patrol. gr. tom. 26, pp. 523—978. De variis translationibus reliquiarum fusam disputationem habet Bollandus tom. cit. pp. 513—520, e qua haec enotasse sufficiat. Sancti Antonii corpus, ubi ipse mandarat, a discipulis humatum esse scribit s. Athanasius additque n. 92. (Patrol. gr. tom. cit. pp. 971—972), *ignotum cuique, praeter duos extremi illius officii ministros, tum fuisse, ubinam conditum esset (καὶ οὐδεὶς οἶδε τέως, ποῦ κέκρυπται, πλὴν μόνων αὐτῶν τῶν δύο);* verum ducentis prope annis post Athanasium divino admonitu repertum, Alexandriam in templum s. Joannis B. translatum fuit; tum saeculo septimo, quum Saracenorum armis Aegyptus premeretur, asportatum legitur Constantinopolim; inde demum Viennam in Gallia delatum sub Lothario rege Franciae saeculo decimo. De caeteris, quae ad patriam,

---

[1]) In *Fihris el-a'jâd* arabice *ab-urruhbân* et syriace *abbâ dîchîdâjê, patris monachorum,* titulo insignitur. In Kalendario arabico infra exhibendo p. 436 vocatur *el Kabîr ab-urruhbân,* h. e., *Magnus, pater monachorum.* Coptis est *Sidus deserti.*

[2]) Latinam hanc interpretationem post alios Asseman. K. E. U. h. d. perperam tribuit ipsi sancto Hieronymo, errandi ansam inde nactus, quod Gelasius Papa Hieronymum *sancti Antonii et omnium eremitarum vitas scripsisse* dicat can. *Sancta Romana* 3. §. 18. Dist. 18. Verum in hoc canone vitae eremitarum sancto Hieronymo potius adscribuntur ut collectori, quia ipse vitas Patrum simul veluti vulgari curavit servato aliquo historiae ordine, sive ipse eas scripsisset, ut vitas ss. Pauli, Hilarionis et Malchi, sive ab aliis conscriptas reperisset, ut ss. Antonii, Onuphrii; quibus alii alias deinde conjunxerint, eodem semper retento in inscriptione prima auctore Hieronymo. Cfr. Bolland. l. c. prolegom. §. 9.

discipulos, montes et miracula s. Antonii spectant, erudite agunt Bollandiani l. c.

ιη'. 18. *Τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν καὶ μεγάλων ἀρχιεπισκόπων Ἀλεξανδρείας Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου.*

Sanctorum patrum nostrorum et magnorum Alexandriae archiepiscoporum Athanasii et Cyrilli.

Objectum hodiernae festivitatis s. Athanasii sic effert *Kalendar. Eccl. CP. Εἰς τὴν ἐπάνοδον τῆς ἐξορίας τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου, in s. Athanasii reditum ex exilio. Ἐπάνοδος reditus*, derivatum ab *ὁδός, via; ἐξορία, exilium,* ab *ὅρος, terminus, limes.* — Sanctum Athanasium, *in cujus persecutionem universus pene orbis conjuraverat, ab imperatoribus, praesidibus et innumeris Arianis plurimas perpessum injurias* (Martyrol. Rom. d. 2. Maji), quater vel quinquies Alexandria exsulare coactum, ostendunt, qui ejus acta illustrarunt, Papebrochius, Soellerius, Montfauconius et Tillemontius. In hac exiliorum ac restitutionum serie omnium celeberrimus fuit secundus reditus, quum Gregorio Cappadoce, quem conciliabulum Antiochenum in ejus locum induxerat, mortuo an. 348, post octavum exilii annum plaudente orbe christiano restitutus est, splendidissimis conciliorum decretis honestatus, tribus imperatoris epistolis invitatus ac magnificentissimis Summi Pontificis literis ecclesiae Alexandrinae commendatus, quapropter et secundi hujus reditus potissimum institutam hodiernam celebrationem existimat *Morcelli* ad h. d.

Erat autem tanto honorificentior haec triumphi magnificentia, quod eam Athanasius non de suo jure cedendo atque ad conditiones sibi oblatas quaesierat, sed immo fortiter ac *strenue* pro fide catholica et Ecclesiae libertate atque independentia *pugnando* non solum adversus episcopos arianos, verum etiam *adversus imperatores et praesides* (Martyrol. Rom.) gloriose promeruerat; ex dogmatis enim catholici praescripto semper firmissimus erat in defendenda veritate, praeter legitimos magistratus ecclesiasticos neminem prorsus in Ecclesia quidquam posse, licet ille rex aut imperator sit. Ea de re hoc unum accipe testimonium, desumptum ex *Historia Arianorum ad monachos,* aliquanto post scripta, n. 52 (apud Migne, Patrol. gr. tom. 25, pp. 755—756):

Εἰ γὰρ ἐπισκόπων ἐστὶν κρίσις, τί κοινὸν ἔχει πρὸς ταύτην βασιλεύς; Πότε γὰρ ἐκ τοῦ αἰῶνος ἠκούσθη τοιαῦτα; πότε κρίσις Ἐκκλησίας παρὰ βασιλέως ἔσχε τὸ κῦρος, ἢ ὅλως ἐγνώσθη τὸ κρῖμα; Πολλαὶ σύνοδοι πρὸ τούτου γεγόνασι· πολλὰ κρίματα τῆς Ἐκκλησίας γέγονεν· ἀλλ' οὔτε οἱ πατέρες ἔπεισάν ποτε περὶ τούτων βασιλέα, οὔτε βασιλεὺς τὰ τῆς Ἐκκλησίας περιειργάσατο.

Si illud episcoporum decretum est, quid attinet ad imperatorem? Quandonam a saeculo res hujusmodi audita est? Quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac synodi coactae sunt; multa prodiere Ecclesiae decreta; sed nunquam Patres res hujusmodi suasere imperatori; nunquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit.

Alia in eandem sententiam videsis in epistola ad Luciferum Calaritanum (ibid. tom. 26, p. 1284) junctis ipsius Luciferi literis ad Constantium imperat. (apud eundem Patr. lat. tom. 13, p. 826), quas s. Athanasius magna cum laude percenset l. c.

S. Cyrillus Alexandrinus a concilio oecumenico Chalcedonensi (Act. 3) celebratus ut *ὁ τῆς ὀρθῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως συνήγορος*, *rectae et immaculatae fidei advocatus,* fastis latinis inscriptus est d. 28. Januarii et 9. Februarii. In Menaeis hoc exornatur elogio ad d. 9. Junii: *Natalis s. Cyrilli, viri eruditissimi et catholicae fidei propugnatoris egregii, quem Summus Pontifex Coelestinus idoneum judicavit, cui sui vices in Ephesino concilio delegaret.* Obiit an. 445 triginta duobus in episcopatu annis expletis. Vitam ex ejus operibus, conciliis et historicis diligenter contexunt Bollandiani Januar. tom. 3, pp. 459—470. Doctrinam commendant sacri canones *Sancta Romana* 3. § 8. Dist. 15 et *Quoniam sanctae* 7. Dist. 16. Opera exhibet Migne in Patrol. gr. tt. 68—77.

Praeter hanc solemnitatem utrique communem Graeci de singulis seorsum agunt, de s. Athanasio die 2. Maji cum Latinis, de s. Cyrillo autem die 9. Junii.

Antiquae tabulae orientales apud Papebroch. hoc die Athanasium exhibent pontificali quidem habitu indutum, sed nudo capite, Cyrillum vero caput tiara auriphrygiata rotunda tegentem, quod eidem hoc ornamentum a s. Coelestino Papa tunc missum narrant Graeci, quum ejus vice synodo Ephesinae praefuit.

Patriarcha alexandrinus caeteris patriarchis Orientis duplici honoris praerogativa antiquitus antecellebat; erat enim splendi-

dissimo *judicis orbis terrarum* titulo honestatus, et in divinis officiis celebrandis, praeter reliqua pontificalia ornamenta, solus *mitram* habebat. Quae privilegia quum Graeci inde repetant, quod s. Cyrillus Summi Pontificis vices in concilio Ephesino sustinuerit, manifestum est, orientales olim universalem illam potestatem, qua Romanus episcopus ex Dei voluntate ubique fruitur, agnovisse ac professos esse. De hac Graecorum sententia locupletissimus testis est Nicephor. Callist. ita scribens *Hist. eccles.* l. 14, c. 34[1]):

Κελεστῖνος ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος διὰ τὰ κατὰ θάλατταν προσδοκώμενα παρῃτεῖτο δι' ἑαυτοῦ τῇ συνόδῳ παραβαλεῖν. Ἔγραφε δὲ Κυρίλλῳ, προτρέπων καὶ τὸν ἐκείνου τόπον ἐπέχειν· ἐξ οὗ λόγος καὶ τὸ τῆς μίτρας ἐπίθεμα εἰληφέναι, καὶ τὴν τοῦ πάππα προσηγορίαν λαβεῖν καὶ τῆς οἰκουμένης κριτὴν ὀνομάζεσθαι· κἀκεῖθεν ἐπὶ διαδοχὴν προελθεῖν ταῦτα, καὶ τοῖς κατὰ κλῆρον εἰληχόσι τὸν τῆς Ἀλεξάνδρου θρόνον ἱεροῖς ἐπισκόποις.

Coelestinus Romae episcopus, propter navigationis pericula, ipse synodo adesse detrectavit; ad Cyrillum autem, ut locum ibi suum obtineret, scripsit. Ex quo tempore, fama est, mitram illum et Papae appellationem, atque ut orbis universi judex nominaretur, accepisse; quae deinde omnia per successionem ad eos etiam pervenerint, quibus sorte Alexandrinae ecclesiae thronus legitime obvenisset, sacros episcopos.

Eandem hanc opinionem et suo assensu longe ante comprobaverat Theodorus Balsamon, in Oriente unus omnium sua aetate juris, ecclesiastici maxime, peritissimus. Accipe verba[2]): *Magnus ac sanctus Cyrillus, Papa Alexandriae, capiti tiaram circumdedit auream, quo tempore sanctae et universali tertiae synodo praefuit: quippe Coelestini locum occupabat, ejus qui romanam tunc regebat ecclesiam, quemadmodum liquet ex Actis ejusdem synodi tertiae. . . . Quamobrem et ii, qui post ipsum Alexandriae pontificatum gessere, propter memoriam ejus, quod tunc decretum fuit, eodem modo in hunc usque diem titulo suo cohonestantur (εἰς μνήμην αἰώνιον τοῦ τότε συνδόξαντος, ὡσαύτως μέχρι τοῦ νῦν κατακοσμιοῦνται στηλογραφούμενοι); quumque omnes alii capitibus apertis divinis operentur, solus Alexandrinus patriarcha sacris fungitur mitra caput obvolutus (μόνος ὁ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας ἱερουργεῖ μετὰ τοῦ αὐτοῦ λώρου τὴν κεφαλὴν καταλυπτόμενος).*

Tertio loco s. *Marcianum* Cyrensem in fastis graecis hodie consignatum legimus, quem Latini colunt d. 2. Nov.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 146, pp. 1169—1170.

[2]) Apud Goar. Euchol. in notis ad ordinationem episcopi, p. 259, edit. Venetae. Caeterum vide, quae de vera origine tituli *judicis orbis terrarum* recte scripsit Asseman. in *Kal. E. U.* tom. 6, pp. 96—97; ac confer etiam quae nos ipsi animadvertimus in *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1880, p. 747.

ιθ'. 19. Μακαρίου τοῦ Αἰγυπτίου, καὶ Ἀρσενίου Κερκύρας.

Sancti Macarii, Aegyptii; slav. *egyptianina;* rumen. *egipteanulu, abbatis, discipuli beati Antonii, vita et miraculis celeberrimi* (Martyrol. Rom. d. 15. Januar.).

Ex pluribus, qui fastis ecclesiasticis inscripti leguntur, Macariis, Aegypti solitudinum inquilinis, duo celeberrimi sunt, quorum alter *Alexandrinus* sive *Urbanus* vocatur, alter *Aegyptius:* ambo *Magni Antonii* discipuli: Martyrologio Romano hic 15. Januarii, ille 2. insertus.

Macarius Aegyptius decessit anno Christi 391, aetatis 90, quum vitam asceticam 60 annos exercuisset in Scitica solitudine. Vitam ex graeco dant Bollandiani Januar. tom. 2. pp. 287—297, additis etiam analectis ex Rufino de vitis PP. l. 2, c. 28; Palladio histor. Lausiac. c. 19 et ex vitis PP.

S. Arsenius Corcyrae, in insula ejusdem nominis (vulgo *Corfu*), archiepiscopus, omnibus optimi pastoris partibus expletis, sanctissime obiit ineunte saeculo nono, dum ex itinere Constantinopolitano pro grege suo suscepto domum reverteretur. Vide Bolland. in Addend. ad tom. 2. Januar. p. 761.

In Menologio Basil. ipse hic dies 19. Januarii attributus est cultui *s. Euphrasiae* seu *Euphrosynae,* uti aliqua Horologia habent, virginis et martyris Nicomediae, in Bithynia, sub Diocletiano, cujus certamen ex Menaeis atque ex Nicephoro Callisto Hist. eccl. l. 7, c. 13 describunt Bolland. tom. cit. pp. 584—585.

κ'. 20. Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐθυμίου τοῦ Μεγάλου.

S. P. N. Euthymii Magni. Menol. Basil. addit p. 271: *καὶ καθηγητοῦ τῆς ἐρήμου, et magistri eremi,* subaudi *sanctae civitatis,* in Palaestina; eo titulo autem insignitus est, quod qui in variis lauris ac coenobiis in eremo circa Hierosolymam satis degebant, si non primum auctorem et parentem, asceticae certe vitae magistrum ac ducem *Magnum Euthymium* agnoscerent [1]). Natus est Euthymius Melitene, in Armenia

[1]) Primam institutionem monasticam in Palaestina sancto Hilarioni, Magni Antonii discipulo deberi, s. Hieronymus in illius vita testatur; pri-

minore, an. 377. Sacerdos et coenobiorum hegumenus in patria factus clam abiit Hierosolymam anno aetatis 29., ubi quum *zelo catholicae disciplinae et virtute miraculorum floruisset* (Martyr. Rom.) atque annos omnino 67 in eremo sanctae civitatis exegisset, obiit an. 473. Vitam a Cyrillo presbytero et monacho accuratissime scriptam vulgarunt Bolland. tom. cit. pp. 666—692, ubi etiam describuntur res gestae *s. Theoctisti,* socii s. Euthymii, qui colitur die 3. Sept.

κα'. 21. *Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ Νεοφύτου μάρτυρος.*

S. Maximi confessoris; slav. *sv. Maksima ispovědnika;* rumen. *cuv. Maximu marturisitoriulu.*

S. Maximus, ex protosecretario Heraclii imperatoris monachus et abbas Chrysopolitani prope CPolim monasterii, *theologus et confessor,* imo et *martyr* a Graecis appellatur. Monothelitarum assiduus adversarius, a quibus in Lazicos deportatus, obiit in carcere anno Ch. 662, suo 82, quum celebrem cum Pyrrho expatriarcha Constantinopolitano disputationem habuisset a. 645, et concilio Lateranensi sub Martino PP. I. interfuisset an. 649. Martyrologio Romano inscriptus est ad 13. Augusti, ipsum diem illius natalem, cum hoc elogio: *Constantinopoli s. Maximi monachi, doctrina et zelo catholicae veritatis insignis; qui quum adversus Monothelitas strenue decertaret, a Constante imperatore haeretico praecisis manibus ac lingua in Chersonesum relegatus reddidit spiritum. Tunc etiam duo Anastasii ejus discipuli aliique plures diversa tormenta et dura exilia sunt experti.* Illustrandis ejus virtutibus atque honoribus Bollandiani columnas 35 impendunt, Augusti tom. 3, pp. 97—132. Celeberrimos ejus libros duos *de Computo ecclesiastico* ex editione Petavii exhibet Migne, Patrol. gr. tom. 19, pp. 1217—1280; reliqua opera vero ex recensione Combefisii tt. 90—91. De iis jam videatur Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 534—538.

masque in eremo sanctae civitatis lauras circa Hierosolymam a s. Charitone, Hilarioni coaevo, exstructas docent Acta SS. tom. cit. p. 662. Iis saeculo quinto ad finem vergente laurae ac coenobia ss. Euthymii, Sabbae et Theodosii coenobiarchae accesserunt.

Qui secundo loco colendus proponitur *s. Neophytus,* martyrium fecit Nicomediae, in Bithynia, sub Diocletiano imp., *quum 15. aetatis annum ageret,* ut ait Martyr. Rom. h. d. — Synaxarium proprium habet in Menolog. Basil. pp. 271—272, quod tamen, Assemano judice, non sine cautela legendum est.

SS. Eugenius, Valerianus aliique martyres Trapezuntini sub eodem Diocletiano, quorum memoriam etiam hodie agitant Graeci, in Menaeis atque inde in Actis SS. celebrantur tom. cit. p. 713.

Sanctam Agnetem Virginem et Martyrem Romae, saeculo tertio, plures ecclesiae orientales hodie cum Latinis venerantur; aliae vero die 14. Januarii aut etiam 5. Julii, quo die et synaxario celebratur in Menol. Basil. pp. 523—524. Acta exornavit Bollandus Januar. tom. 2, pp. 714—728.

κβʹ. 22. *Τιμοθέου Ἀποστόλου καὶ Ἀναστασίου ὁσιομάρτυρος τοῦ Πέρσου.*

Apud Latinos dies 24. Januarii dicatus est *s. Timotheo,* discipulo b. Pauli Apostoli, Ephesi episcopo, et martyre sub finem saeculi primi. Acta commentariis excoluit Bollandus Januar. tom. 3, pp. 176—183.

S. Anastasius ὁσιομάρτυρ, martyr monachus, slav. *prepodobnomučenik;* rumen. *cuviosulu martoru,* (*ὅσιος;* slav. *prepodobny;* rumen. *cuviosu,* communiter dicitur de regularibus) hoc elogio celebratur in Martyr. Rom.: *Romae ad aquas Salvias s. Anastasii Persae monachi, qui post plurima tormenta carceris, verberum et vinculorum, quae Caesareae Palaestinae perpessus fuerat, a Chosroë Persarum rege multis poenis affectus ad ultimum decollatus est* an. 628, *quum prius septuaginta socios in fluenta demersos ad martyrium praemisisset. Ejus caput Romam delatum est una cum veneranda ejus imagine, cujus aspectu fugari daemones morbosque curari acta secundi concilii Nicaeni testantur actione quarta.* Vitam ex Actis illustravit Bolland. ad h. d. pp. 35—54.

Par hoc martyrum in Menol. Basil. pp. 275—278 aliisque Kalendariis graecis hodie comitatur *s. Manuel,* archiepiscopus Hadrianopoleos, cum pluribus aliis pro Christi fide

in Bulgaria peremptis an. 818, tempore Leonis Armeni imperatoris. Res gestas paucis complexus est Bollandus Januar. tom. 3, pp. 54—55.

κγ'. 23. *Κλήμεντος ἱερομάρτυρος καὶ Ἀγαθαγγέλου μάρτυρος.*

S. Clemens, Ancyrae in Galatia *episcopus et martyr;* id quippe significat *ἱερομάρτυρ,* slav. *svjaščennomučenik;* rumen. *santîtu martoru;* quemadmodum enim Graeci *ἱερός* de presbyteris et episcopis usurpabant, ita *ἱερομάρτυρας* eos appellabant, qui episcopi et presbyteri quum essent, martyres occubuissent. *S. Clemens* post varia multorum annorum atrocia certamina, imperantibus adhuc Diocletiano et Maximiano martyrium consummavit 23. Januarii 304, Martyrologio Romano cum Agathangelo, praecipuo certaminis socio, adscriptus. Acta dant Bolland. tom. cit. pp. 71—97; in quibus tamen post Baronium plura culpant Tillemont. *Mémoires,* tom. 5, p. 162 et Morcelli. *Kal. E. C.* ad h. d.

κδ'. 24. *Τῆς ὁσίας Μητρὸς ἡμῶν Ξένης.*

Slav. *Prepodob. Matere našeja Ksenij;* rumen. *Cuvios. Mam'a Xeni.*

Eusebia in Baptismo appellata, ut tutius lateret, se *Ξένην, hospitam* seu *peregrinam* vocari jussit. Ex Menolog. Basil. ad d. 18. Jan. pp. 265—266 ejus vita huc redit: S. Eusebia Romana quum invita a parentibus sponso esset promissa, arrepta clam fuga, navi delata est Alexandriam, ubi divino nutu Paulum monachum salutis ducem accepit. Ab eo in patriam suam Mylasam, Cariae proximam, ducta, monasticam vitam sanctissime exegit, quare et *ὁσία* dicitur. Decessit saeculo quinto. Acta commentariis exornata habes apud Bolland. tom. cit pp. 212—216.

Qui in Kalendariis slavicis sanctae Xenae jungitur *Paulus,* ab aliis ipse hic Paulus Mylasensis creditur, ab aliis autem Paulus, qui cum duobus fratribus martyr sub Diocletiano celebratur h. d. in Menol. Basil. pp. 277—280, ab aliis denique *Babylas* Martyr, Antiochia oriundus, in Sicilia passus cum discipulis Timotheo et Agapio, uti habent Menaea Graeca. De his martyribus agit Bolland. tom. cit. p. 206.

κε'. 25. *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Θεολόγου.*

S. P. N. Gregorii, Archiepiscopi Constantinopolitani, Theologi; slav. *Iže vo svjatych otca našego Grigoria Archiepiskopa Konstantina Grada, Bogoslova;* rumen. *Celu deintru sânti parentele nostru Gregoriu Teologulu, Archiepiscopulu Constantinopolului.*

S. Gregorius Theologus, a patria *Nazianzenus* appellatus, in Martyrol. Rom. ad d. 9. Maji celebratur hoc elogio: *Nazianzi natalis beati Gregorii episcopi, ob singularem divinarum rerum doctrinam cognomento Theologi, qui collapsam Constantinopoli catholicam fidem restituit haeresesque insurgentes compressit* (an. 379—381): quae pluribus explicata vide in synaxariis et in Breviario Romano. Praecipuo honore colebatur Constantinopoli tanquam illius urbis Archiepiscopus, sicut revera per aliquod temporis spatium fuit auctoritate concilii oecumenici; sed ipse pacis communis causa cedere maluit an. 381. Nazianzum reversus ad suum suburbanum vitam monachi exercens obiit an. 389 aut 390, aetatis, ut Tillemontio videtur, 60 aut 61, verum Papebrochii sententia multo senior; is enim Suidam secutus Gregorium annos natum amplius nonaginta decessisse scribit.

Res gestas prae caeteris exhibent Papebrochius Maji tom. 2, pp. 369—457 et Tillemontius *Mémoires* tom. 9, pp. 693—731. Opera dat Migne, Patr. gr. tt. 35—38. Varia Acta literaria ad Gregorium nostrum spectantia indicata reperies apud Bardenhewer, *Patrologie* pp. 269—272.

Scripsit multa et soluta oratione et versibus, mirabili pietate et eloquentia: quibus doctorum hominum sanctorumque judicio id assecutus est, ut nihil in illis, nisi ex verae pietatis et catholicae religionis regula reperiatur: nemo quidquam jure vocare possit in dubium (Breviar. Rom. d. 9. Maji); unde et opera ejus *confirmata et rata* leguntur in jure sacro c. *Quoniam* 7. Dist. 16. Itaque rem ego non ingratam arbitror fore, si ex iis vel unam hanc sententiam pro usibus academicis enotem, qua independentiam ecclesiastici magistratus effert ac, concurrentibus duabus potestatibus, Ecclesiae principatum prae societate civili defert. Exstat in oratione 18, n. 8 (apud Migne, Patr. gr. tom. 35, pp. 975—976), ac scripta sic est:

Τί δὲ ὑμεῖς, οἱ δυνάσται καὶ ἄρχοντες; . . . Καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. Ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί· προσθήσω δὲ, ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελεωτέραν ἀρχήν· ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ καὶ τοῖς γηίνοις τὰ ἐπουράνια.

„*Quid autem vos, principes et praefecti? . . . Vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam, praestantius ac perfectius: nisi vero aequum sit, spiritum carni, et coelestia terrenis cedere.*“

κϛʹ. 26. Ξενοφῶντος τοῦ ὁσίου καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.

S. Xenophontis et sociorum ejus, saeculo sexto; slav. *Prepodobnago otca našego Ksenofonta i družini jego;* rumen. *Cuv. nostru parente Xenofontu sî celi impreuna cu densulu.*

Συνοδία comitatus, conjunctio in via, a *σύνοδος, comes itineris, qui cum aliquo iter facit.* Haec s. Xenophontis *συνοδία* complectitur *Mariam* conjugem et sanctos filios *Arcadium* et *Joannem,* Constantinopolitanos omnes, qui senatoria dignitate amplissimisque possessionibus abdicatis seorsim monasticam vitam Hierosolymis pari animorum ardore amplexi, singulari Dei providentia tandem in mutuam agnitionem adducti leguntur in Actis SS. Januar. tom. 3. pp. 338—345.

Sanctae huic familiae in multis Kalendariis junctus est s. *Simeon senior,* seu *priscus,* abbas Montis Amani in Syria, quem eadem Acta SS. floruisse tradunt saeculo quarto exeunte pp. 324—326.

κζʹ. 27. Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου.

Translatio reliquiarum S. P. N. Joannis Chrysostomi; slav. *Prenesenije moščej vo svjatych otca našego Ioanna Zlatoustago;* rumen. *Aducerea mosteloru celui deintru sânti parentelui nostru Joane Gura de auru.*

Ἀνακομιδή, relatio, ab *ἀνά,* quod in compositione saepe significat *iterationem* et per syllabam *re* exprimitur, et *κομίζω, porto, fero.*

Reliquiae s. Joannis Chrys. Comanis, ubi in exilio obierat an. 407, in regiam urbem hoc die relatae perhibentur an. 438. obviam eunte Theodosio juniore tantoque populi concursu, ut *mare prae navigiorum multitudine instar continentis effectum*

esset, et ostium Bospori ad Propontidem situm facibus obtegeretur[1]. Dies 27. Januar. etiam a Latinis honoribus ejus dicatus est; a Graecis autem praeter hunc plures alii dies praecipue pontificatus ab eo suscepti atque exiliorum anniversarii instituti sunt, de quibus videri possunt Acta SS. Januar. tom. 3, p. 375 et Sept. tom. 4. p. 691. Licet ecclesia occidentalis eos non servet, in corpore juris canonici tamen eorundem exiliorum saepe honorificam memoriam agit, ut ecce cc. *Joannes Chrysostomus* 13. Dist. 50; *Duo sunt* 10. Dist. 96; *Sane profertur* 6. C. XXIV. q. 2. Exstant opera apud Migne, Patrol. gr. tt. 47–64, commendata in sacris canonibus c. *Sancta Romana* 3. § 6. Dist. 15.

Quoniam magno nostro Joanni exilia haec atque coronam divina illa, qua munus episcopale administrabat, libertas peperit (*ἡ κατὰ θεὸν τούτου τοῦ ἐπισκόπου παῤῥησία*, ut Theodoretus ait *Hist. eccles.* l. 5, c. 28, apud Migne, Patr. gr. tom. 82, pp. 1255 et 1259), unam ejus sententiam de principatu potestatis ecclesiasticae ex hom. 15. in II. Cor. hic adscripsisse ab instituto nostro academico alienum non fuerit:

Ἐνταῦθα δέ ἐστι καὶ ἑτέρα ἀρχὴ τῆς πολιτικῆς ἀρχῆς ἀνωτέρα. Τίς οὖν ἐστιν αὕτη; ἡ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· ἧς καὶ αὐτῆς ὁ Παῦλος μέμνηται λέγων· πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. . . . αὕτη γὰρ ἡ ἀρχὴ τοσοῦτον τῆς πολιτικῆς ἀμείνων ὅσον τῆς γῆς ὁ οὐρανός· μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέον. . . . Διὰ δὴ τοῦτο οὐχ ὑπάρχων μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν τὰ διαδήματα περικειμένων μείζονά εἰσιν ἐγκεχειρισμένοι τιμὴν οἱ ταύτην ἔχοντες τὴν ἀρχὴν, ἅτε ἐν μείζοσι καὶ ἐπὶ μείζοσι πλάττοντες τοὺς ἀνθρώπους.

At vero hic aliud quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod in Ecclesia viget: cujus etiam ipsius mentionem Paulus facit, quum ait: obedite praepositis vestris, et subjacete eis. . . . *Hoc enim imperium tanto civili excellentius est, quantum coelum terra: imo etiam multo praestantius . . . Quocirca non modo majorem, quam provinciarum praefecti, sed etiam quam illi ipsi, qui diademate cincti sunt, honorem acceperunt, qui hoc imperium gerunt: ut qui in majoribus rebus et ob majora commoda homines fingant.* (Apud Migne, Patr. gr. tom. 61, pp. 508.)

Quam eandem sententiam etiam ex professo tractavit homil. 4, *εἰς τὸ· Εἶδον τὸν Κύριον*, nn. 4. et 5 (apud Migne, Patr. gr. tom. 56, pp. 126–127):

[1] Ita Theodoret. *Hist. eccles.* l. 5. c. 36, apud Migne, Patr. gr. tom. 82, pp. 1265—1268.

Ὁ βασιλεὺς σώματα ἐμπιστεύεται, ὁ δὲ ἱερεὺς ψυχάς. Ὁ βασιλεὺς λοιπάδας χρημάτων ἀφίησιν, ὁ δὲ ἱερεὺς λοιπάδας ἁμαρτημάτων. . . . Μείζων ἡ ἀρχὴ αὕτη· διὰ τοῦτο ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ὑπὸ χεῖρας τοῦ ἱερέως ἄγει. . . . Ταῦτα λέγω, οὐχὶ βασιλέας διαβάλλων, ἀλλὰ τοὺς τῇ ἀπονοίᾳ καὶ τῷ θυμῷ μεθύοντας, ἵνα μάθητε, ὅτι ἡ ἱερωσύνη βασιλείας μείζων.	*Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animae; rex residua pecuniarum remittit, sacerdos autem residua peccatorum. . . . Major hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis. . . . Haec loquor, non incessans reges, sed eos, qui arrogantia iraque sunt ebrii, ut intelligatis sacerdotium regno majus esse.*

κη΄. 28. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου.*

Venerabilis patris nostri Ephraëm, Syri; slav. *Prepodobnago otca našego Ephrema Syrina;* rumen. *Cuv. nostru parente Efremu Sirulu.*

Nisibi in Mesopotamia sub Constantino M. natus, vitae et celebris Jacobi Episcopi Nisibeni auditor, deinde Edessae instituto ab adolescentia monachus Diaconus, obiit an. 373 (non a. 378).

A Latinis colitur 1. Februar. sic Martyrologio Rom. adscriptus. *S. Ephraëm, Edessenae ecclesiae diaconi, qui post multos labores pro fide Christi susceptos sub Valente imperatore sanctitate et doctrina conspicuus quievit in Domino.* Operibus suis *ad tantam claritudinem venisse* perhibetur a S. Hieronymo *de viris illustr.* c. 115, *ut post lectionem scripturarum publice in quibusdam ecclesiis ejus scripta recitarentur* [1]). Quamvis urbes Nisibis et Edessa in Mesopotamia sitae essent, *Syrus* tamen dictus est, quod antiquitus Mesopotamiam ac totum illum Orientis tractum *Syriam* communiter nominarent. Reliqua de vita et laudibus sanctissimi viri in Actis SS. reperies Febr. tom. 1, pp. 49—78, junctis tamen praestantissimis animadversionibus historicis et criticis in vitam et scripta s. Ephraëm, quas cl. Dr. Bickell in egregio suo *Conspectu rei Syrorum literariae* Monasterii vulgavit an. 1871, typ. Theissing.

Opera pleraque omnia vulgarunt Assemanii typis Romanis an. 1737—46. Quae adhuc desiderabantur, nostro hoc aevo

[1]) Apud Migne, Patrol. lat. tom. 23, p. 707.

jam edita gaudemus a Pio Zingerle, O. S. B., a J. J. Overbeck, a cl. Dr. Bickell, atque a pluribus aliis, quemadmodum de singulis hisce recentioribus editionibus accurate nos edocent Bickell, *Conspectus rei Syrorum literariae* et Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 364—366.

κθ'. 29. *Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου πατριάρχου Ἀντιοχείας, τοῦ Θεοφόρου.*

Translatio reliquiarum sacrosancti Martyris Ignatii, patriarchae Antiocheni, Theophori, slav. *bogonosca;* rumen. *portatoriu de Domnedieu.*

Trajano de ratione appellationis *τοῦ Θεοφόρου* sciscitanti s. martyr respondisse legitur in Actis: *ὁ τὸν Χριστὸν ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρων, qui Christum circumfert in anima, ille est Theophorus.* Cfr, Bolland. Febr. tom. 1, p. 14. Hinc nomen scribendum *Θεοφόρος, Deum ferens,* non vero *Θεόφορος, divino spiritu actus seu afflatus* [1]). Alia habebis infra ad diem 20 Decembris, pp. 355—356.

Quae de singulari ejus sanctitate ac praeclaro cum leonibus certamine in amphitheatro Romano sub Trajano habentur in Menologiis Graecorum, consonant elogiis, quibus eum Latini celebrant die 1. Febr. et 17. Decemb.

Reliquiarum s. Ignatii tres translationes in fastis ecclesiasticis earumque anniversarii dies sacri consignantur: *prima,* quum ab Urbe Roma in Orientem perlatae in Antiochiae coemeterio extra portam Daphniticam positae sunt anno, qui ejus martyrium proxime sequebatur, 108 vel 109; *altera* Antiochiae celebrata est sub Theodosio juniore, quum reliquiae a coemeterio in ipsam urbem invectae sunt; *tertia* denique quum Saracenis Antiochiam opprimentibus medio saeculo septimo reliquiae Romam relatae et in ecclesia s. Clementis

[1]) Qui *Θεόφορον, quem Deus gestat,* scribunt, de Ignatio puero sermonem esse putant apud Marcum c. 9, v. 35, ubi ait: *Et accipiens* (Jesus) *puerum statuit eum in medio eorum; quem quum complexus esset, ait illis: Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit* etc. inque sententiae suae confirmationem adducunt, quod tum *Kalend. CP.* a Morcellio editum tum Kalendar. syriaca eandem lectionem Evangelii praescribant tam hoc die, quam die 20 Decembris, quo communiter creditur obiisse.

reconditae sunt. Festum secundae translationis erat Antiochensium proprium; dies anniversarii duarum aliarum translationum contra plerisque omnibus communes perhibentur Martyrol. Rom. ad 17. Decemb.; quod de prima quidem ipse s. Joannes Chrysost. in celeberrima illa concione testari videtur, quam die hujus translationis anniversario habuisse refertur in Martyrologio Rom. l. c. [1]).

λ'. 30. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἱππολύτου τοῦ Πόρτου Ῥώμης ἐπισκόπου· καὶ τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν καὶ οἰκουμενικῶν διδασκάλων Βασιλείου τοῦ Μεγάλου, Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου καὶ Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου.*

Memoriam s. *Hippolyti, episcopi Portus Romani et martyris* sub Alexandro (slav. *Svjatago svjaščennomučenika Ippolyta, episkopa Porta Rimskago ili Portuenskago*; rumen. *Sântulu sântîtulu martoru Ippolitu Pap'a de la Rom'a)* Latini celebramus die 22. Augusti, deque eo praeclarum elogium habes in Martyrologio Rom. Hic celeberrimus ille est Hippolytus, cujus gesta ac scripta mire torquent eruditorum ingenia. Eum Eusebius simpliciter vocat ἑτέρας που καὶ αὐτὸς προεστὼς ἐκκλησίας, *alterius cujusdam ecclesiae antistes* [2]); Heortologium nostrum autem, ex multorum sententia, Portuensem episcopum dicit. Verum quod s. Hieronymus de Hippolyto agens in libro *de viris illustribus* testatur c. 61, *se nomen ecclesiae scire non potuisse,* quam is obtinuerit [3]), id hodieque prudentiores critici, post discussas varias veterum recentiorumque conjecturas, fateri coguntur.

In *Menaeis graecis* atque inde in rumenico Orologiulu celu mare Hippolytus *Πάπας Ῥώμης*, *Pap'a de la Rom'a,* perperam vocatur; nec idoneam excusationem hic titulus ex eo habet, quod Döllinger [4]) aliique ex recentioribus historicis eum doceant antipapam fuisse ac libros *Φιλοσοφουμένων* contra s. Callistum († an. 227) Romae scripsisse, postea vero

[1]) Apud Migne Patrol. gr. tom. 50, p. 594.
[2]) *Hist. eccles.* l. 6, c. 20, apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 571—572.
[3]) Apud Migne. Patr. lat. tom. 23, p. 671.
[4]) Hippolytus und Kallistus. 1853.

errata sua martyrio resarsisse [1]); haec hypothesis enim a pluribus eruditis sufficienter jam refutata videtur. Adeundus ea de re H. Grisar, qui totam hanc controversiam post alios quos citat, nuper *σὺν ἀκριβείᾳ* est prosecutus in Actis theolog. Oenipontanis *Zeitschrift für katholische Theologie,* edito [2]) proprio commentario critico: *Bedarf die Hyppolytus-Frage einer Revision?* — Qualis vero ac quantae fuerit eruditionis Hippolytus, ex eo potest intelligi, quod *in ejus aemulationem* — verba sunt s. Hieronymi l. c. — *Ambrosius* quidam *Origenem est cohortatus in scripturas commentarios scribere* [3]), *praebens ei septem et eo amplius notarios eorumque expensas et librariorum parem numerum, quodque his majus est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens; unde in quadam epistola ἐργοδιώκτην eum Origenes vocat.* In ejus scriptis recensendis utilem operam etiam posuit Cuperus in Actis SS. August. tom. 4, pp. 504—513. Quae supersunt opera ac fragmenta cum prolegomenis et appendicibus nunc prostant apud Migne, Patr. gr. tom. 10, pp. 261—962.

Sanctorum Patrum nostrorum et oecumenicorum Doctorum Basilii Magni, Gregorii Theologi et Joannis Chrysostomi. Ita *Menaea* ad d. 30. Januarii.

Haec una omnium trium Doctorum celebritas agi coepta est sub Alexio Comneno Imperatore an. 1081, aut 1084, ob coortam in urbe regia de iis contentionem, quisnam sanctitate et eruditione aliis praestitisset. Quaestionem ipsimet sancti solverunt apparentes *Joanni Euchaitarum episcopo,* monentesque eum, ut Constantinopolitanos ab inutili disputatione desistere juberet; unum se esse apud Deum, nec invicem pugnare aut dissidere. *In ea cogitatione curaque apud Deum versamur,* inquiunt, *ut vivos inter et nos concilietur pax et in concordiam reducantur extrema; quem in finem nos uno*

---

[1]) Opus *Φιλοσοφούμενα ἢ Κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος*, *Philosophumena sive Omnium haeresum refutatio* exstat apud Migne, Patr. gr. tom. 16.

[2]) Tom. 2, pp. 505—533.

[3]) Ipse Origenes fatetur in *selectis fragmentis in psalm. 1,* n. 2 se ab Ambrosio praecipue instigatum fuisse, ut commentarios in sacras literas vulgaret. Apud Migne, Patr. gr. tom. 12, pp. 1077—1080.

die conjunge et, quemadmodum te decet, diem illum nobis festum consecra, itaque ostende, nos coram Deo unum esse (ἀλλὰ καὶ ἡμέρᾳ μιᾷ σύναψον. Καὶ ὥς σοι προσῆκον, τὰ τῆς ἑορτῆς ἡμῖν ἐπιτέλεσον, καὶ τοῖς ἐξ ἧς παράδος, ὡς ἡμεῖς ἓν ἐσμεν τῷ Θεῷ). Mandatis obtemperans Joannes festum tribus Doctoribus commune instituit, electo ad id Januarii die 30. compositoque officio proprio, quod egregiis commentariis Rayei illustratum tomo 2. mensis Junii praefixit Papebrochius pp. XV—LXXVII. Prolixiorem historiam festi ex Menaeis graece et latine habes apud Bollandianos Junii tom. 3, pp. 413—416, postquam de ipso *Joanne Euchaitarum metropolita* fuse jam egerunt ad diem 5. ejusdem mensis. Bollandianorum commentarium de aetate, sede ac scriptis Joannis reperies etiam apud Migne, Patrol. gr. tom. 120, pp. 1151—1158.

Graecorum sermones de praesenti festivitate indicat „Bibliotheca hagiographica graeca" *Bollandianorum,* p. 20. Caeterum communis hujus solemnitatis rationes et nos sumus nuper prosecuti in actis theologicis Oenipontanis „Zeitschrift für kath. Theologie" 1894, p. 742—744, quae, ubi libuerit, lectori facile erit adire.

λα'. 31. *Κύρου καὶ Ἰωάννου τῶν θαυματουργῶν ἀναργύρων.*

SS. Cyri et Joannis sine mercede miracula curationis patrantium.

Ἀνάργυρος, argento carens; argentum, munera, mercedem non recipiens; beneficia ultro ac sponte sine mercede conferens.

Hinc quidam sancti cognomine *τῶν ἀναργύρων*, slav. *bezsrebrennikov;* rumen. *forà de argentu* insigniti, quod in necessitatibus sive corporalibus sive spiritualibus gratuitum auxilium tulerint; sic v. g. ss. *Cosmam et Damianum ἀναργύρους* vocari dicunt Menaea d. 17. Oct., quod *ἀναργύρως τοὺς ἀσθενοῦντας θεραπεύοντες gratis aegros sanantes Christum annuntiassent.* Quae appellationis ratio in sanctos nostros omnino valet: et in *Cyrum* quidem, quod, *professione medicus quum esset Alexandriae, sine ulla mercede artem suam exercendo simul Christi fidem doceret (ἰατρὸς τὴν τέχνην, ἰατρεύων δὲ δωρεὰν ἐν ταὐτῷ ἐδίδασκε καὶ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν),* quemadmodum habet ejus synaxarium in Menol. Basil. h. d.;

in *Joannem* vero ob innumera aegris mortalibus collata beneficia [1]). Martyrologio Rom. inscripti sunt cum hoc elogio: *Romae via Portuensi ss. Martyrum Cyri et Joannis, qui post multa tormenta pro confessione Christi capite truncati sunt:* quae, notante Baronio ad h. d., non ita sunt accipienda, quasi Romae passi sint, sed quoniam praedictorum martyrum corpora Alexandria, ubi Diocletiani aevo lauream sunt adepti, Romam translata, illic sunt posita. Inventa eorum corpora sub Arcadio imperatore et Theophilo Patriarcha Alexandrino alteri festo occasionem dederunt, quod Graeci agunt 28. Junii.

In aliquibus Kalendariis s. Cyrus vocatur *Abbacyrus,* quod vocabulum Mazochius *Kalend. Neap.* tom. 1, p. 30 ab Aegyptiis fluxisse censet, unde erat s. Cyrus; eaque de causa in Coptico Kalendario vocari *Abbacher,* qui Graecis factus est *Abbacyrus,* et recentioribus *Cyrus.* Verum Morcellio *Kal. Const.* h. d. *τὸ Ἄββα* nihil aliud est, quam appositum *monachi,* qualis s Cyrus sub finem vitae in Menol. Basil. l. c. fuisse perhibetur, quum ad certamen prodiret. Acta eorum, et aliorum etiam, qui cum ipsis martyrium fecerunt, reperies apud Bollandianos Januar. tom. 3, pp. 696—710.

Victorem ejusque socios autem, quorum memoriam hodie faciunt synaxaria slavica, Latini veneramur 25. Febr., quo die et historiam martyrii contexunt iidem Bollandiani Febr. tom. 3, pp. 493—495.

---

[1]) Septemdecim *ἀνάργυροι* in Menaeis occurrunt, qui tamen ad 13 revocantur, quum *tria paria* fratrum cognominum *Cosmae et Damiani* admitti nequeant, quemadmodum inferius ostendetur p. 199. Ex Anargyris in officiis ecclesiasticis 12 annuntiantur *bini (κατὰ ζεῦγος* sive *ζυγάδην),* nimirum: Cosmas et Damianus; Cyrus et Joannes; Photius (Photinus) et Anicetus; Pantaleon et Hermolaus; Sampson et Diomedes; Thallalaeus et Tryphon. Accedit Pausicacus, qui sine socio commemoratur d. 13. Maji. Sed et ea de re plura animadvertimus in Actis Oenipontanis ad diem praecedentem adductis (1894, pp. 739—741), quae forte lectione dignaberis.

FEBRUARIUS.

Μὴν Φεβρουάριος; *mensis Februarius*; slav. *měsjac Fevruarij*; rumen. *lun'a lui Februariu*; arab. *Šebet.*

Februarius, inquit s. August. *contra Faustum* l. 18, c. 5, *a februis, sacris Lupercorum appellatus est;* quod scilicet tum *februaretur* populus, h. e., expurgaretur [1]). Nam Luperci primo die, qui *februatus* dicebatur (Varro, *Ling. lat.* lib. 5) omnem Urbem veterem pelles caprinas in manibus gestantes circumcursabant idque piamen censebatur. Praeterea duodecim diebus continuis pro defunctorum manibus *februa,* h. e., sacrificia expiatoria fiebant. Alii tamen cum Macrobio *Saturnal.* l. 1, c. 13, et s. Isidoro, *Etymolog.* l. 5, c. 33 [2]) Februarium dictum putant a *Februo deo.* h. e., Plutone vel Plutonis patre, cui eo mense sacrificabatur; sed res eodem recidit, ut Forcellin. recte animadvertit *verb. Februar.;* nam idem Macrobius l. c. hunc tradit *deum* esse *lustrationum potentem.*

α'. 1. Τρύφωνος μάρτυρος.

S. Tryphonem sub Decio martyrem Nicaeae, circa an. 250, Latini colunt 10. Novemb., quo die Baronius plura scitu utilia adnotavit ad *Martyrol. Rom.* Proprio synaxario celebratur in Menol. Basil. pp. 289—290. Acta primus edidit Octavius Cajetanus. Confer Tillemontium, *Mémoires* tom. 3. p. 342, et confer etiam Morcelli, *Kal. E. C.* ad hunc diem.

Sanctis ἀναργύροις Tryphonem accenseri, heic notatum recolas p. 89.

---

[1]) *Februa* dicebantur sacra expiatoria et omne id, quod vim purgandi habere exstimabatur (Ovid. *Fast.* l. 2, v. 19). Vocabulum etymon habet a verbo *ferbeo* aut *ferveo;* unde *ferbuum* et, trajectis literis, *februum;* nam lustratio fiebat plurimum igne aut undis ferventibus.

[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 82, p. 219.

β'. 2. Ἡ Ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Occursus Domini Nostri Jesu Christi; slav. *Strětenije Gospoda našego Isusa Christa*; rumen. *Intempinarea Domnului nostru Isusu Christosu*; arab. *Dukhûl rabb'na lilhaikal*; syr. *ʿîda d'maʿell'thê d'mâran l'haiklâ.*

Ὑπαπαντή seu ὑπαντή et ὑπάντησις, *occursus*, ab ἀντάω et ὑπαντάω, ὑπαντάομαι *occurro, obvius fio, obviam procedo; a Graecis autem* ὑπαντή, *obviatio* nuncupatur, verba sunt Micrologi *de eccles. observat.* c. 48, *quia venerabiles personae Simeon et Anna eo die obviaverunt Domino, dum praesentaretur in templo* [1]). Latini contra ipsum ritum expiationis Dei genitricis spectantes *Purificationem* appellant, quamquam vetera Martyrologia etiam graecam vocem usurpant, unde Bollandiani ipsam celebritatem a Graecis manasse putant Febr. tom. I, p. 273.

Distinctione facta inter memoriam ipsius mysterii oblationis redemptionisque divini infantis Jesu et hodiernum festum, quadragesimo a partu die celebrandum, dicendum est, illam saeculo quarto jam factam legi, quamvis non hoc die, sed ante Epiphaniam. Sic enim s. Gregorius Nazianzenus *orat.* 39. *Εἰς τὰ φῶτα τῶν Ἐπιφανείων* singulas mysteriorum, quae Christum infantem spectant, memorias enumerat: *Cum stella cucurrimus, cum Magis adoravimus, cum pastoribus luce circumfusi sumus, cum angelis divinam gloriam praedicavimus, cum Simeone in ulna accepimus (μετὰ Συμεὼν ἐνηγκαλισάμεθα), et cum Anna, illa, inquam, vetula et casta femina confessi sumus (καὶ μετὰ Ἄννης ἀνθωμολογησάμεθα τῆς γεραιᾶς καὶ σώφρονος); atque ei, qui ut alienus in propria venit, gratia habeatur, quod exterum hominem et peregrinum gloria affecit. Nunc vero alia Christi actio aliudque mysterium sequitur* [2]).

Verum solemnitatis huic quadragesimo a partu diei assignatae certa monumenta saeculo quinto antiquiora non habemus, quum qui olim a Fabricio [3]) et Henschenio [4]) afferebantur

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 151, p. 1012.
[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 36, pp. 549—550.
[3]) Biblioth. gr. tom. 9, p. 87.
[4]) In Actis SS. ad hunc diem.

Patrum sermones, eorum jam non putentur, quorum nomina inscripta habent, quemadmodum post Tillemontium et Tutteum animadvertit Morcelli *Kal. E. C.* h. d. Sub annum 450 autem frequentatam hodie, in Palaestina saltem, *ὑπαπαντὴν* fuisse, adhibito etiam cereorum ritu, habemus ex Cyrillo Scythopolitano in *Vita s. Theodosii coenobiarchae* supra jam laudata ad 11. Januar., sed non omnibus communem fuisse solemnitatem ante saeculum sextum, docemur edicto Justiniani imperatoris an. 542, quo *praescriptum* legimus [1], *ut Occursus Salvatoris tum primum ubique terrarum festa solemnitate celebretur (τάττει δὲ καὶ τὴν τοῦ Σωτῆρος Ὑπαπαντὴν ἄρτι πρώτως ἁπανταχοῦ τῆς γῆς ἑορτάζεσθαι)*, et CPoli quidem praecipuo quodam solemnique apparatu synaxi acta in Blachernis, de qua magnificentissima aede dicetur infra ad 2. Julii.

Occidentem quod attinet, Latinos illustri certamine devotionis in hoc festo peragendo cum Graecis certasse, testis est Alcuinus in oratione ab eo hodie habita coram Carolo magno, Romanam solemnitatem ita describens: *Hujus diei solemnitas, sicut a quibusdam Christianis ignoratur, sic a multis prae caeteris anni solemnitatibus honoratior habetur; maxime autem eo loco, quo primatum Ecclesia catholica in primo pastore sortita est, in tanta reverentia habetur, ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta immensis cereorum luminibus coruscans, Missarum solemnia devotissime celebrent, nullusque aditum publicae stationis intret, si lumen manu non tenuerit, tanquam scilicet Dominum in templo oblaturi, immo etiam suscepturi, fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suae religione demonstrent* [2].

Cereorum hanc gestationem cum lustratione Urbis apud antiquos Romanos usitata comparantes Latini scriptores eam ingeniose in usus homileticos verterunt. *Agitur*, inquit s. Ildephonsus episc. Toletan. († 717) *haec festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo*, id est, *Plutone sic vocaverunt, quem potentissimum purgationis credebant (februare enim purgare dicimus);*

[1]) Refertur a Niceph. Callist. *Hist. eccl.* l. 17, c. 28 apud Migne, Patrol. gr. tom. 147, pp. 291—292.

[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 89, pp. 1291—1292.

quo mense lustrabatur civitas . . ., et diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio et virtute totum orbem subjugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose christiana mutavit religio quum eodem mense, hoc est, hodierna die in honore sanctae Dei genitricis et perpetuae Virginis Mariae non solum clerus, sed et omnis plebs ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt, non jam in memoriam terreni imperii quinquennem, sed ob recordationem coelestis regni perennem, quando juxta evangelicam parabolam omnes sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi sponso Christo obviantes ab eo in thalamum aeternae felicitatis sunt intromittendi[1]. Quae eadem iisdem ferme verbis habent s. Eligius, episc. Noviomen. in Gallia, sancto Ildephonso *σύγχρονος*[2]; ven. Beda, *de Ratione temporum* c. 12[3]; Alcuinus, *de divinis officiis* c. 7[4]; Amalarius Fortunat., *de ecc. officiis* l. 3. c. 43; Rabanus Maur., *de institutione clericorum* l. 2, c. 35[5], ut adeo Bollandianis, Februar. tom. 1. p. 274, verisimile appareat, eos omnes unius alicujus antiquioris auctoris sensum ac tantum non verba secutos esse.

γ'. 3. *Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Συμεὼν τοῦ Θεοδόχου· καὶ Ἄννης τῆς προφήτιδος.*

Sancti et justi Symeonis Deum suscipientis, et Annae prophetissae; slav. *Svjatago i pravednago Simeona bogoprijimca i Anni proročicy*; rumen. *S. sî dereptulu Simeone primitoriulu de Domnedieu; sî An'a profetes'a.*

Θεοδόχος, *Deum suscipiens*, a *θεός*, *Deus*, et *δέχομαι*, *capio, excipio, suscipio*, usurpatur a Dionys. Areopag., de *div. nom.* c. 3, § 2 de *corpore s. genitricis Mariae*[6], a s. Gregor. Nyssen. *orat. catechet.* c. 32. de *carne Christi Domini*[7], et in libris liturgicis de *s. Symeone*, qui Christum in templo in ulnas suas recepit. Justum hunc senem Latini colimus 8. Octob., sanctam Annam vero 1. Septemb. Graeci eorum memoriam *τῇ ὑπαπαντῇ* hodie subjungunt, quod propius ad mysterium hesterni festi concurrerint, de quo ritu confer ea quae dicta sunt ad 7. Januar.

---

[1] Apud Migne, Patr. lat. tom. 96. p. 277.
[2] Ibid. tom. 87, p. 602.
[3] Ibid. tom. 90, p. 351.
[4] Ibid. tom. 101, p. 1181.
[5] Ibid. tom. 107, p. 345.
[6] Apud Migne, Patrol. gr. tom. 3, p. 681.
[7] Ibid. tom. 45, p. 80.

δʹ. 4. Ἰσιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου.

S. Isidorus, Aegyptius, patria Alexandrinus, presbyter et monachus coenobii in monte Pherme (arab. *Farama)* non procul a Pelusio urbe, unde cognomina *Phirmiensis* et *Pelusiotae* sortitus, a s. Cyrillo Alexandrino ut pater habitus, defensor s. Joannis Chrysostomi, *meritis ac doctrina conspicuus* (Martyr. Rom. h. d.), obiit saeculo quinto mediante, *multa nobilia,* ut Baronius ibidem recte annotat, *relinquens posteris et sanctitatis et scriptorum monumenta.* Vitam illustrant Bollandiani Febr. tom. 1, pp. 473—479; opera exhibet Migne, Patr. gr. tom. 78.

Ex iis epistolam 5, libri 3, afferre liceat *de inexpugnabili Ecclesiae firmitate,* vexatis ejus ministris turbulenta hac tempestate consolationi futuram (pp. 731—732). *Non tanquam nemo Ecclesiae bellum indicturus atque eam exstinguere adnixurus esset; verum quod multi quidem adversus eam pugnaturi sed tamen vincendi ac profligandi essent, dictum est:* et portae inferi non praevalebunt adversus eam, *subaudi* Ecclesiam. *Sic quippe contigit. Oppugnata enim est, sed non oppressa (ἐπολεμήθη μὲν γάρ, οὐχ ἡττήθη δέ). Verum iis ipsis, qui eam destruere tentaverunt, splendidior emicuit (ἀλλ' αὐτῶν τῶν σβέσαι ἐπιχειρησάντων λαμπροτέρα ἀπεφάνθη). Quid igitur miraris, si sancti etiam viri bello exagitentur? Ex bellis enim praeclariora trophaea atque ornatiora spolia esse videntur (ἐκ γὰρ τῶν πολέμων λαμπρότερα φαίνεται τὰ τρόπαια καὶ σεμνότερα τὰ σκῦλα).*

Nec omittenda sunt, quae de nexu inter societatem civilem et Ecclesiam scribit eodem libro, epistola 249, pp. 927—928; *Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit, illud enim velut anima est, hoc velut corpus; ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem (εἰ γὰρ καὶ πολλῷ ἀλλήλων διαφέρουσιν· ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχή ἐστιν, ἡ δὲ σῶμα· ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν).*

εʹ. 5. Ἀγάθης μάρτυρος· καὶ Πολυεύκτου Κωνσταντινουπόλεως.

Celeberrima haec per omnes ecclesias martyr Catanae in Sicilia, sub Decio, an. 251, in fastis latinis et graecis hodie maximis praeconiis effertur. Acta, laudes, miracula ac contentiones, quae inter Catanenses ac Panormitanos circa communis patronae patriam fervent, apud Bollandianos pervolvere libet Febr. tom. 1, pp. 599—662.

Sanctam Agatham in fastis graecis comitantur *s. Theodula* et socii, martyres Anazarbi in Cilicia, sub eodem Decio. Synaxario celebrantur in Menol. Basil. d. 18. Januar. pp. 265—266. Acta ex Menaeis dant Bolland. tom. cit. pp. 662—663.

S. Polyeuctus patriarcha CP. ab anno 956 ad an. 970, fide catholica, pietate in Deum, justitiae zelo, studioque ecclesiasticae libertatis clarus, hoc loco vel ideo speciali mentione dignus est, quod *s. Olgam,* Magnam Ducissam Russiae, baptizavit an. 957, prout pluribus dicetur infra ad 11. Julii. Res gestas ex monumentis graecis illustrat Bolandus ad h. d. pp. 712—719.

ϛ'. 6. *Βουκόλου ἐπισκόπου Σμύρνης, μαθητοῦ τοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.*

Smyrnae in Asia primus *episcopus* fuerit *s. Bucolus* an Strataeas, in ambiguo quidem est; sed discipulum eum S. Joannis Evangelistae fuisse ac S. Polycarpi in episcopatu Smyrnensi decessorem, ex Menaeis, Horologio aliisque libris liturgicis perbene Bollandiani ostendunt tom. cit. pp. 774—775. eo etiam inclinantes, ut eundem et *angelum* illum *ecclesiae Smyrnae* fuisse credant, cui s. Joannes e Pathmo scripsit Apoc. 2, 8—11. Miraculis clarus decessit saeculo primo exeunte. Res a S. Bucolo praeclare gestas persequuntur iidem Bolland. l. c.

In aliquibus Kalendariis altero loco scriptum legimus *s. Julianum* medicum, martyrem Emesae, in Phoenicia, sub Maximino Galerio, an. 312, cujus mentio primo loco fit in Menol. Basil. pp. 297—298. De eo vide Bolland. tom. cit. p. 787.

ζ'. 7. *Παρθενίου ἐπισκόπου Λαμψάκων καὶ Λουκᾶ τοῦ ἐν τῷ Σωτηρίῳ τῆς Ἑλλάδος.*

S. Parthenius, Lampsaci in Hellesponto *episcopus*, sanctitate et miraculis claruit Constantino M. imperante crediturque concilio Nicaeno interfuisse. Vitam cum commentario critico habes in Actis SS. Febr. tom. 2, pp. 37—42.

S. Lucas junior, thaumaturgus, monachus, obiit circa an. 946, Sanctae Romanae ecclesiae peculiarius addictus. quemadmodum ex ejus vita notant Bolland. tom. cit. p. 99. Cognomen *τοῦ ἐν Σωτηρίῳ, Στηρίῳ, Στειρίῳ, Storio*, varie effictum augurantur interpretes. Henschenio quamplurimae, quae ad sancti tumulum contigere morborum curationes, nomen fecisse videntur loco, ut in *Vita* n. 66 *Σωτήριον*, per syncopen *Στήριον*, diceretur (Bolland. ibid. p. 82). Qui cum Menaeis *τοῦ ἐν Στειρίῳ* legunt, hoc vocabulo designari putant *Στείριον*, montem Phocidis, sub cujus radicibus oppidum *Στεῖρις* seu *Στίρις* situm erat. — Recentiora dant Bollandiani in *Bibliotheca hagiographica graeca*, p. 70.

η'. 8. *Μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου τοῦ Στρατηλάτου καὶ Ζαχαρίου τοῦ προφήτου.*

S. Theodori Magnimartyris ductoris exercitus; slav. *Svjatago velikomučenika Teodora stratilata;* rumen. *S. mare le Mart. Teodoru stratilatu.*

Στρατηλάτης, qui exercitum educit, a *στρατός, exercitus*, et *ἐλάω*, pro *ἐλαύνω, agito, stimulo, duco.*

Illustres eodem ferme tempore in Ponto *Theodori* duo Megalomartyres *Euchaïtae*, exstitere; alter *Τήρων*, sive *Τύρων*, *Tiro* vulgo appellatus, Amaseae glorioso agone perfunctus sub Maximiano Galerio atque in urbe Euchaitarum sepultus, colitur a Graecis 17. Februarii, a Latinis 9. Novembris; alter *Στρατηλάτης, dux exercitus,* ex eadem hac civitate Euchaitarum oriundus, Mariandenorum praefectus, martyrii palmam adeptus Heracleae sub Licinio, an. 319, pariter apud Euchaitas conditus, inde autem Venetias translatus, a Graecis 8. Febr. olim 7, uti et nunc a Latinis, honoratur, in Martyrol. Rom. etiam brevi encomio ornatus.

Ob venerationem utriusque s. martyris, praecipue ducis exercitus, ipsa urbs Euchaita *Theodoropolis* est appellata [1]) an. 971, atque ad dignitatem sedis archiepiscopalis evecta, privilegio etiam *αὐτοκεφαλίας* seu exemptionis ab Amaseno

[1]) Cfr. Georg. Cedren. *Histor.* apud Migne, Patr. gr. tom. 122, pp. 143—144.

Helenoponti metropolita donata. Acta latinitate donata reperies apud Bolland. Febr. tom. 2, pp. 22—37. graeca vero in Analectis Bolland., t. 2, pp. 359—367.

S. Zacharias, minorum prophetarum undecimus, a Latinis colitur 6. Septemb., quo die Bolland. de eo agunt. Babylone in patriam reversus vaticinari coepit anno ante Ch. 516. duobus mensibus post initum ab Aggaeo propheta munus, cum quo et conditus perhibetur in Martyrol. Roman.

θ'. 9. Νικηφόρου μάρτυρος.

S. Nicephorus, martyr Antiochiae, in Syria, sub Valeriano, circa an. 258, Martyrologio Romano etiam inscriptus est h. d. Acta commentario praevio illustrata dedit Henschenius apud Bolland. Febr. tom. 2, pp. 283—288.

S. Nicephoro Menologium Basil. conjungit *s. Marcellum* seu *Marcianum, episcopum Siciliae,* cum duobus sociis *Philagrio, episcopo Cypri* et *Pancratio, episcopo Tauromenii,* quos omnes discipulos s. Petri fuisse tradit. De s. Marcello hoc exstat elogium in Martyrol. Rom. die 14. Junii: *Syracusis s. Marciani episcopi, qui a beato Petro ordinatus episcopus, post Evangelii praedicationem a Judaeis occisus est,* quod tamen, Papebrochio judice, non sine cautela accipiendum est. Cfr. Acta SS. Jun. tom. 3, pp. 275—276.

ι'. 10. Χαραλάμπους ἱερομάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.

S. Charalampius, χαρᾶς καὶ πλήρης θείας λαμπρότητος, *gaudii divinique splendoris plenus,* ut Menaea nomen explanant, sacerdos urbis Magnesiae, palmam tulit Antiochiae Pisidiae, sub Severo, an. 202. Qui cum eo junctim referuntur martyrii socii, duo milites sunt *Porphyrius* et *Baptus* (Menol. Basil. pp. 305—306 *Dauctus* legit) ejus lictores et tres foeminae anonymae, qui omnes miraculis in eo coruscantibus ad fidem conversi triumphum et ipsi sunt adepti. Acta dant Bolland. Febr. tom. 2, pp. 381—386; eorum epitomen habes in Menaeis et in Menolog. cit.

Qui in Kalendariis graecis altero loco memoratur *s. Paulus,* martyrium subiit Caesareae, in Palaestina, Diocletiano impe-

rante, anno 308. Certamen describit Eusebius *de martyribus Palaestinae* c. 8 [1]), ex quo desumptum est prolixum ejus encomium in Martyrol. Rom. 25. Julii, quo die et Bolland. res gestas illustrant Jul. tom. 4. pp. 163—166.

ια'. 11. *Βλασίου ἱερομάρτυρος καὶ Θεοδώρας τῆς βασιλίσσης τῆς ποιησάσης τὴν ὀρθοδοξίαν.*

S. Blasius episcopus, cum multis aliis Christi pugilibus Sebastenam urbem olim Cappadociae, postea Armeniae, martyrio nobilitavit sub Diocletiano aut Licinio; in anno ejus certaminis assignando enim non omnes consentiunt. Blasii memoriam Latini celebrant die 3. Febr. deque eo praeclarum elogium habet Martyrol. Rom. Acta exstant a Bolland. diligenter illustrata Febr. tom. 1, pp. 334—357.

S. Theodorae imperatricis, quae instituit festum orthodoxiae an. 842, vitam ex variis scriptoribus conflatam exhibent Bolland. Febr. tom. 2, pp. 554—569. De ea quoque multa sunt praeclare ac solide animadversa a cl. Hergenröther, *Photius, Patriarch v. CP.,* tom. 1. pp. 348—351, ubi etiam auctores recensentur, qui s. Theodorae res gestas persequuntur. Iis nunc annumerandi sunt, quos Bollandiani nuper in *Bibliotheca hagiographica graeca* ex *Analectis Byzantino-Russicis* attulerunt p. 127. Viro suo Theophilo iconomacho vita functo, Theodora *zelo Dei inflammata, synodo divina ac locali* in Urbe regia *convocata* ac s. Methodio Patriarcha constituto an. 842 [2]) *iconomachos anathematizavit et sacras imagines in ecclesia restituit* (Menolog. Basil. p. 367). De anniversario festo *orthodoxiae,* prima Dominica Quadragesimae peragi solito, quo recolitur restitutus in Oriente sacer imaginum cultus, sermo redibit in altera parte *de festis mobilibus.*

Ab ingrato filio Michaele III. contumeliose irrisa et cum s. Ignatio Patriarcha in exilium pulsa atque invita attonsa [3]) an. 858, celeberrimis illis literis s. Nicolai PP. I. d. d. 13. Nov. 866 confortata est, quas Baronius *velut nobile epitaphium tantae mulieris digna memoria consecratum* referre se in Annalibus profitetur ad an. 866, n. 15.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 1485—1490.

[2]) Apud Hardouin. Conc. tom. 5, p. 1546.

[3]) Cfr. Hergenröther, l. c. pp. 370—371.

Quum sola principabaris, inquit Pontifex, *Domino cooperante, non solum ab hoste visibili, verum etiam, nullo mare inferior, Ecclesiam Domini ab hoste invisibili, hoc est, ab errore texisti; et perversorum dogmatum nebulam tanquam solis radius ab Ecclesiae facie pepulisti. . . . Cur hoc, nisi quia Sedis Apostolicae dogmata sequebaris, et Constantinopolitani monita Pontificis, cui Romana ecclesia communicabat, amplectebaris? . . . Carissima filia, confortamini in Domino et in adversitatibus unicum Domini solum adite refugium; statuentes etiam pedes vestros in petra, super quam Dominus principaliter suam construere delegit Ecclesiam; et ab ejus communionis soliditate, sicut nec hactenus, ita quoque usque in finem nullis procellae alienamini flatibus. Nos vero, qui ejusdem immeriti sumus vicarii, tam circa statum ecclesiae Constantinopolitanae, quam circa recuperationem fratris et coepiscopi nostri Ignatii juxta ministerium nobis creditum, segnes inveniri vel desides nullo pacto, confidite*[1]).

S. Theodora pie decessit d. 11. Febr. 867, a Basilio Macedone imperium adepto in monasterium aviae Theoctistae Florinae translata.

ιβ'. 12. *Μελετίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας.*

Antiochiae s. Meletii episcopi, qui pro fide catholica saepe exilium passus, demum Constantinopoli, absoluta oecumenica synodo secunda, cui subscripsit, *migravit ad Dominum* an. 381, *cujus virtutes sanctus Joannes Chrysostomus* in oratione quinquennio post ipsius obitum Antiochiae habita[2]) *et Gregorius Nyssenus* in oratione CPoli in conventu patrum, in ejus funere, dicta[3]) *summis laudibus celebrarunt* (Martyr. Rom. h. d.). Eundem et s. Gregorius Naz. honorificentissime laudat in carmine de vita sua, agitque de ejus adventu Constantinopolim, de obitu, funere et translatione corporis Antiochiam, alludens etiam ad ipsius nomen hisce versibus:

Quis ignorat eum, quem verba mea indicant,
Antiochenae praesidem Ecclesiae,
Qui erat id, quod vocabatur, et quod vocabatur
Hoc erat? Mellis enim et mores et nomen.

Τὸν ὄνθ' ὅπερ κέκλητο, καὶ καλούμενον Ὃ ἦν; Μέλιτος γὰρ

[1]) Apud Migne, Patr. lat. 119, pp. 1062—1063.
[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 50, pp. 515—520.
[3]) Ibid. tom. 46, pp. 851—864.

καὶ τρόπος καὶ τοὔνομα[1]. Alia ex antiquis scriptoribus enotat Baronius in *Martyrol. Rom.* h. d. Caetera de s. Meletio, quaecunque congeri potuere, habes apud Bolland. Febr. tom. 2, pp. 584—602.

In multis Kalendariis slavicis, non tamen recentioribus catholicis, altero loco citatur *s. Alexius*, qui ex monacho coenobii Epiphaniae mosquensi episcopus Wladimiriae Kliazmensis factus an. 1350, deinde metropolita Kioviensis ac totius Russiae a synodo salutatus an. 1354, virtutibus et miraculis clarus obiit an. 1378, aetatis 85. Ecclesia russa quippe eo tempore adhuc tantum aberat, ut schismati Graecorum universa adhaereret, ut quum Patriarcha Constantinopolitanus alium metropolitam contra Alexium submisisset, eum Wladimirus, Kioviae Dux, carceri manciparit[2]. Cfr. Acta SS. tom. cit. pp. 639—641 et *Praefat. ad Ephemerid. Graeco-Moschas* Maji tomo 1. praefix. Caeterum s. Alexius justam atque idoneam suae cum Constantinopolitanis communionis excusationem in eo habuisset, quod anno 1367, quando metropolita erat, Joannes Palaeologus imperator cum patriarchis Orientis Philotheo CP., Nicephoro Alexandrino, Lazaro Hierosolymitano, literis ad Urbanum PP. V. datis, catholicam fidem ex formula a Michaele Palaeologo in concilio Lugdunensi an. 1274 oblata[3] professus est, factamque professionem anno 1369 Romae solemniter confirmavit[4].

In hac fidei professione enim hic de imperatoris cum Romana Sede unione articulus vere catholicus occurrit[5]:

Καὶ δὴ καὶ αὐτὴ ἡ ἱεροαγία Ῥωμαϊκὴ Ἐκκλησία ἄκρον καὶ πλῆρες πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν κατέχει. Ὃ δὴ πρωτεῖον ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἐν τῷ μακαριωτάτῳ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι, ἢ κορυφαίῳ, οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος μετὰ πλήρους τῆς ἐξουσίας, εἰληφέναι ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἐπι-

Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinet; quem scilicet ab ipso Domino in beato Petro, apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse, veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae

[1]) Ibid. tom. 37, pp. 1133—1135.

[2]) Hoc immo Culcinius p. 118. ad tempus *Cypriani metropolitae* refert, qui s. Alexio successit sedemque tenuit ab anno 1378 ad an. 1407.

[3]) Apud Hardouin. Conc. tom. 7, pp. 694—699.

[4]) Cfr. Raynald. ad annos 1367 et 1369.

[5]) Joannis Palaeologi, imperatoris, professio fidei refertur apud Leonem Allatium *de utriusque ecclesiae consensu* pp. 843 seqq.; et ex eo apud Migne, Patr. gr. tom. 154, pp. 1297—1308. Eam denuo ediderunt Theiner et Miklosich in *Monument. spectant. ad unionem ecclesiarum graecae et romanae.* Vindobonae, Braumueller, 1872.

γινώσκει. Καὶ ὥσπερ παρὰ τοὺς λοιποὺς κρατεῖται τὴν τῆς πίστεως ἀλήθειαν ἐκδικεῖν· οὕτως καὶ εἴ τινες λόγοι περὶ τῆς πίστεως ἀνεφύησαν, κατὰ τὴν αὐτοῦ κρίσιν ὀφείλουσιν τὸν ὁρισμὸν τῆς ἀποφάσεως ἐπιδέχεσθαι· πρὸς ἣν Ἐκκλησίαν ἕκαστος βαρυνόμενος ἐν πράγμασιν εἰς ἐκκλησιαστικὴν ἀνήκουσι κρίσιν ἔφεσιν δύναται ποιεῖν. Καὶ μέντοι καὶ ἐν πάσαις ταῖς ὑποθέσεσι, ταῖς εἰς βάσανον ἐκκλησιαστικὴν ἀφορῶσιν εἰς τὴν αὐτῆς κρίσιν ἀνατρέχειν δύναται. Καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι ὑπόκεινται, καὶ οἱ αὐτῶν ἐπίσκοποι ὑποταγὴν καὶ αἰδῶ αὐτῇ ὀφείλουσι. Παρ᾽ ᾗ καὶ ἀφ᾽ ἧς οὕτω πλήρωμα ἐξουσίας ἐστίν, ὥστε τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας εἰς ἐρημίας μέρος παραλαμβάνει. Ὧν πολλὰς πατριαρχεῖα εἶναι ἐξόχως δωρεαστικοῖς δικαιώμασιν ἡ αὐτὴ Ἐκκλησία Ῥωμαϊκὴ ἐτίμησε, τῆς ἑαυτῆς μέντοι ὑπερεχούσης ἀξίας καὶ τοῦ ὑπεραναβεβηκότος, ἔν τε ταῖς καθολικαῖς συνόδοις καὶ ἐν ὁποίοις δήποτε ἄλλοις ἀεὶ φυλασσομένων. . . . Τὸ πρωτεῖον αὐτῆς τῆς ἱεραρχίας Ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας, ὡς ἐν τῇ προδηλωθείσῃ ὑφῇ περιέχεται, εἰς τὴν ὑποταγὴν τῆς αὐτῆς Ἐκκλησίας ἐρχόμενος ἑκουσίως ὁμολογῶ, καὶ ἐπιγινώσκω, ἀποδέχομαι, καὶ ἑκουσίως ὑποδέχομαι, καὶ τὰ ἀνατεταγμένα πάντα (ὅσα περὶ τὴν τῆς πίστεως ἀλήθειαν, καὶ ὅσα) περὶ τὸ πρωτεῖον τῆς εἰρημένης Ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας. Τούτων τὴν ἐπίγνωσιν, τὴν ἀποδοχήν, τὴν ὑποδοχήν, τὴν συντήρησιν, τὴν διαμονὴν ἐμαυτὸν διατηρήσειν, καὶ φυλάξειν δοθέντος πραγματικοῦ ὅρκου, ὑπόσχομαι καὶ ἐπιβεβαιῶ.

caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri: ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest judicium; et eidem omnes ecclesiae sunt subjectae, ipsarumque episcopi obedientiam et reverentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias caeteras ad solicitudinis partem admittit; quarum multas, patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate, tam in generalibus conciliis, quam in quibuscunque aliis, semper salva. . . . Primatum ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto ac sponte suscipio: et me omnia praemissa (tam circa fidei veritatem quam) circa dictae Ecclesiae primatum; et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam, servaturum, praestito corporali juramento, promitto et confirmo.

In bulla aurea vero, qua se Romae publico instrumento emisisse fidei professionem testatur mense Januario anni 1370, haec ait:

Dicimus ad omnem ambiguitatem tollendam, nos credere et intelligere Romanam Ecclesiam, cui nunc praeest praefatus Dominus Papa (Urbanus V.) et sui praedecessores Romani Pontifices praefuerunt,

prout credunt et intelligunt catholici Christiani in Occidentis partibus constituti [1]).

Ejusmodi quum fuerit Constantinopolitanorum fidei professio, sancti Alexii cum iisdem communio remota ab omni suspicione schismatis est.

Laudes s. Alexii attingunt Culcin. in *Specim. ecclesiae ruthenicae,* Martinov, *An. eccles. gr. slav.* aliique plures ab eo in *Memoriis slavicis* ad hunc diem citati.

ιγ'. 13. *Μαρτινιανοῦ τοῦ ὁσίου.*

S. Martinianus, eremita Palaestinius, floruit sub finem saeculi quarti. Ejus res gestas, praecipue nobiles de carnis tentationibus victorias ex officio ecclesiastico Graecorum et vita a coaevo scripta exornant Bolland. tom. cit. pp. 666—671.

S. Zoe, secundo loco memorata, initio quidem meretrix, quae eundem s. Martinianum conata fuerat ad peccatum pellicere, postea vero emendata, vitam in monasterio Bethlehemitico sancte peregit, miraculis clara. Bolland. l. c. p. 642.

S. Photina, tertio loco posita, narratur in vita ejusdem s. Martiniani c. 5. ab eo e naufragio erepta et, quam ipse incoluerat, in rupe plures annos vixisse, ac demum sancte mortua et Caesareae Palaestinae honorifice sepulta. Bolland. l. c.

ιδ'. 14. *Αὐξεντίου καὶ Μάρωνος, τῶν ὁσίων.*

S. Auxentius, presbyter et archimandrita, natione Persa, sed in finibus Romanis natus, a Graecis Latinisque hoc die colitur. In aula Theodosii junioris magna virtutis, eruditionis et militiae fama aliquamdiu versatus, ea circa an. 448 relicta solitariam vitam in Bithynia amplexus, non longe ab urbe Chalcedone montem Oxiam incoluit, qui postea nomen ab eo accepit. Inde evocatus jussu Marciani imperatoris atque episcoporum in synodo oecumenica IV. Chalcedone congregatorum, in vicinis monasteriis synodum propugnavit. Unde Baron. ad an. 451 n. 159 *plane Dei consilio factum fuisse* ait, *quod prope Chalcedonem in prominenti loco, tanquam supra cathedram collocatus, sublimis professor fidei Chalcedonensis Auxentius degeret, ut clarissima atque altissima voce virtutis, nempe*

[1]) Apud Theiner et Miklosich, l. c. p. 43.

signorum omnium, plus satis manifestum redderetur, quaenam esset fides vera, nempe ea, quam Deus in Auxentio jugi operatione miraculorum firmissime approbaret. Absoluta synodo recessit in montem vicinum Siopa, in quo sanctissime obiit circa an. 470. Vitam ex Actis illustrant Bolland. tom. cit. pp. 769—782.

S. Maro, anachoreta juxta urbem Cyrum, provinciae Euphratensis, in Syria, claruit sub finem saeculi quarti et initium quinti. Post Bolland. Febr. tom. 2, pp. 867—868 prae caeteris fuse de s. Marone disputat Benedict. PP. XIV., propria epistola d. d. 28. Sept. 1753, relata in ejus Bullar. tom. 4, pp. 60—62, edit. Venet. an. 1778. Kalendariis Maronitarum ad d. 9. Febr. inscriptus legitur, et syriace quidem: *Mâr Mârôn îchîdâjâ,* arabice vero: *Mârûn er-râhib.*

Fastis slavicis hodie inscriptus est *s. Cyrillus* cum hoc elogio: *prepodobnago otca našego Kyrilla, episkopa Katanskago, filosofa i učitela Slovjenom i Bolgarom*, h. e., *venerabilis Patris nostri Cyrilli, episcopi Catanensis, philosophi, doctoris Slavorum et Bulgarorum.* Obiit Romae anno Christi 869. die 14. Februarii, aetatis 42, quum extremo morbo jam laboranti nomen *Cyrilli* pro *Constantino* inditum fuisset.

Ejus ac fratris ipsius, *s. Methodii,* archiepiscopi Moraviae, vitam post aliorum curas breviter quidem, sed accuratissime composuit Martinov. *An. eccles. gr. slav.* ad 5. Julii, quo die amborum memoria etiam in ecclesia latina celebratur. In Martyrologio Romano relati sunt d. 9. Martii ibique a Bollandianis illustrati, ejusdem mensis tom. 2, pp. 13—26.

Ex scriptoribus, qui ex occasione solemnitatis millenariae ss. Cyrilli et Methodii de his sanctis nuper commentarios ediderunt, plurimi quidem allegari possent; eos tamen ut ex propriis istarum nationum librorum indicibus, cui volupe est, cognoscat malumus, praeter doctissimum Martinov paucos hos ex potioribus nominasse contenti:

Dobrovski, *Cyrill u. Method, der Slaven Apostel,* in Actis literariis *„Abhandlungen der Prager gelehrten Gesellschaft“* an. 1823. — *Mährische Legende von Cyrill u. Method,* ibid. an. 1827.

Wattenbach, *Beiträge zur Geschichte der christl. Kirche in Mähren und Böhmen.* Wien, Gerold, 1849.

Ginzel, *Geschichte der Slavenapostel Cyrill u. Method u. der slavischen Liturgie.* Leitmeriz 1857; Wien, 1861.

Kopitar's *kleinere Schriften* edidit Miklosich, Viennae, 1857. — *Slavische Bibliothek,* pars 1. curante eodem Miklosich, edita Viennae 1851, ubi plura de ss. Cyrillo et Methodio.

Miklosich, *Vita s. Clementis, episcopi Bulgarorum,* graece edita Viennae 1847; quae *Legendam bulgaricam ss. Cyrilli et Methodii* exhibet. — *Slavische Bibliothek,* pars 2, Viennae 1858. — *De Legenda panonica eorundem sanctorum* in Actis literariis: *Denkschriften der kaiserl. Akademie der Wissenschaften. Philosophisch-historische Klasse,* tom. 19. Viennae, 1870.

Rački, *Viek i djelovanje sv. Cyrilla i Methoda, slovjenskich apoštolov,* pars 1. Zagrabiae, 1857; pars 2. ibid. 1859. — *Knjiž van rád sv. Cyrilla i Methoda* in collectione croatica *Tisučnica,* Zagrabiae 1863. — *Ocjena staryich izvora za hrvatsku i srbsku povi st srednjega vieka,* Zagrabiae, 1865.

Stulc. *život sv. Cyrilla a Methodia, apoštoluv Slovanskih,* Brunae, 1857. — *Dějiny sv. apoštoluv Slovanskih.* Pragae 1863.

Bodjanski, *Legendam panonicam s. Cyrilli* edidit in collectaneis *čteni v imper. obščestvě istorii i drevnostej rossijskych pri moskovskom universitetě,* 1863 et 1864. — *Legendam panonicam s. Methodii* edidit ibid. an. 1865.

Lavrovski, *Kyrill i Mefodij, kak provoslavnyje propovědniky u zapadnych Slavjan.* Kharkov, 1863.

Voronov, *Kyrill i Mefodij,* Kiev, 1877, ubi speciatim de fontibus historiae sanctorum fratrum agitur, quemadmodum refert Martinov, *courrier russe,* in collectaneis *Revue des questions historiques,* mense Julio 1878, pp. 293—294.

ιε'. 15. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ὀνησίμου τοῦ ἀποστόλου.*

Natalis beati Onesimi, de quo s. Paulus Apostolus ad Philemonem scribit, quem etiam post s. Timotheum Ephesiorum episcopum ordinavit, praedicationisque verbum illi commisit. Hic vinctus Romam perductus ac pro fide Christi lapidatus an. 109 *primo ibidem sepultus fuit; inde ad locum, ubi episcopus fuerat ordinatus, corpus ejus delatum est* (Martyr. Rom. d. 12. Febr.). Res gestas habent Bollandiani tom. cit. pp. 856—860.

Propter Acta duorum ss. Onesimorum inepte permixta hunc sancti Pauli discipulum Menol. Basil. pp. 313--314 confundit cum altero Onesimo Puteolis pro fide interempto sub Decio.

ιϛ'. 16. *Παμφίλου μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*

Pamphili martyris et sociorum ejus; slav. *sv. mučenika Pamphila i iže s nim;* rumen. *Panfilu sî celi impreuna cu densulu.*

Hic ille clarissimus martyr *Pamphilus* est, unde cognomen sibi sumpsit Eusebius Caesariensis; qui et vitam ejus tribus libris scripserat, quos tamen amisimus. Cum undecim sociis martyribus palmam suscepit an. 307, in Martyrol. Rom. ad d. 1. Junii hoc encomio exornatus: *Caesareae in Palaestina beati Pamphili presbyteri et martyris, viri admirandae sanctitatis et doctrinae atque in pauperes munifici, qui ob Christi fidem in persecutione Maximini primo sub Urbano praeside cruciatus et in carcerem trusus, deinde sub Firmiliano iterum revocatus ad poenas, una cum aliis martyrium consummavit. Passi sunt etiam tunc Valens diaconus et Paulus aliique novem, quorum memoria aliis diebus celebratur,* nimirum septem Pamphili sociorum *Eliae, Jeremiae, Esaiae, Samuelis, Danielis, Porphyrii et Seleuci* ipso hoc die 16. Febr., reliquorum duorum vero *Theoduli* et *Juliani* die sequenti. Acta ediderunt Bollandiani tum ex Euseb. *de martyribus Palaestin.* c. 11 [1]), tum ex amissis Eusebii libris antiquitus delibata [2]).

ιζ'. 17. *Θεοδώρου τοῦ Τήρωνος al. Τύρωνος.*

S. Theodorus triplici cognomine vocatur *Tironis* seu *Tyronis,* — sunt enim ex Latinis, quibus placet Tyro scribere —, *Amaseni* et *Euchaïtae; Tiro* quidem, *non quod virtute tiro miles modo conscriptus esset (οὐκέτι νεόλεκτος ἦν τὴν ἀνδρείαν),* ut s. Gregorius Nyssenus in praeclara ejus laudatione ait [3]), sed quod *a brevi tempore in ea, quam Tyronum dicunt, cohorte militasset (νεωστὶ στρατευθεὶς εἰς τὸ τάγμα, τὸ λεγόμενον Τυρωνάτων),* quemadmodum nominis rationem declarat synaxarium Menologii Basil. pp. 317—318 [4]); *Amasenus* autem ob locum, ubi passus est; *Euchaïta* tandem

[1]) Febr. tom. 2, pp. 866—868; apud Migne, Patrol. gr. tom. 20, pp. 1497—1512.

[2]) Junii tom 1, pp. 60—69.

[3]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 46, p. 741.

[4]) Consonat Nicephor. Callist. *Hist. eccles.* l. 10, c. 12: *Θεόδωρος ἐκ τοῦ Τηρονικοῦ τάγματος Τήρων ὠνόμαστο, Theodorus ex Tironum ordine Tironis nomen accepit* (apud Migne, Patr. gr. tom. 146, pp. 473—474).

a civitate, in quam ejus reliquiae translatae sunt. Latini anniversariam ejus celebritatem agunt 9. Novemb., quo die compendium praeclari ejus certaminis exhibent fasti nostri. Palmam martyrii tamen adeptus videtur ipso hoc die 17. Febr. an. 306, sub Galerio Maximiano et Maximino. Eum a *s. Theodoro, duce militum,* esse distinguendum, supra monuimus ad d. 8. h. m. Constantinopoli percelebris fuit ejusdem s. martyris cultus ob miraculum τῶν κολλύβων, cujus anniversaria memoria, proprio instituto festo, primo sabbato Quadragesimae celebratur. Cupiente nimirum Juliano apostata Constantinopolitanos ad esum idolothytorum cogere eamque ob causam omnes res venales in foro sacrificiorum sanguine clam inficiendas polluendasque mandante an. 362, s. Theodorus Tiro noctu per visum apparens regiae urbis episcopo jubet pauperibus annonam aliam, voce Euchaïca κόλλυβα dictam, subministrari. Hanc apparitionem fusius deductam vide in homilia Nectarii hoc festo pronuntiata Constantinopoli apud Migne, Patr. gr. tom. 39, pp. 1822—1840. De ipsa commemoratione liturgica τῶν κολλύβων fusius agemus tom. 2, pp. 94—99.

Sancto Theodoro in pluribus Kalendariis adjungitur *s. Mariamna,* soror s. Philippi apostoli, quae in Actis fratris sui memoratur apud Bolland. Maji tom. 1, p. 14.

ιη'. 18. *Λέοντος Πάπα Ῥώμης.*

Graeci hoc eum celebrant synaxario in Menolog. Basil. pp. 319—322: *Admirabilis iste Pater noster Leo ob multas virtutes suas et continentiam atque puritatem episcopus magnae Romae ordinatus, multa quidem alia virtutibus suis digna gessit, sed praecipue in iis, quae ad rectam fidem pertinent. Coacta enim Chalcedonensi synodo 630 Patrum adversus eorum haeresim, qui unam in Christo naturam dicebant, quum ii veritatem praedicarent, nec tamen haeretici illis acquiescere vellent, placuit omnibus, ut quidquid Leo sanctissimus Romae Papa dixisset, id ratum firmumque haberetur (πᾶσιν ἤρεσεν, ἵνα ὃ ἐὰν εἴπῃ Λέων ὁ ἁγιώτατος πάπας Ῥώμης, θελήσωσι). Rogatus itaque a Patribus, Deumque precatus conscripsit epistolam, in qua veritatem exponens, duas in Christo naturas*

praedicabat[1]), *quam orthodoxiae columnam appellarunt (τὴν ὀρθοδοξίας στήλην ὠνόμασαν). Post haec Magnus Leo transacta sanctissime vita, in pace quievit* an. 461.

Luculento huic testimonio de *infallibili magisterio Romani Pontificis* addere juverit, quae Graeci de eodem hoc dogmate catholico in hymnis hodiernae festivitatis palam profitentur. Sic igitur s. Leonem celebrant: *Lux matutina ab Occidente quum sanctorum dogmatum tomum veluti radium misisti Ecclesiae (ὄρθρος ἐκ δυσμῶν ἀνέτειλας, τρισμάκαρ, τόμον εὐσεβῶν δογμάτων ὡς ἀκτῖνα τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐξαποστέλλων: ᾠδ. δ'); Petri successor ejus primatum quum obtinuisset et fervidum zelum haberet, Dei impulsu tomum conscribit (ὁ Πέτρου διάδοχος καὶ τὴν τούτου προεδρείαν πλουτήσας καὶ θερμὸν ζῆλον κεκτημένος, θεοκινήτως τὸν τόμον ἐκτίθεται: ᾠδ. ϛ'); a Deo impulsus religionis doctrinas quasi a Deo impressas in tabulis descripsisti, veluti Moyses alter apparens (populo Dei et) coetui venerabilium magistrorum (ὑπὸ θεοῦ κινούμενος εὐσεβείας διδάγματα ὡς ἐν θεοχαράκτοις πλαξὶ ἐτύπωσας, Μωσῆς οἷα δεύτερος ἀναφανεὶς τῇ ὁμηγύρει τῶν σεπτῶν διδασκάλων: ᾠδ. η').*

Memoratum definitionis tomum ecclesia latina quoque hac sanctione confirmavit in synodo Romana an. 496: *Epistolae s. Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatae textum si quispiam usque ad unum jota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.* Can. *Sancta Romana.* 3, § 14. Dist. 15.

Fasti Latinorum de s. Leone M. agunt 11. Aprilis, uti ex Martyrologio, Breviario, Actis SS. April. tom. 2, pp. 14—22 apparet. Opera exhibet Migne, Patr. lat. tt. 54—56.

ιθ'. 19. *Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Ἀρχίππου, Φιλήμονος καὶ Ἀπφίας.*

SS. Archippus, Philemon, Apphia, apostoli, quibus inscripsit s. Paulus epistolam ad Philemonem, hoc die coluntur a Graecis in Menaeis.

---

[1]) Huc spectant Patrum Chalcedonensium acclamationes: *Petrus per Leonem ita locutus est; . . . pie et vere Leo docuit (Πέτρος διὰ Λέοντος ταῦτα ἐξεφώνησεν, . . . εὐσεβῶς καὶ ἀληθινῶς Λέων ἐδίδαξε.* apud Hardouin. tom. 2, p. 305); *Ipsi naves suas in cursu repetiere. Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem, qui sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore* (ex relat. ad Pulcheriam Augustam, ibid. p. 381); *Nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, et Romanae Ecclesiae*

S. Archippus, a s. Paulo speciali adhortatione Coloss. 4, 17. et in epist. ad Philemon. 2, honorifica *commilitonis (συστρατιώτου)* appellatione dignatus, colitur a Latinis 22. Martii; reliqui duo, ss. *Philemon* et *Apphia,* memorantur in Martyr. Rom. d. 22. Nov. cum hoc elogio: *Colossis in Phrygia sanctorum Philemonis et Apphiae, sancti Pauli discipulorum, qui sub Nerone imperatore quum gentiles in die festo Dianae invasissent ecclesiam, caeteris fugientibus tenti, jussu Artoclis praesidis verberibus caesi et in foveam usque ad renes inclusi lapidibus opprimuntur.* Agunt de iisdem Graeci in Menolog. Basil. die 23. Novemb., pp. 173—176, eorundemque certamen fusius deducunt [1].

κ'. 20. *Λέοντος ἐπισκόπου Κατάνης.*

S. Leo, patria Ravennas, *episcopus Catanae,* in Sicilia, *φερωνύμως ὡς λέων πεποιθώς, pro nominis sui ratione* [2] *magnanimum quiddam atque animosum spirans,* ut in Menaeis Gr. celebratur, quum *virtutibus ac miraculis claruisset* (Martyr. Rom.) sanctissime decessit circa an. 780, imperantibus Leone [3] et Constantino, qui eum etiam ad se evocaverant Constantinopolim, piis ejus ad Deum precibus se commendaturi. Res gestas illustrant Bollandiani Febr. tom. 2, pp. 226—229.

Papam ad victoriam praeparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodum Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat (ex allocutione ad Marcian. imperatorem, ibid. p. 643).

[1]) In titulo synaxarii legitur: *Ἀρχίππου, τοῦ μαθητοῦ Παύλου τοῦ Ἀποστόλου, Archippi, discipuli Pauli Apostoli,* ex quo plures synaxaristae recentiores per errorem atque inscitiam fecerunt: *Ἀρχιπάππου Ματθαίου καὶ Παύλου τοῦ Ἀποστόλου, Archipapae Matthaei et Pauli Apostoli.* Cfr. Scholz apud Martinov h. d.

[2]) *Φερώνυμος,* ferens nomen suum, ferens veritatem nominis sui, h. e., qui vere est talis, qualem nomen testatur. *Πέποιθα,* fretus sum, confido.

[3]) Leo Constantini Copronymi filius, imperium capessivit mense septemb. 776, ac sequenti anno, ipso die Paschae, filium suum Constantinum coronari imperatorem curavit.

κα'. 21. Τιμοθέου τοῦ ἐν Συμβόλοις καὶ Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ Γεωργίου ἐπισκόπου Ἀμαστρίδος.

S. Timotheum, anachoretam, in *Symbolis* (slav. *iže v Symvolech*; rumen. *celu dein Simvoli)* habitantem, Graeci multis celebrant in Menaeis atque in Anthologio, cui quam facile est probare cognomen esse inditum a mansione *in Symbolis,* tam difficile est conjicere, ubi Symbola haec sita sint. utrum in Macedonia, in Thraciae confinio, in faucibus montium sc. inter Philippos et Neapolim, an ad Olympi partes; utrobique enim illius nominis loca reperiuntur; an vero in monte aliquo circa *Symbolorum portum,* quem Strabo, *Geograph.* l. 7. in Taurica Chersoneso locat. Similiter exploratum non est, qua aetate s. Timotheus floruerit.

S. Eustathius, Beroeae primum, deinde Antiochiae episcopus, *Patrum in synodo Nicaena caput et princeps (κορυφαῖος)*, ut eum vocat s. Niceph or. in *Chronico*[1]), a ss. Athanasio[2]), Chrysostomo[3]), Hieronymo[4]) aliisque Patribus[5]) summis laudibus celebratus, Martyrologio Romano inscriptus legitur ad d. 15. Julii cum hoc elogio: *Antiochiae in Syria natalis beati Eustathii episcopi et confessoris, doctrina et sanctitate celebris, qui sub Constantio imperatore Ariano ob catholicae fidei defensionem Trajanopolim Thraciae pulsus exilio* an. 331, *ibidem in Domino requievit* circa an. 336. De Actis s. Eustathii fuse agunt Bollandiani tum in tractatu praeliminari ad Julii tom. 4. *de patriarchis Antiochenis*, tum in corpore ejusdem tom. ad diem 16. pp. 130—144.

S. Georgius, a s. Tarasio patriarcha CP. e monasterio ad solium episcopale Amastrenum, in Paphlagonia, evectus, claruit sub finem octavi saeculi nonique initium. Vitam ejus post Bolland. Febr. tom. 3, pp. 271—283. edidit Vasilievskij in *Quaestion. Russo-Byzantin.*, II, an. 1893[6]).

---

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 100, p. 1053.
[2]) Epist. ad Monachos n. 4. Ibid. tom. 25, pp. 697—698.
[3]) Orat. panegyr. Ibid. tom. 50, pp. 595—606.
[4]) De viris illustr. c. 85. Migne, Patr. l. tom. 23, p. 691.
[5]) Cfr. Baron. in *notis ad Martyrol. Rom.* d. 16. Julii.
[6]) Videatur etiam Kunik, *Der Raubzug und die Bekehrung eines Russenfürsten*, in „Bulletin historico-philologique de l'Académie de Saint Petersbourg", III, 1847.

κβ'. 22. *Ἡ εὕρεσις τῶν τιμίων λειψάνων τῶν ἁγίων μαρτύρων τῶν ἐν τοῖς Εὐγενίου.*

Inventio pretiosarum reliquiarum sanctorum martyrum Andronici et Juniae *in Eugeniis;* slav. *Obrětenije čestnych moščej svjatych mučenik iže vo Eugenii;* rumen. *Afflarea onorateloru moste ale santîloru mart. celoru dein Eugeni'a,* h. e., in tractu Eugeniano [1]), in parte orientali Cpoleos sito, sub Thoma patriarcha (606—610) et Phoca imperatore, celebri memoria hodie recolitur in Menaeis; natalis dies vero 17. Maji.

κγ'. 23. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Πολυκάρπου ἐπισκόπου Σμύρνης.*

S. Polycarpus, beati Joannis Apostoli discipulus et ab eo *Smyrnae,* in Jonia, *episcopus* ordinatus, viri *sanctissimi et martyris fortissimi* elogio in jure sacro decoratus [2]), colitur a Latinis 26. Januarii, quo die Actorum epitomen habes in Martyrol. et Breviar. Rom. Nobile martyrium suum consummavit circa an. 167 idque *κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον, Evangelio consonum,* quemadmodum Smyrnensis ecclesia scribit in epistola ad Philomelienses, quod scilicet fugerit eos, qui ipsum persequebantur, exemplo Christi exspectans, donec traderetur, et quod iniquitatem praesidis patientia sua superaverit. Ex s. Hieronymo *de viris illustribus* c. 17 [3]), Eusebio *Hist. eccl.* l. 4, cc. 14—15 [4]), s. Irenaeo *contra haeres.* l. 3, c. 3 [5])

[1]) *Τὰ λεγόμενα Εὐγενίου οἶκος ἦν Εὐγενίου πατρικίου ἐν τοῖς χρόνοις Θεοδωσίου τοῦ Μεγάλου, ὃς καὶ ἀνήγειρεν αὐτὸν εἰς ναὸν τῇ Θεοτόκῳ, locus nuncupatus Eugenii domus erat Eugenii, patricii, tempore Theodosii M., qui et eam mutavit in templum Deiparae.* Ita Georg. Codin. *de aedificiis Cpolitanis,* apud Migne, Patr. gr. tom. 157, pp. 551—552. Plerosque omnes regiae Urbis tractus ab insignioribus senatorum seu procerum domibus appellationem sumpsisse, vide apud Dufresne, *Constantinopolis christiana,* l. 2, c. 16.

[2]) C. *Omnis* 24. C. XXIV. q. 1.

[3]) Apud Migne, Patr. l. tom. 23, p. 635.

[4]) Apud eund. Patr. gr. tom. 20, pp. 337—364, ubi etiam integra sistitur epistola Smyrnaeorum de glorioso s. Polycarpi certamine.

[5]) Ibid. tom. 7, pp. 851—856.

relato apud eundem Euseb. *Hist. eccl.* l. 5, c. 24[1]) atque aliis fontibus obviis res gestas, quantum poterant, diligenter conscripserunt Bollandiani Januar. tom. 3, pp. 306—322. Verum de Polycarpo ejusque scriptis hodie consulendi omnino sunt recentiores eruditi Duchesne, Funk, Zahn, Lightfoot aliique magno numero in Bibliotheca hagiographica graeca a Bollandianis recensiti, pp. 112—113.

Hunc diem VII. Kal. Mart., quam illustrem reddiderat s. Polycarpi martyrium, tam memorandum postea fecit Diocletianus anno 303, edicto hodie Nicomediae proposito, unde saeva illa Christianorum per orbem romanum clades initium habuit. Verum malis in illis, ut recte adnotat Morcelli Kal. E. CP., magnum quoddam Ecclesiae fuit bonum, quae iterata Polycarpi et Ignatii et caeterorum insignium martyrum exempla vidit; praeclarisque rursum victoriis aucta, nomen Christianum, quo crudelius saevirent hostes, eo citius propagari mirata est. Gloriam martyrii inter primos suscepisse creditur s. Georgius, inde quoque non immerito τοῦ Τροπαιοφόρου titulo insignitus.

κδ'. 24. Ἡ α'. καὶ β'. εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Προδρόμου.

Prima et secunda inventio pretiosi capitis s. Joannis Praecursoris; slav. *Pervoje i vtoroje obrětenije cestnyja glavy svjatago Ioanna Predteči;* rumen. *Antâni'a şî a dou'a aflare a onoratului capo alu Mergatoriului in â-ante.*

Primae inventionis venerandi capitis Praecursoris Domini Mart. Rom. h. d. meminit; alterius autem d. 29. Augusti. Graeci vero ipso hoc die distincte atque expresse *primam et secundam* celebrant; *primam* scilicet, quum Hierosolymis inventum est, et *alteram,* quum Emesae in Syria rursum multos post annos repertum traditur. Praeter geminam hanc inventionem et *tertiam* agunt d. 25. Maji, quando Comanis, quo — Emesa in Arabum potestatem redacta sub annum 760 — delatum fuisse scribunt, iterum repertum ac Constantinopolim translatum est a. 823. Cfr. Baron. *Martyr. Rom.* 24. Febr. et 29. Aug.; Tillemont. *Mém. Eccl.* tom. 1, p. 494; Cang.

[1]) Ibid. tom. 20, pp. 493—507.

Traité du chef de St. J. Bapt.; Paciaud. *de cultu s. Joan. Bapt.* diss. 3, c. 7; Morcelli, *Kal. Cp.* d. 24. Febr. Quae *de inventione capitis b. Joannis Baptistae* in veteribus scriptoribus exstant *novellae revelationes*, eas, *quum ad catholicorum manus pervenerint*, sacri canones *singulari cautela* expresse sic volunt lectoris arbitrio relictas, ut *B. Pauli Ap. sententia* (I. Thessal. 5, 21) *praecedente* quae vera in iis falsave sint, ante examinet quam probet. *In sancta Romana Ecclesia enim non leguntur, ne vel levis subsannandi oriatur occasio* [1]).

κε΄. 25. *Ταρασίου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ.*

S. Tarasius, eruditione et pietate insignis (Mart. Rom. h. d.), Patriarcha CP. renuntiatus d. 25. Dec. 784, obiit d. 18. Febr. 806 (Martinov *An. gr. sl.* h. d.) multis pro fide catholica laboribus exantlatis (Baron. *M. R.* h. d.). Frequens ejus est mentio in actis synodi oecum. VII, Nicenae II (Hardouin, tom. 4.), ex qua et in corpus juris sacri transiit C. *Actione* 18. C. XXII, q. 4. Vitam latine exhibent Acta SS. h. d. Febr. tom. 3, pp. 577—595, graece vulgavit Heikel, Helsingsforsiae, an. 1891. Scripta habentur apud Migne, Patrol. gr. tom. 98, pp. 1423—1481.

κς΄. 26. *Πορφυρίου ἐπισκόπου Γάζης.*

S. Porphyrius tempore Arcadii imperatoris († 408) *Marnam idolum ejusque templum evertit, ac multa passus quievit in Domino* (Mart. Rom h. d.), Honorio et Theodosio Juniore imperantibus, an. 421. Vitam a Marco diacono, ejus discipulo, conscriptam Acta SS. latine sistunt h. d. Febr. tom. 3, pp. 651—666, graece edidit Haupt, Berlini, 1874. Eam post Mazoch. *Kal. Neap.*, t. 1, pp. 70—79 plures alii illustrarunt in *Biblioth. hag. gr.* a Bolland. adducti p. 114. *Marnas*, de quo meminit Mart. Rom., teste Marco, Vitae auctore, famosissimum erat Gazae in Palaestina idolum ejusque templum omnium illius regionis celeberrimum. Ipsius per s. Porphyrium factam eversionem respiciens s. Hieronymus scribit *ep. 7. ad Laetam: Marnas luget inclusus, et*

[1]) *C. Sancta Romana* 3. Dist. 15. (S. Gelas. in Conc. Rom. a. 496).

eversionem templi jugiter pertimescit, et in Isai c. 7: *Serapium Alexandriae et Marnae templum Gazae in ecclesias Domini surrexerunt*

κζ'. 27. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Προκοπίου, τοῦ Δεκαπολίτου.*

Venerabilis patris nostri et confessoris Procopii, Decapolitae; slav. *Prepodobnago otca našego i ispovědnika Prokopija Dekapolita;* rumen. *Cuv. nostru par. sî marturisitoriulu Procopiu Decapolitulu.*

CPoli ss. confessorum Basilii et Procopii (Decapolitae, h. e., ex Decapoli oriundi), *qui tempore Leonis* (Isaurici) *imperatoris* († 741) *pro cultu ss. imaginum strenue decertarunt* (Martyr. Rom. h. d.). Obierunt circa an. 750, ut patet ex Actis SS. Febr. tom. 3, p. 690. Est autem *Decapolis* regio decem civitatum, juxta mare Galilaeae et utramque oram Jordanis minoris, cujus in evangelio mentio fit Math. 4, Marci 5 et 7.

In antiquioribus fastis de utroque agitur uno eodemque die 27. Febr., saltem in anno communi; in recentioribus Kalendariis autem in duos dies ita sunt distributi, ut s. Procopio assignetur ipse hic dies 27, et s. Basilio dies 28; ad quem eundem diem in horologiis ecclesiasticis saepe etiam additur *s. Nestor,* episcopus et martyr an. 251, de quo Martyrol. Rom. pridie hujus diei et Bolland. Februar. tom. 3, pp. 632—635.

κη'. 28. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Βασιλείου, συνασκητοῦ τοῦ ἁγίου Προκοπίου.*

Venerabilis patris nostri et confessoris Basilii, synascetae sancti Procopii; slav. *Prepodobnago otca našego i ispovědnika Vasilia spostnika sv. Prokopia;* rumen. *Cuv. par. nostru, sî marturisitoriulu Vasiliu celu ce a sichastritu impreuna cu s. Procopiu.*

Diem hunc *sancto Basilio* sacrum esse iam diximus ad diem antecedentem.

κϑ'. 29. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κασσιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου.*

Venerabilis patris nostri Cassiani, Romani; slav. *Prepodobnago otca našego Kassiana Rimljanina;* rumen. *Cuv. par. nostru Casianu Romanulu.*

Cassianus, auctor collationum, a Graecis quarto quoque anno (bissexto) colitur, a Massiliensibus, in Gallia, quotannis ritu duplici I. cl. die 23. Julii. Quod autem in fastis graecis *Romanus* appelletur, quamvis esset genere *Scytha,* id inde manasse cum aliis putat Asseman. *Kalend. E. Un.* t. 6, ad h. d., quod, quum prius monachum in agro Bethlehemitico et in Nitria egisset, CPolim deinde profectus atque a s. Joanne Chrysostomo diaconus ordinatus, pulso in exilium eodem Chrysostomo (a. 404) legatus a clero CP. ad s. Innocentium PP. I., ut Joannis causam ageret, una cum Germano presbytero missus, *Romae* presbyteri dignitate ab eodem Pontifice auctus est; ibique haesit, donec expugnata anno 410 a Gothis Urbe, Massiliam se contulit (c. a. 415), ubi duo monasteria condidit, virorum unum, mulierum alterum. Tempus, quo vivere desierit, non liquet, sed non multo a vero aberraverit, qui circa an. 440 obitum ejus contigisse existimet [1]).

De *Cassiano* Bollandiani agunt breviter quidem Febr. tom. 3, pp. 724—725, fuse vero Jul. tom. 5, pp. 458—482.

Ex recentioribus prae caeteris legi merentur Pohle, art. *Cassian,* in Kirchenlexicon, t. 2, pp. 2021—2025 (edit. 2), et Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 286—288, ubi etiam novissima acta et monumenta literaria ad s. Cassianum ejusque opera spectantia accurate recensentur.

---

[1]) Cf. Schönemann, *Biblioth.* tom. 2.

MARTIUS.

Μὴν Μάρτιος; mensis Martius; slav. *měsjac Mart;* rumen. *lun'a lui Martiu;* arab. *Adâr.*

Propter honorem Romuli, — verba sunt s. Augustini[1]) — *quia eum Martis filium crediderunt,* gentes *primum mensem Marti dicantes, Martium vocaverunt.* Martius mensis primus olim fuit ipsius anni, ut est apud Ovid. *Fast.* 3, 75, et patet ex multis aliorum mensium nominibus, qui a numero appellantur, ut *September,* quia septimus a Martio, *December,* quia decimus. *Quia anni initium est,* inquit s. Isidorus *Etymol.* l. 5, c. 33[2]), *appellatur et* mensis novorum, et novum ver, *ab indiciis scilicet germinum, quia in eo, viridantibus fructibus novis, transactorum probatur occasus.*

α'. 1. Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Εὐδοκίας.

Slav. *Sviatyja prepodobnomučenicy Eudokij;* rumen. *Cuv. mart. Eudochia.*

Heliopoli s. Eudociae martyris, quae in persecutione Trajani a Theodoto episcopo baptizata, et ad certamen munita Vincentii praesidis jussu percussa gladio martyrii coronam accepit (Mart. Rom. h. d.). Animadvertit Baronius ad h. l., adductisque exemplis post Acta SS. Martii tom. 1, pp. 8 seqq. probat Asseman. h. d., in Menaeis Graecorum iisdem fere verbis s. Eudociae (quam tamen *Samaritanam* dicunt) passionem haberi expressam. Verum ex recentioribus criticis sunt, qui praeeunte Papebrochio ad Martium Graecorum metricum (relat. in Actis SS. Maji tom. 1, p. XVII) his libris parum fidant, ac verosimilius putent, non

[1]) Loco supra cit. p. 44.

[2]) Apud Migne, Patr. l. tom. 82, p. 219.

martyrio consummatam fuisse sanctam sub Trajano imp., sed ad poenitentiam conversam in monasterio vitam asceticam exercuisse quinto vel sexto saeculo. Diem s. Eudociae sacrum multae ecclesiae ritus orientalis in festis mobilibus ponunt, ejusdem feria in diagrammate festorum conceptivorum expresse notata.

β'. 2. Ἡσυχίου καὶ Θεοδότου ἱερομαρτύρων.

S. Hesychius, sive *Iscius,* episcopus Carcesae seu Cazorlae in Hispania, illuc a s. Petro cum sex aliis missus (post an. 58), potissimum Carcesae praedicavit ibique martyr obiit et colitur ut loci apostolus. Omnes septem illi Hispaniarum apostoli quemadmodum pluribus in locis eadem solemnitate honorari consueverunt, ita et uno die in *Martyr. Rom.* commemorantur, scilicet 15. Maji, quando Memoria adventus eorum in Hispaniam recolitur. De gestis *s. Hesychii* agunt Bollandiani in Actis SS. Mart. tom. 1, pp, 4—8, relatis etiam inter alia monumenta s. Gregorii PP. VII. literis ad Alphonsum VI. Castellae et Sanctium IV. Aragoniae reges, et episcopos in eorum ditione constitutos d. d. 19. Mart. an. 1074.

In Cypro s. Theodoti episcopi Cyriniae, qui sub Licinio imperatore gravissima passus, in pace tandem Ecclesiae spiritum Deo reddidit circa an. 324 (Martyr. Rom. d. 6. Maji). Multa ejus elogia ex graecis Menaeis ac synaxariis deprompta prostant in Actis SS. Maji tom. 2, p. 104. Plura ex slavicis Menologiis dat Sergius in suo *Polnyi měsjacoslov Vostoka,* ad h. d.

γ'. 3. Εὐτροπίου μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.

SS. milites Cleonicus, Eutropius et Basiliscus, s. Theodori Tyronis *συστρατιῶται, commilitones* et cognati, *in persecutione Maximiani sub Asclepiade praeside* (circa an. 308) *crucis supplicio feliciter triumphasse* leguntur in Martyr. Rom. h. d. — Res gestas *s. Basilisci* in Actis SS. Papebrochius exhibet Mart. tom. 1, pp. 233—240, praemissa animadversione, apparitionem illam, quae ex antiquis monumentis in Breviario Romano s. Joanni Chrysostomo facta memoratur d. 27. Jan., ipsi huic sancto martyri esse adscriben-

dam. Videndus etiam Sergius l. c. — *S. Basiliscum* Graeci praeterea peculiari festivitate solitarium celebrant d. 22. Maji.

δ'. 4. *Τοῦ ὁσίου Γερασίμου τοῦ ἐν Ἰορδάνῃ.*

In Palaestina ad ripam Jordanis s. Gerasimi anachoretae, qui tempore Zenonis imperatoris floruit (Martyr. Rom. Martii die 5, quo Sanctus obiit an. 475). Quod plura ex admirandis ejus gestis s. Hieronymo fuerint tributa quodque nominatim leo, qui eidem serviisse legitur in Actis SS. Mart. tom. 1, pp. 386—387, ad Hieronymum transierit, id ex vicinia nominis atque ex congruentissimo utriusque sono (Itali quippe *Girolamo* dicunt), conjicit Papebrochius in Martio Graec. metrico (Acta SS. Maji tom. 1, pp. XIX), ac probabile censet Asseman. *Kal. E. U.* ad h. d. tom. 6, p. 167, neglectis etiam quas Mazochius Papebrochio moverat difficultatibus in not. ad *Kalendar. marmoreum Eccl. Neap.* ad. d. 5 Mart. p. 85.

In pluribus Kalendariis h. d. etiam memorantur *ss. Paulus et Juliana, soror ejus,* martyres Ptolemaide, saeculo secundo, sub Aureliano, quos Martyr. Rom refert d. 17. Augusti, quo loco etiam eorundem res gestae ex Metaphraste desumptae exstant in Actis SS. Augusti tom. 3, pp. 446—454.

Acta Metaphrastea, Sergio teste l. c., et slavice versa habentur in famoso codice Suprasliensi saeculi undecimi. Ex iis illum locum indicasse juverit, quo sancti nostri, ad regem adducti, *signo crucis frontem signasse* perhibentur n. 2, apud Migne, Patr. gr. tom. 115, p. 475.

ε'. 5. *Κόνωνος μάρτυρος.*

De s. Conone Bidanae in Isauria martyre exstat commentarius in Actis SS. Martii tom. 1, p. 358. Eum tempora ss. Apostolorum attigisse dicit synaxarium graec. eod. tom. p. 862. De s. Conone quoque Vita slavica legitur in eodem codice Suprasliensi. Graeci praeter s. Cononem Isaurum hoc vel etiam sequenti die et alium colunt *s. Cononem Κηπουρόν*, alias *Κηπωρόν* et *Κηπορόν, hortulanum,* martyrio in Pamphylia coronatum circa an. 251. Videri de eo potest Comment. historicus eod. tom. pp. 360—361, et synaxarium graec.

p. 862. Ex apposito *Κηπουροῦ* incuria vel ignorantia librarii graeci codicem describentis fecit *Κυπρίου*, atque inde venit, ut s. hic martyr ab interprete latine sic inscribatur Martyrologio Rom. d. 6. hujus mensis: *In Cypro s. Cononis martyris, qui sub Decio imperatore pedibus clavis confixis, ante currum jussus currere, in genua procumbens, in oratione reddidit spiritum.*

ϛ'. 6. *Τῶν ἐν Ἀμορίῳ μβ' μαρτύρων.*

Passio ss. quadraginta duorum martyrum, qui nobiles copiarum duces sub Theophylo imperatore, iconomacho, *in Amorio,* Phrygiae urbe, a Saracenis *comprehensi* circa an. 840, *et in Syriam perducti, illic egregio peracto certamine victores palmam martyrii perceperunt* circa an. 848. (Martyr. Rom. h. d.). Eorum res gestas illustrant Acta SS. Mart. tom. 1, pp. 456—467; editis etiam Actis graecis pp. 880—886.

ζ'. 7. *Τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων, τῶν ἐν Χερσῶνι ἐπισκοπησάντων Βασιλέως καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*

Passio s. Basilii et sociorum episcoporum refertur in Martyr. Rom. d. 4. Martii. Eos omnes sub Diocletiano imperatore in Chersoneso Taurica praedicasse atque ineunte saeculo IV. martyrium consummasse, ostendunt Bollandiani Mart. tom. 1, pp. 638—641.

η'. 8. *Θεοφυλάκτου Νικομηδείας, τοῦ ὁμολογητοῦ.*

S. Theophylactus, a s. Tarasio CP. metropolita Nicomediensis ordinatus, in Martyr. Rom. pridie hujus diei refertur *ob cultum sanctarum imaginum* a Leone Armeno *in exilium pulsus illic*que 30 annis inter innumera incommoda transactis *defunctus* circa an. 845. De eo exstat commentarius historicus in Actis SS. Mart. tom. 1, pp. 786—787.

θ'. 9. *Τῶν ἁγίων μεγάλων μ' μαρτύρων, τῶν ἐν τῇ λίμνῃ Σεβαστείας μαρτυρησάντων.*

Slav. *Svjatych sorok mučenik v Sevastijskom jezerě mučivšichsja*; rumen. *Sântii 40 de martori, cari au suferitu martiriu in laculu Sevastiei*; arab. *El-arba-ʿîn schehîd*; syr. *D'arbʿîn sâhdê qaddîschê.*

Gloriosissimi hi sunt 40 magni martyres Sebasteni in Armenia, teste s. Gregorio Nysseno, ex ipsa legione XII. *fulminante*[1]), quae tota jam tum christiana erat ac sub M. Aurelio adversus Quados militans precibus sitienti exercitui pluviam a Deo impetraverat[2]). Festo apud Latinos in sequentem diem ex mandato Innocentii PP. X. translato propter s. Franciscam Romanam, eorundem certamen postridie quoque describit Breviarium Rom. — Martyrologium autem eosdem hodie sic memorat: *Apud Sebasten in Armenia natalis ss. 40 militum Cappadocum, qui tempore Licinii imperatoris sub praeside Agricolao post vincula et carceres teterrimos, post caesas lapidibus facies, in rigens stagnum missi sunt, ubi gelu constricta eorum corpora disrumpebantur, ac demum crurifragio martyrium consummarunt* circa an. 320. *Erant autem inter eos nobiliores Cyrion et Candidus, quorum omnium praeclaras glorias s. Basilius aliique Patres*[3]) *scriptis suis celebrarunt.* — Martyrum Sebastenorum Acta vulgarunt Bollandiani Mart. tom. 2, pp. 12—29; synaxarium autem ex Menologio Basil. Mart. tom. 1, p. 863. Iis nuper alia accesserunt, quae a Bollandianis indicata videas in Bibl. hagiog. gr., pp. 87—88.

ι'. 10. *Κοδράτου μάρτυρος καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.*

Corinthi ss. martyrum Codrati, Dionysii, Cypriani, Anecti, Pauli et Crescentis, qui circa an. 258 *in persecutione Decii et Valeriani, sub Jasone praeside, gladio caesi sunt* (Martyrol. Rom. h. d.). Vitam, martyrium et miracula Bollandiani vulgarunt Mart. tom. 2, ex graeco ad h. d. pp. 4—11, graece pp. 895—898.

---

[1]) Legio *Κεραυνοβόλος* prope Melitenem in Armenia stationem habebat a tempore Titi imp. atque Eusebii etiam aetate perdurabat, quemadmodum patet ex ejusdem *Hist. eccl.* l. 5, *c. 5.* apud Migne, Patrol. gr. tom. 20, p. 442.

[2]) *Orat. 2. in laudem ss. 40 martyrum*, apud Migne, Patr. gr. tom. 46 pp. 757—760.

[3]) In his praeter ss. *Basil. M.* et *Gregor. Nys.* jam adductos Morcelli nominatim recenset tom. 2, p. 69 *ss. Joan. Chrysost., Ephraem. Syrum* et *Gaudent. ep. Brixien.*

ια'. 11. *Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων.*

S. Sophronium Hierosolymis episcopum refert Martyr. Rom. h. d. Ejus gesta ac scripta accurate describunt Acta SS. Martii tom. 2, ad hunc diem pp. 64—71, exhibito etiam synaxario Mart. tom. 1, p. 864. Ex Urbe Roma in Palaestinam reversus an. 620, Patriarcha Hierosolymitanus creatus a. 634, decessit a. 638. — Tantae auctoritatis erat, ut ejus sententiae in Concilio oecumenico VII, Nicaeno II, summa cum veneratione citarentur an. 787 (actione IV), atque inde inter sacros canones referrentur C. *Actione* 18. C. XXII, q. 4.

Sancto Sophronio Joannes Moschus dedicavit librum quem inscripsit *Λειμών* seu *Pratum* [1]); unde factum, ut multi eum operis auctorem putarint atque ut talis nominatim citatus sit in praedicto Conc. Nicaeno II. l. c. (apud Hardouin. tom. 4, p. 207) et a s. Joan. Damascen. orat. 1. de imaginibus apud Migne, Patrol. gr. tom. 94, p. 1279). — Exstant *s. Sophronii* opera apud eundem Migne, Patr. gr. tom. 87. Iis tamen nostra aetate plura accesserunt, quae refert Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 525—526.

ιβ'. 12. *Θεοφάνους τῆς Σιγριανῆς τοῦ ὁμολογητοῦ.*

Constantinopoli s. Theophanis, qui ex ditissimo pauper monachus effectus, ab impio Leone Armeno pro cultu sacrarum imaginum biennio detentus in carcere, inde in Samothraciam deportatus ibidem aerumnis confectus reddidit spiritum an. 820, *multisque miraculis claruit* (Martyr. Rom. h. d.). Res gestas s. Theophanis, Monasterii Magni-agri in Sigriana regione prope Cyzicum, in Asia minore, hegumeni et confessoris, exhibent Acta SS. Martii tom. 2, latine pp. 210 —225, graece pp. 898—901; synaxarium ejusdem mensis tom. 1, p. 864. Scripsit chronographiam, continuando opus Georgii Syncelli a Diocletiano ad an. 813, quam exhibet Migne, Patrol. graec. tom. 108 illustrantque Bollandiani propria exegesi praeliminari, tomo 3. mensis Martii praefixa pp. V—XIII. In eandem recentiores curas impendunt Classen (Bonnae, 1839) et De Boor (Lipsiae 1885).

[1]) Migne, Patrol. gr. tom. 73.

Sancto Theophani ipso hoc die et Graeci adjungunt *s. Gregorium M.*: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου πάπα Ῥώμης, τοῦ Διαλόγου*, cujus laudes in Martyrologio et Breviario Rom. h. d. celebrantur. Lectione digna est vita a Photio scripta Cod. 252 (apud Migne, Patrol. gr. tom. 104, pp. 95—99). Graecis autem *Διάλογος* appellatur ob librum *Dialogorum* ab ipso compositum et a s. Zacharia Papa graece redditum, ut Photius refert l. c. Obiit an. 604. De s. Gregorio fuse agunt Bollandiani in Actis SS. Mart. tom 2, pp. 120—208, vulgato etiam Graecorum de eo synaxario tom. praecedenti p. 864. Exstant s. Gregorii M. opera apud Migne, Patrol. lat., tom. 74—79.

Quum ecclesia graeca *primatum Petri* ejusque in Romanis Pontificibus perpetuitatem in officio s. Gregorii M. aperte profiteatur, ex eo pauca haec enotasse operae pretium fuerit: *Sacratissime pastor, factus es successor in sede et zelo coryphaei, populos purificans et ad Deum adducens* (*ἱερώτατε ποιμήν, τοῦ κορυφαίου γέγονας καθέδρας καὶ τοῦ ζήλου διάδοχος, λαοὺς καθαίρων καὶ προσάγων θεῷ: οἶκος*); *successor in sede principis chori discipulorum, unde verba veluti fulgores, o Gregori, proferens face illuminas fideles* (*διάδοχος τοῦ θρόνου τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν τοῦ ἐξάρχοντος χρηματίζεις· ἐξ οὗ τὸν λόγον τὰς ἀκτῖνας δᾳδουχῶν, Γρηγόριε, καταυγάζεις τοὺς πιστούς: κοντάκ.*); *ecclesiarum Prima quum te ad pectus complexa esset, irrigat omnem terram, quae sub sole est, piae doctrinae divinis fluentis* (*ἐκκλησιῶν σε κολπωσαμένη ἡ Πρώτη πᾶσαν ὑφήλιον κατάρδει τοῖς ῥεύμασι τῶν εὐσεβωρούτων δογμάτων σου: ᾠδ. δ΄.*); *salve, o fax religionis, splendoribus verborum tuorum universum orbem illuminans; pharus in procella erroris jactatos ad litus revocans et a morte liberans: organum actum afflatibus Spiritus* (*χαίροις, θεοσεβείας λαμπτήρ, ὁ ταῖς ἀκτῖσι τῶν λόγων σου φωτίσας τὴν οἰκουμένην; πυρσὸς τοὺς ἐν ζάλῃ τῆς ἀγνωσίας ὑπάρχοντας πρὸς λιμένα ἐκκαλούμενος καὶ θανάτου λυτρούμενος, ὄργανον ὑφηλούμενον πνοαῖς ταῖς τοῦ πνεύματος: ᾠδ. γ΄.*). Videri ea de re possunt *encyclicae literae* Michaelis Lewicki, Metropolitae gr. ruth. Leopoliensis d. d. 10. Mart. 1841, jctis. *testimoniis liturgicis eccl. gr. de Rom. Pontificis auctoritate doctrinali selectis* a Jos. Cozza-Luzi, pp. 11—12.

ιγ΄. 13. *Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου, ἀρχιεπισκόπου ΚΠ.*

CPoli s. Nicephori episcopi, qui paternarum traditionum propugnator acerrimus, Leoni Armeno imperatori iconoclastae pro cultu sanctarum imaginum se constanter opposuit, a quo

multatus exilio die 13. Martii a. 815, *ibidem quatuordecim annis longum ducens martyrium, migravit ad Dominum* (Martyr. Rom. h. d.) a. 826, 2. Junii, quo die etiam primarium ejus festum agunt Graeci; hodie enim *translationem reliquiarum* in urbem CP. factam an. 846 celebrant.

S. Nicephori Acta vulgant atque illustrant Bollandiani Mart. tom. 2, graeco-latina pp. 289—316, graeca 901—920. Quae Nicephorus scripsit, exstant in Patrol. gr. tomo 100. De iis ultimus egit De Boor, Lipsiae 1880.

ιδ'. 14. *Βενεδίκτου τοῦ ὁσίου, καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐν Πύδνῃ μάρτυρος.*

Cur in Menaeis graecis sanctissimo monachorum occidentalium parenti dies 14. Martii fuerit tributus, non aliam fuisse causam putat Asseman. *Kal. E. U.* ad h. d., nisi quod hic dies vacaret, die 21. autem, quo sanctus obiit an. 543, *s. Jacobus episcopus* coli jam consuevisset. Res gestas ac miracula olim multis illustrarunt Bollandiani hujus mensis tom. 3. pp. 273—355, exhibito etiam synaxario graeco Mart. tom. 1, p. 866. Iis jam addendus: Cozza-Luzi, *Historia S. P. N. Benedicti a SS. Pontificibus Gregorio I. descripta et a Zacharia graece reddita, nunc primum e codicibus saeculi 8 . . . edita.* Tusculani, 1880. — In Menologio Basil. *ἀντονομαστικῶς* cognomento *τοῦ ἀρχιμανδρίτου Ῥώμης* appellatur (apud Migne, Patr. gr. tom. 117, pp. 361—362).

De *s. Alexandro,* martyre Pydnae, in Macedonia, sub Maximiano, Menol. Basil. synaxarium habet pridie hujus diei pp. 349—350. Acta ediderunt Bollandiani Martii tomo 2. pp. 339—340, quae lectori adire licet.

ιε'. 15. *Ἀγαπίου μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*

S. Agapius Caesareae in Palaestina cum septem sociis, in persecutione Diocletiani sub Urbano praeside securi percussus anno 303 legitur in Martyrol. Rom. d. 24. hujus, notitia ex Eusebio sumpta *Histor. eccl.* l. 7, c. 32 (apud Migne, Patrol. gr. tom. 20, p. 731—734).

De sociis martyribus legi merentur, quae ex antiquis Graecorum Menaeis enotat Asseman. ad h. d. Synaxarium vide in Actis SS. Martii tom. 1, p. 864. cum Comment. historico tom. 3, pp. 476—477.

ιϛ'. 16. *Σαβίνου μάρτυρος.*

Hermopoli in Aegypto s. Sabini martyris, qui multa passus, tandem projectus in flumen anno 287 *martyrium consummavit* (Martyr. Rom. h. d.). Exstat de s. Sabino seu Abibo in Actis SS. commentar. hist. tom. 2, p. 254.

ιζ'. 17. *Ἀλεξίου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ θεοῦ.*

Romae s. Alexii confessoris, filii Euphemiani senatoris, qui prima nocte nuptiarum sponsa intacta e domo sua abscedens, ac post longam peregrinationem ad Urbem rediens, decem et septem annos tanquam egenus in domo paterna receptus hospitio nova mundum arte deludens, incognitus mansit, sed post obitum, et voce per Urbis ecclesias audita, et scripto suo agnitus Innocentio I. Pontifice Maximo ad ecclesiam s. Bonifacii summo honore delatus est ineunte saeculo V., *ubi multis miraculis claruit.* (Martyr. Rom. d. 17. Julii.) Prolixior notitia habetur in Breviar. Rom. eodem die. — Erant ex scriptoribus, qui cum Falconio (not. ad 17. Mart.) et Tillemont. (*Mémoires* tom. 10, pp. 666 et 834) censerent, s. Alexium Romanum unum eundemque esse ac s. Joannem Calybitam CPolitanum, atque in Actis pro veteri novam Romam accipi debere, ea ducti ratione, quod et nomina parentum *Euphemiani* et *Aglaidis* et ipsius *Alexii*[1]) mere graeca sint, et alia non habeantur Acta originaria quam graeca, et simillima utriusque sint peregrinationis et vitae ac mortis adjuncta, et tandem cultus s. Alexii prius videatur institutus CPoli quam in Urbe Roma Verum Papebrochius (Julii tom. 4. pp. 238—239) atque ex eo Nerinius (*De templo*

[1]) Nomen derivant ab insolentibus verbis ἀλέκω (contract. ἄλκω), ἀλέξω, ἀλεξέω, quae tantundem valent ac latina *arceo, auxilior, opitulor*. Unde *Alexius* est, qui sibi contraria arcet, vel opem alteri aut medicinam affert. Vide quae de prima vocis origine disputat Benfey, *Griech. Wurzellexicon,* tom. 1, p. 109.

et coenobio ss. Bonifacii et Alexii historica monumenta, c. 3) et Asseman. *K. E. U.* ad h. d. in antiqua perstant sententia, s. Alexium et diversum a s. Joanne Calybita, et Romanum fuisse et Romae decessisse.

Acta Sancti nostri plura exstant, quae Bollandiani vulgarunt Julii tom. 4, pp. 238—270. Duas vitas graecas edidit Massmann, in *Bibliothek der gesammten deutschen National-litteratur* (1843). Nuper Acta syriaca vulgavit Amiaud, quae tamen, quia longioris controversiae ansam materiamque dederunt, commodius infra adducemus in anno eccles. Syrorum. Synaxarium legitur Act. SS. Mart. tom. 1, p. 865.

S. Alexius Orientalibus est in deliciis, unde factum, ut et cognomen *Hominis Dei* (syr. *gabra d'Allaha* [1]); slav. *čelověka božija;* rumen. *omulu lui Domnedieu)* acceperit ejusque festum plerumque festis mobilibus adnumeretur, indicata in tabella festorum conceptivorum hebdomadis feria, in quam incidit.

ιη'. 18. *Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων.*

Hierosolymis s. Cyrilli episcopi, qui ab Arianis multas fidei causa perpessus injurias, et ab ecclesia sua saepe pulsus tandem sanctitatis gloria clarus in pace quievit anno 389, *cujus intemeratae fidei synodus oecumenica* II, Constantinopolitana I [2]), *Damaso scribens praeclarum testimonium dedit* (Martyr. Rom. h. d.). Sancti nostri non sine laude mentionem faciunt canones *Prima* 10. D. 16 et *Joannes* 13. D. 15 — Caeterum videantur, quae post Bollandianos, Mart. t. 2, pp. 628—632, Delacroix, Marquardt aliosque plures de s. Cyrillo ejusque operibus ultimus scripsit Mader, *Der heilige Cyrillus, Bischof von Jerusalem, in seinem Leben und in seinen Schriften.* Einsiedeln 1891.

S. Cyrilli Hierosolymit. opera omnia sistit Migne, Patrol. gr. tom. 33. Editiones particulares, maxime catechesium, describit Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 251—252.

---

[1]) Syris etiam est Mar Riša, h. e., sanctus princeps.

[2]) Hardouin. tom. 1, pp. 825—826, juncto Theodoreto *Hist. eccl.* l. 5, c. 9 (apud Migne Patrol. gr. tom. 82, pp. 1217—1218).

ιθʹ. 19. *Χρυσάνθου καὶ Δαρείας μαρτύρων.*

Romae ss. Martyrum Chrysanthi et Dariae uxoris ejus, qui post multas quas sub Celerino praefecto pro Christo sustinuerunt passiones, jussi sunt a Numeriano imperatore via salaria in arenario deponi, atque illic viventes terra et lapidibus obrui (Martyr. Rom. d. 25. Octob.); quae fusius explicantur in Brev. Rom. eodem die 25. Oct. De sanctis his conjugibus videnda sunt, quae notarunt Baron. ad 25. Oct.; Asseman. *K. E. U.* ad 19. Martii et Act. SS. ad d. 25. Octob.

Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Ἰωσήφ, μνήστορος τῆς παναγίας καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Ipsum hunc diem 19. Martii memoriae *sancti et justi Joseph, sponsi ss. semper virginis Mariae,* in Kalendariis italo-graecis tributum esse, jam supra notavimus pp. 30 et 37—38. Ab aliis Graecis vulgo cietur Joseph ad diem Dominicum post Natalem Christi, sociis additis *Davide rege,* et *Jacobo fratre Domini,* a nonnullis immo ejusdem commemoratio additur *synaxi ss. Deiparae* 26. Decembris, ut infra dicemus ad eundem diem.

κʹ. 20. *Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν, τῶν ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Σάββα ἀναιρεθέντων.*

Sanctorum patrum nostrorum in monasterio s. Sabbae occisorum; slav. *Prepodobnych otec našich v obiteli sv. Savvy ubiennych;* rumen. *Cuv. par. nostri celi ce s'au ucisu in manastirea s. Sav'a.* Hoc titulo indicatur festum ss. abbatum ab Arabibus interfectorum in laura seu monasterio s. Sabbae anno 797. In Menologio Basil. (Migne, Patrol. gr. tom. 117, pp. 359—360) alii dicuntur obtruncati, alii dissecti, aliorum manus praecisae, aliorum pedes amputati; alii confossi, eorum intestinis effluentibus, alii denique aliis modis interfecti.

καʹ. 21. *Ἰακώβου τοῦ ὁμολογητοῦ.*

S. Jacobus, agnomento *Junioris,* e monacho creatus episcopus incertae sedis, saeculo nono, multa ab iconomachis passus obiit circa an. 822. Refertur in cit. Menol. Basil. l. c. pp. 361—362.

κβ'. 22. *Βασιλείου ἱερομάρτυρος.*

Ancyrae, in Galatia, *s. Basilii presbyteri et martyris, qui sub Juliano apostata gravissimis cruciatibus affectus animam Deo reddidit* (Martyr. Rom. h. d.). Acta ejus ex graeco et graece ediderunt Bolland. Mart. tom. 3, pp. 377—381.

κγ'. 23. *Νίκωνος ὁσιομάρτυρος καὶ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν μαρτύρων.*

S. Niconem cum sociis etiam Martyr. Rom. h. d. memorat. Nicon ex Neapolitana regione oriundus, presbyter et postea episcopus, cum 199 monachis, quibus erat praefectus, passus est in Sicilia sub Quintiano praeside an. 250. Cfr. doctas animadversiones Bollandian. Martii tom. 3, pp. 440—446.

κδ'. 24. *Προεόρτια τοῦ Εὐαγγελισμοῦ καὶ Ζαχαρίου τοῦ ἐγκλειστοῦ.*

Ἀγρυπνίαν τοῦ Εὐαγγελισμοῦ fuisse *vigiliam palatii,* cum tribus aliis praesente imperatore agi solitam, animadvertimus supra ad d. 5. Januarii, p. 56.

S. Zachariae reclusi. Bollandiani censent, divinari vix posse, quisnam ex variis illis, qui in vitis Patrum occurrunt, Zachariis hoc die colatur, Martii tom. 3, p. 480; Sergius autem conjicit in suo *Svjatoj Vostok,* eum CPoli vixisse in monasterio Charsii, *τοῦ Χαρσίου,* h. e., *ad portam Charsiae* sito.

κε'. 25. *Ὁ Εὐαγγελισμὸς τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

Slav. *Blagověščenije presvjatyja Vladyčicy našeja Bogorodicy i prisno Děvy Marii;* rumen. *Bun'a Vestire a prea santei Domnei nostre Nascatorie de Domnedieu, sî pururea Vergurei Marie.*

Annuntiationis festum Graeci omnium aetatum una eademque formula *τοῦ Εὐαγγελισμοῦ* designarunt. Paulo aliter Latini: in horum Martyrologiis enim saepe dicitur *Annuntiatio Dominica,* vel *Annuntiatio Domini Jesu,* vel *Annuntiatio angeli ad B. Mariam,* vel etiam *Annuntiatio s. Mariae de conceptione, quando ab angelo est salutata.* Neque tamen id-

circo cum Suicero *thesaur. eccles.* v. *Εὐαγγελισμός*, n. 2, et Thiersio, *de fest. dierum. immin.* c. 52 putandum, Annuntiationis festum non in honorem Deiparae Virginis, sed Christi incarnati fuisse celebratum; solemnia hodierna enim, notante Morcellio ad h. d., sic ad B. V. Mariam pertinere sciebant omnes, ut simul divinae incarnationis mysterium repraesentarent. Synaxarium habet in Menologio Basiliano h. d pp. 367—368. Late de rationibus festi agunt Bollandiani Mart. tom. 3, pp. 532—538 et Benedict. PP. XIV. de festis B. M. V. Iis uberius etiam illustrandis inserviunt plures Graecorum „sermones in Annuntiationem", quos sistit Ballerinii *Sylloge monumentorum* tom. 2. Romae 1856.

κς'. 26. *Ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχαγγέλου Γαβριήλ.*

Ex ritu Graecorum post singula majora Christi Domini aut B. V. Mariae festa memoria eorum sanctorum subjungitur, qui propius ad mysterium concurrerunt, quemadmodum notatum est supra p. 63. Sic igitur hodie *Gabrielis archangeli synaxis* seu conventus sacer celebratur, quia mysterium praecedentis diei proxime attingit. Magna Menaea praesentis diei officio hanc *εἴδησιν* praefigunt: *Τῷ αὐτῷ μηνὶ κς'· τὴν σύναξιν ἐπιτελοῦμεν τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ ἐξ ἀρχῆς καί ἄνωθεν παραδεδομένην, ὡς τῷ θείῳ καὶ ὑπερφυεῖ μυστηρίῳ καὶ ἀποῤῥήτῳ καθυπουργήσαντι: Eodem mense, die 26., Synaxim agimus archangeli Gabrielis jam olim a principio traditam* [1]), *tamquam ejus, qui divino, superexcellenti ineffabilique mysterio ministravit* ceu coelestis internuntius, proxeneta ac paranymphus. Pleraeque omnes ecclesiae ritus latini s. Gabrielis archangeli festum agunt die 18. hujus, qua de re conferendi Bollandiani Martii tom. 3, pp. 605—609.

κζ'. 27. *Ματρώνης τῆς ὁσίας.*

Thessalonicae s. Matronae ancillae cujusdam judaeae, quae quum occulte Christum coleret et furtivis orationibus quotidie ecclesiam frequentaret, a domina sua deprehensa et multipliciter afflicta, novissime robustis fustibus usque ad mortem caesa in confessione Christi incorruptum Deo spiri-

[1]) H. e., a tempore fere immemorabili, quarti sc. aut quinti saeculi.

tum reddidit (Martyr. Rom. d. 15. h. m.). In Menologio Basiliano synaxarium habet die sequenti. Acta SS. ejus vitam texunt die 15. Martii tom. 2, pp. 390—392.

κη'. 28. *Στεφάνου, ἡγουμένου τῆς μονῆς Τριγλαίας, τοῦ θαυματουργοῦ· καὶ Ἱλαρίωνος τοῦ νέου.*

S. Stephanus Trigliensis, pro cultu ss. imaginum contra Leonem Armenum strenue decertans, in exilio extinctus est circa an. 816. In Menolog. Basil. atque in novo Horologio Romae edito an. 1875 celebratur die 27., in novo Anthologio et in Horologiis cisalpinis d. 28. alibi d. 26. ubi et Bollandiani de eo agunt Mart. tom. 3, pp. 663—664.

S. Hilarion junior, Abbas monasterii Pelecetes, in Asia, ut recte conjicit Papebrochius, siti, haud procul ab Hellesponto, virtutibus, doctrina et insigni confessione claruit saeculo XI. Vide Acta SS. Martii tom. 3, pp. 728—730.

κθ'. 29. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου, ἐπισκόπου Ἀρεθουσίων, καὶ Κυρίλλου διακόνου, καὶ ἑτέρων τῶν ἐπὶ Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου ἀθλησάντων.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Marka, episkopa Arefusijskago, i Kyrilla diakona, i inych pri Julianě mučitelě postradavšich;* rumen. *Cuv. nostru par. Marcu episcopulu Aretusiloru, sî Cirilu diaconulu, sî altii cari au patimitu impreuna cu densii in dîlele lui Julianu tiranulu.*

Heliopoli apud Libanum s. Cyrilli diaconi et martyris, cujus jecur discisso ventre avulsum gentiles sub Juliano apostata feraliter depasti sunt anno 362 (Martyr. Rom. h. d.).

S. Marcus h. d. in omnibus fere synaxariis graecis et slavicis cum *s. Cyrillo* refertur. Baronio quidem *(Not. ad martyr. Rom.* h. d.) ac Tillemontio *(Mémoires,* tom. 7, p. 726) suspicione haereseos non carebat; verum fides ac sanctitas *eximii hujus viri ac sacrosancti senis,* quemadmodum s. Gregorius Nazianz. eum appellat [1]), egregie vindicatur in Actis SS. Martii tom. 3, pp. 771—775, junct. Octob. tom. 8, p. 850. — In

[1]) *Orat. 1. contra Julian.* (Migne, Patrol. gr. tom. 35, pp. 615—620, ubi s. Marci martyrium describitur). Cfr. etiam Sozomen. *Hist. eccles.* l. 5, c. 10, Patrol. gr. cit. tom. 67, pp. 1243—1245.

Menologio Basiliano bis coluntur hoc mense, cum sola commemoratione die 28. cum duobus synaxariis die 30., pp. 375—378.

λ'. 30. Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου, τοῦ συγγραφέως τῆς Κλίμακος.

Slav. *Prepodobnago otca našego Ioanna lestvennika,* rumen. *Cuv. nostru parente Ioane celu ce a scrisu scar'a.*

In monte Sina s. Joannis Climaci abbatis (Martyr. Rom. h. d.). Variis cognominibus appellatur, ex quibus praecipuum est *Climaci,* quo ob celeberrimum librum triginta capitibus, quibus tanquam gradibus seu scalis ad religiosae perfectionis culmen ascenditur, a se conscriptum passim nuncupatur [1]). Graecis enim *Κλίμαξ τοῦ παραδείσου, Scala paradisi,* inscribitur [2]). S. Joannem plenum dierum et virtutum circa an. 580 obiisse tradit Phil. Labbe *(de scriptor eccl.),* verosimileque putat Papebrochius Martii tom. 3, ubi etiam librum vitamque praeclare illustrat pp. 831—834. Recentiora dat Bardenhewer, *Patrologie,* p. 532.

Sed de Sancto nostro in altera parte sermo redibit quarto jejuniorum die dominico, quem eidem iterum honorando Graeci dedicarunt (tom. 2, pp. 139—140).

λα'. 31. Ὑπατίου ἐπισκόπου Γαγγρῶν, ἱερομάρτυρος.

Gangrae in Paphlagonia s. Hypatii episcopi, qui a magna Nicaena synodo rediens, a Novatianis haereticis in via lapidibus impetitus martyr occubuit. Ita Martyrol. Rom. 14. Novembris, quo die etiam synaxarium legitur in Menol. Basil. pp. 150—151 et ejusdem festum altera vice a Graecis celebratur. Res gestas uberius describunt Menaea a Bollandianis citata in *Bibliotheca hagiograph. gr.,* p. 54.

[1]) Alt, *Kirchenjahr, συγγραφεὺς τῆς κλίμακος* inepte vertit „Dichter der Stufengesänge" (p. 214) sive „Hymnendichter" (p. 566).

[2]) Exstat apud Migne, Patrol. gr. tom. 88, pp. 583—1164.

APRILIS.

Μὴν Ἀπρίλιος, mensis Aprilis; slav. *měsjac Aprilij;* rumen. *lun'a lui Apriliu;* arab. *Nîsân.*

Aprilem gentes *a nullo dei sui nomine, sed a re ipsa, quasi Aperilem vocaverunt, quod tunc plurimum germinis aperiatur in florem.* Ita s. Augustin. l. c. supra p. 44. Quae notatio et *Varroni* placuit; is enim contra F. Flaccum et alios, qui cum Ovid. *Fast.* l. 4. vv. 60 seqq. omnia ad deos referentes secundum mensem ab *Aphrodite* seu Venere dictum statuunt, haec animadvertit l. 5: *Ejus (Ἀφροδίτης) nomen ego, antiqueis litereis, quod nusquam inveni, mensem magis puto dictum, quod ver omnia aperit, Aprilem.* Neque tamen desunt, qui tertium etymon afferant ab *aper*, quod eo mense porcus sacrificaretur.

α΄. 1. *Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Μαρίας τῆς Αἰγυπτίας.*

Slav. *Prepodobnyja matere našeja Marii Egyptianyni;* rumen. *Cuv. mam'a nostra Mari'a Egipten'a.*

Sanctam Mariam Aegyptiacam, quae peccatrix appellatur, Martyrol. Rom. colendam proponit die sequenti. Ex meretrice poenitens juxta eremum Jordanis asceticam vitam exercuit annis 48. Eam longe vetustiorem esse, quam passim creditur ab auctoribus secutis aberrantem Nicephorum Callist. *Histor. eccles.* l. 17, c. 5 [1]), nec immerito credi posse obiisse an. 421, non vero 552, quemadmodum vulgo putatur, idoneis rationibus probatum vide in Actis SS. April. tom. 1, pp. 68—70. Adeundus et Sergius, archimandrita russus, in suo *Polnyi měsjacoslov Vostoka* ad h. d. Vitam Sophronius Patriarcha Hierosolymit. non primum exaravit, ut multorum traditio est ex Nicephori l. c. ejusdemque syna-

[1]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 147, pp. 229—232.

xario ad fer. V, hebdomad. V. Quadragesimae, sed vero, ut certis tropariis a se scriptis comprehensa in divino officio legeretur, instituit. Alterum diem honori sanctae poenitentis institutum reperiemus inferius inter festa mobilia, tom. 2 pp. 182. — Ejus gesta citantur in synodo oecum. VII, Nicaena II.[1]) et a s. Joanne Damascen. or. 3. de imaginibus[2]). De laudibus ac cultu s. Mariae late disputant Acta SS. tom. cit. pp. 68—90.

β'. 2. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Τίτου, τοῦ θαυματουργοῦ· καὶ Πολυκάρπου μάρτυρος.*

S. Titus, presbyter hegumenus in ipsa Urbe CPoli aut ejus vicinia, de cultu ss. imaginum optime meritus, ob illustria, quibus claruit, miracula *Thaumaturgus* appellatus, floruit saeculo octavo aut sequenti. Vitam ex Menaeis atque officio ecclesiastico colligunt Bollandiani April. tom. 1, pp. 102—104. Confer etiam Sergium opere citato, ad h. d.

Qui in multis Kalendariis *s. Tito* hodie additur *s. Polycarpus,* in Menolog. Basil. h. d. cum aliis martyribus legitur capite obtruncatus Alexandriae sub Maximiano. Vide quae de s. Polycarpo et sociis martyribus Alexandriae habent Acta SS. April. tom. 1, p. 59.

γ'. 3. *Νικήτα ἡγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Μηδικίου.*

In monasterio Medicii in Oriente s. Nicetae abbatis, qui ob cultum ss. imaginum sub Leone Armeno multa passus est (Martyr. Rom. h. d.). Monasterii *Medicii,* in Bithyniae parte maritima ad Propontidem, haud procul ab urbe Prusa, fundator et primus hegumenus fuit s. Nicephorus, qui actioni 18. synodi oecum. VII, Nicaenae II, subscripsit an. 787. S. Nicephoro vita functo 4. Maji (circa an. 810) hegumenus successit *s. Nicetas* illustris pro fide orthodoxa et defensione ss. imaginum sub tyrannico imperio Leonis Armeni. Quo extincto an. 820, sub Michaele Balbo ad confessionis praemium evolavit 3. Aprilis an. 824, Dominica IV. Quadragesimae. Vitam ex graeco versam illustrant Bollandiani April. tom. 1,

[1]) Actione IV. apud Hardouin tom. 4, pp. 227—230.
[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 94, pp. 1415—1418.

pp. 253—265; ipso exemplari graeco exhibito in appendice ejusdem tomi pp. XVIII—XXVIII.

δ'. 4. *Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Ἰωσὴφ τοῦ ὑμνογράφου καὶ Γεωργίου τοῦ ἐν Μαλέῳ.*

Slav. *Prepodobnych otec našich Josifa pěsnopisca, i Georgia iže v Malei;* rumen. *Cuv. par. nostru Josifu scrietoriulu de cantàri, sî Georgiu celu dein Male'a.*

S. Josephum Graeci a sacris hymnis sive canonibus conscribendis *τὸν ὑμνογράφον* seu *τὸν ποιητὴν τῶν κανόνων* appellant. Is natione Siculus, devastantibus patriam barbaris, cum parentibus in Peloponnesum fugit, inde Thessalonicam, ubi monachus factus et presbyter ordinatus, cum Gregorio Decapolita CPolim profectus sub ejusdem disciplina in monasterio ss. Sergii et Bacchi vixit. Leone Armeno in sacras imagines earumque cultores acerbam persecutionem movente an. 814, suasu Decapolitae quum Romam pergeret, a piratis captus in Cretam abductus est ibique vinculis constrictus; a quibus s. Nicolai Myrensis ope liberatus ipsa nocte Nativitatis, qua occisus est Leo, et CPolim ductus Decapolitam mortuum invenit an. 820. Dum sacris hymnis componendis operam daret et populum ad cultum ss. imaginum adhortaretur, a *Theophilo* imperatore, quem *impium* passim dicunt auctores ob iconomachiam resuscitatam, iterum in Chersonam relegatur. Verum mortuo tyranno a Theodora in urbem regiam revocatus, a s. Ignatio Patriarcha *custos* creatur *sacrorum vasorum magnae ecclesiae, φύλαξ τῶν ἱερῶν σκευῶν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.* Demum Photio patriarchalem sedem tenente Josephus plenus dierum sancte decessit anno 883. Haec ex annotationibus Bollandianorum ad synaxarium s. Josephi in Menolog. Basil. pp. 385–386 et ad Vitam a Joanne conscriptam, April. tom. 1, pp. 266—276. Exstant s. Josephi opera apud Migne, Patrol. gr. tom. 105, pp. 931—1422.

S. Georgius, solitarius *in Monte Malaeo,* in Laconia, ultima Peloponnesi provincia, totius diei quarti officium ecclesiasticum Graecorum occupat. Floruisse videtur saeculo V. aut VI. Vitae compendium habes in Actis SS. April. tom. 1, pp. 324—325.

His plerumque sociantur duo martyres Thessalonicenses saeculi quarti, qui in Martyrol. Rom. hodie sic annuntiantur: *Thessalonicae ss. martyrum Agathopodis diaconi et Theoduli lectoris, qui sub Maximiano imperatore et Faustino praeside ob christianae fidei confessionem, alligato ad collum saxo in mare demersi sunt.* De iis legisse juverit, quae Papebrochius in Acta martyrii scripsit April. tom. 1, pp. 320—324.

ε΄. 5. *Κλαυδίου, Διοδώρου, καὶ ἑτέρων πέντε μαρτύρων.*

Gloriosum certamen *s. Claudii* et sex sociorum ejus Martyrol. Rom. refert die 25. Februarii, mutatis tamen nominibus *Claudii* in *Claudianum* et *Diodori* in *Dioscorum: In Aegypto natalis ss. martyrum Victorini, Victoris, Nicephori, Claudiani, Dioscori, Serapionis et Papiae, sub Numeriano imperatore: quorum duo primi pro confessione fidei exquisita suppliciorum genera constanter tolerantes capite plectuntur; Nicephorus post craticulas candentes ignesque superatos minutatim concisus est; Claudianus et Dioscorus flammis incensi; Serapion vero et Papias gladio caesi sunt* circa an. 285. In Menol Basil. synaxarium habent d. 31. Januar., pp. 287—288. De septem his martyribus agunt Bollandiani in Actis SS. Febr. tom. 3, pp. 493—495.

ϛ΄. 6. *Εὐτυχίου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ.*

S. Eutychius προληπτικῶς Patriarcha CPolitanus dictus, creatus an. 552, sede vero pulsus an. 565, quod impio edicto Justiniani imperatoris subscribere noluisset, sed Justino tandem Tiberioque imperium administrantibus restitutus an. 577, decessit die 6. April. 582. Hic vero est Eutychius, quem s. Gregorius M., quum CPoli legatione fungeretur, ab Origeniano errore de corporum resurrectione legitur revocasse Moral. l. 14, nn. 72—75 et in Breviar. Rom. d. 12. Martii. Vitam ex graeco vulgant Bollandiani April. tom. 1, pp. 546—569, graece vero in append. pp. LI—LXXI. — Menol. Basil. eum synaxario celebrat pp. 387—388, in quod tamen videndae sunt animadversiones Asseman. h. d. — S. Eutychii mentionem infert jus nostrum c. *Prima* 10. Dist. 16.

ζ'. 7. *Γεωργίου ἐπισκόπου Μιτυλήνης καὶ Καλλιοπίου μάρτυρος.*

S. Georgius, senior, *episcopus Mitylenae,* in insula Lesbo, quod pro sacris imaginibus adversus Leonem Isauricum decertaret, in exilium pulsus ad Dominum migravit circa an. 735. Confundi non debet cum alio s. Georgio, juniore, qui sequenti saeculo et ipse Mitylenensium episcopus ob earundem ss. imaginum defensionem confessione clarus extitit sub Leone Armeno, circa an. 816. De eo est synaxarium d. 16. Maji in Menolog. Basiliano pp. 461—462. De utroque Georgio consule quae Assemanus h. d. animadvertit in Commentarium historicum a Bollandianis propositum April. tom. 1, pp. 668—669.

Pompejopoli, *in Cilicia, sancti Calliopii martyris, qui sub Maximino praefecto, post alia tormenta, verso in terram capite, cruci affixus, nobili corona martyrii decoratus est* (Martyrol. Rom.) 7. Aprilis, ipso Parasceves die an. 304. Commentarium habes cum Actis apud Bollandianos April. tom. 1, pp. 657—659. Consule etiam Baronium ad *Martyrol. Rom.* h. d.

η'. 8. *Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα Ἡρωδίωνος καὶ ἑτέρων πέντε.*

Graeci hodie celebrant memoriam ss. episcoporum et martyrum *Herodionis, Agabi, Rufi, Phlegontis, Asyncriti* et *Hermae;* eosque ex septuaginta Christi discipulis asserentes identidem *apostolos* appellant. Ex his tres seorsim in Martyrol. Rom. coluntur: *Agabus* d. 13. Febr.; *Hermas* d. 9. Maji; *Rufus* d. 21. Nov. Reliqui tres h. d. ita memorantur: *Eodem die commemoratio ss. Herodionis, Asyncriti et Phlegontis, de quibus scribit B. Paulus Apostolus in epistola ad Romanos.* De singulis *Σύγγραμμα ἐκκλησιαστικὸν περὶ τῶν ο' μαθητῶν τοῦ Κυρίου, τοῦ Δωροθέου, ἐπισκόπου Τύρου,* vulgo *Synopsis* (Pseudo-) *Dorothei*[1]), ait, episcopos fuisse, *Herodionem* Novarum-Patrarum, *Rufum* Thebarum,

[1]) Videri de ea possunt, quae post Baronium, Possevinum, Huetium, Binium aliosque viros eruditos late scripsit du Fresne in notis ad *Chronicon Paschale,* apud Migne, Patr. gr. tom. 92, pp. 659—662 et 519—520 jcto. Oudino, *De scriptor. eccles.* saec. 6, tom. 1, pp. 1377—1394.

Asyncritum Hyrcaniae, *Phlegontem* Marathonis; *Hermas* denique in catalogo Hippolyti traditur episcopus Dalmatiae fuisse, de quo etiam videndus Farlat. *Illirici sacri* tom. 1, pp. 266 et 392. — Exegesim in eosdem habes in Actis SS. April. tom. 1, p. 738—739. De *s. Herodione* nominatim synaxarium exstat in Menolog. Basil. d. 28. Mart. pp. 373—374.

θ'. 9. *Εὐψυχίου τοῦ ἐν Καισαρείᾳ, μάρτυρος.*

Caesareae in Cappadocia s. Eupsychii martyris, qui ob eversum Fortunae fanum sub Juliano apostata martyrium consummavit anno 362 (Martyr. Rom. h. d.). Juliani apostatae in urbem Caesaream adventum, Fortunae templi eversionem et s. Eupsychii sociorumque certamen describit Sozomen. *Histor. eccles.* l. 5, cc. 4 et 10 [1]). Ex eo atque ex orationibus Patrum et ex libris liturgicis, nominatim ex Menolog. Basil. h. d. pp. 395—396, vitae martyriique adjuncta colligunt Bollandiani April. tom. 1, pp. 819—821. — Delubri Fortunae eversi mentionem facit s. Gregor. Nazianz., orat. funebri in patrem [2]) et orat. 1. in Julianum, quem irridens ob dirutum templum illud eleganter *Fortunam infortunatam (τύχην ἀτυχησάσην)* appellat [3]).

ι'. 10. *Τερεντίου, Πομπηΐου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς.*

In Africa ss. martyrum Terentii, Africani, Pompeji et sociorum, qui sub Decio imperatore et Fortuniano praefecto virgis caesi, equuleis torti aliisque suppliciis cruciati, demum capitis obtruncatione martyrium compleverunt. Ita Martyr. Rom. h. d., cui quidem concordant Acta SS. April. tom. 1, pp. 851—854 et synaxarium in Menol. Basil. h. d. pp. 395—396.

ια'. 11. *Ἀντίπα ἱερομάρτυρος.*

Pergami in Asia s. Antipae, testis fidelis, cujus meminit s. Joannes in Apocalypsi [4]). *Is sub Domitiano imperatore*

[1]) Migne, Patrol. gr. tom. 67, pp. 1223—1226.
[2]) Ibid. tom. 35, p. 1030.
[3]) Ibid. p. 625.
[4]) Apocal. 2, 12 Antipas dicitur occisus *ubi satanas habitat,* quod

in bovem aeneum candentem conjectus martyrium consummavit an. 92 (Martyr. Rom. h. d.). Sunt ex hagiologis graecis, qui praeeunte Menol. Basil. h. d. pp. 397—398, s. Antipam faciant episcopum; verum in multis Kalendariis hic titulus praetermittitur.

In notationibus ad h. d. pluribus adductis exemplis probat Baronius, gentiles ea furoris rabie in Christianos insiluisse, ut vetera quaeque ac antiquata tormentorum genera in illorum interitum excitarent. Neque proinde audiendus est Grotius quum scribit[1]), idcirco hanc historiam fidem non mereri, quod supplicium bovis aenei candentis ignotum esset Romanis legibus; saepe enim plus in Christianos saevitum esse, quam lege liceret, Acta martyrum evincunt, maxime, quum plebis concitatae furore martyres ad supplicia raperentur. Caeterum recte animadvertit Morcelli h. d., tum bovem aeneum candentem a scriptoribus fide dignis[2]) inter martyriorum instrumenta numerari, tum in Oriente venerandam fuisse traditionem, Theodosii Magni aetate bovem aeneum Pergamo advectum CPolim, in quo tanquam in fornace ustus fuerat s. Antipas[3]). Acta s. Antipae ex graeco dederunt Bollandiani April. tom. 2, pp. 3—5; graece in appendice pp. 1*—2*.

ιβ'. 12. *Βασιλείου ἐπισκόπου Παρίου.*

S. Basilius, Episcopus Parii, in Mysia minore, ultra Hellespontum ad Propontidem, fidem Christi contra iconoclastas egregie propugnavit; verberaque, vincula et exilium perpessus, confessor gloriosus, *ex impietate et crudelitate Leonis Isaurici imperatoris immortalem sibi texuit coronam,* ut Baronius ait *ad an.* 735. — Ejus vitae epitome ex Menaeis refertur in Actis SS. ad ipsum h. d., April. tom. 2, p. 96; in Menol. Basil. autem habetur die sequenti, pp. 339—400.

ιγ'. 13. *Μαρτίνου πάπα Ῥώμης, τοῦ ὁμολογητοῦ.*

De *s. Martino Papa* Graeci ter agunt: 13. (Slavi 14.) Aprilis, 15. Septemb., ad quem diem Menol. Basil. etiam prae-

---

Pergamum, urbs illa Mysiae insignis templum Aesculapii haberet tota Asia celeberrimum.

[1]) Crit. sacr. t. 9, ad Apoc. 2, 23.

[2]) Gallon. de ss. MM. cruciatibus c. 7. et Sagittar. de MM. cruciat. in primit. Eccl. c. 10.

[3]) Georg. Cedreni *Histor. compend.* n. 116, apud Migne, Patrol. gr. tom. 121, pp. 615—616.

claro eum synaxario celebrat pp. 51—52, et 20. Septemb., cum s. Maximo et sociis. — Ecclesia occidentalis s. Martinum P. ex antiqua traditione colit 12. Novemb., quam celebritatis varietatem inde venisse putat Baronius, quod confusi videantur dies obitus et translationis. Vitae compendium hoc elogio complectitur Martyr. Rom.: *Natalis s. Martini Papae et martyris, qui* (primo Pontificatus sui anno 649) *Romae coacta synodo* [1], *quum* (*ἔκθεσιν* et *τύπον* Constantii II. proscripsisset ac) *Sergium, Paulum et Pyrrhum* [2]) *haereticos damnasset, jussu Constantis imperatoris haeretici per fraudem captus et CPolim perductus* (an. 653), *in Chersonesum relegatus est; ubi ob catholicam fidem aerumnis confectus* [3]) *vitam finivit* (an. 655) *multisque miraculis claruit, cujus corpus postea Romam translatum in ecclesia ss. Silvestri et Martini conditum fuit.* — Prolixior vita exstat in Breviar. Rom. ad eundem diem 12. Nov. — Digna prae caeteris lectione sunt, quae de s. Martini exilio scripsit Asseman., *Italiae scriptor.* tom. 2, 49 seqq. De ipso itinere CPolitano videatur Michael in *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1892, pp. 375—380.

Ut in synaxario diei, ita et in hymnis officii s. Martinus *infallibilis fidei magister* a Graecis praedicatur. En pauca quaedam ex multis, quae eam in rem ex libris liturgicis post alios collegerunt Card. Levicki et *Cozza-Luzi* locis supra citatis p. 51:

Τί σε Μαρτῖνε προσφθέγξομαι; ὀρθοδόξων διδαχῶν καθηγητὴν πανευκλεῆ; κορυφαῖον ἱερὸν δογμάτων θείων ἀψευδῶς; τοῦ ψεύδους ἀληθέστατον κατηγορόν;

Οὐσίας δύο καὶ δύο θελήματα καὶ ἐνεργείας διπλὰς φέροντα μακάριε τὸν ἕνα τῆς Τριάδος ἐδογμάτισας Χριστὸν τὸν ὑπερούσιον θεόν· καὶ τοὺς μὴ οὕτως σέβοντας πάντας ἀπεκήρυξας. Ὑπάρχων ἀνάπλεος θείου ζήλου συνήθροισας ἱε-

Quo te nomine compellabo, Martine? Dicamne omnibus illustrem orthodoxae doctrinae rectorem? Dicam te divinorum dogmatum absque ullo errore sacrum coryphaeum? Dicam erroris veracissimum reprehensorem?

Naturas duas et duas voluntates et duplicem operationem unum e Trinitate Christum supernum Deum habere dogmate constituisti, o beate; et omnes qui sic non venerantur,

[1]) Hardouin. tom. 3, pp. 687—948.

[2]) *Isti, qui fuerunt principes haereseos monothelitarum, continuatim in CPolitana sede sederunt.* C. *Convenientibus* 3. C. I, q. 7.

[3]) S. Theophan. *Chronograph.,* apud Migne, Patrol. gr. tom. 108, pp. 681—684 et 707—710.

ρὰν σύνοδον καὶ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἐκύρωσας δόγμα. . . . Συνόδου ἐν μέσῳ ἀπεκήρυξας Πύῤῥον καὶ Σέργιον καὶ τοὺς σὺν ἐκείνοις λοιδοροῦντας. Ἱερωτάτῳ σου λόγῳ πανίερον σαφῶς δόγμα ἐκράτυνας καὶ τὸ στῖφος αἱρέσεων ἔτρεψας. Ῥήγνυται ὁ πονηρὸς πρὸ ποδῶν ἱερῶν σου, καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων τὰ ἀπύλωτα στόματα ἀποφράττονται, καὶ δείκνυται διαλάμπον δόγμα τὸ θεῖον ὑπὲρ ἥλιον. Ἀρχιερέων σε ἔγνωμεν κρηπίδα, ὀρθοδοξίας τε στήλην καὶ εὐσεβείας διδάσκαλον.

Ἐπεκόσμησας τὸν Πέτρου θεῖον θρόνον, καὶ τῇ αὐτοῦ θείᾳ πέτρᾳ τὴν ἐκκλησίαν ἀσάλευτον συντηρήσας σὺν αὐτῷ δεδόξασαι.

condemnasti. Divino zelo plenus congregasti sacram synodum et Ecclesiae dogma statuisti. In medio synodi damnasti Pyrrhum et Sergium et qui cum eis blasphemabant. Sacratissimis verbis tuis aperte stabilisti dogma venerandum, et acies haereticorum profligasti. Malignus diabolus disrumpitur ante sacros pedes tuos; verbis tuis et malignantium hominum aperta orá obstruuntur et splendens super solem ostenditur dogma divinum. Te episcoporum novimus basim, orthodoxae fidei columnam et religionis magistrum.

Decorasti divinam Petri sedem, et in ejus divina petra immobilem quum custodisses Ecclesiam, cum eo glorificatus es.

Quo in loco et illud dogma catholicum clare vides expressum, episcopum Romanum ideo infallibilis magisterii praerogativam obtinere, quod Petri sit in Romana cathedra successor.

ιδʹ. 14. Ἀριστάρχου, Πούδη καὶ Τροφίμου τῶν ἀποστόλων.

Hi tres sancti ex septuaginta apostolis, ut habet Menol. Basil. ad diem sequentem, pp. 403, *magnum Apostolum Paulum secuti, praedicantes et ipsi Christum, una cum ipsorum magistro iisdem aerumnis affecti ejusque in omnibus persecutionibus consortes,* coluntur a Latinis seorsim singuli: *Aristarchus* (de quo Act. 19, 29; 20, 4; 27, 2; Colos. 4, 10 et Philem. 24) die 4. Augusti; *Pudes* sive *Pudens* (cujus mentio II. Timoth. 4, 21) die 19. Maji [1]) et *Trophimus* (de quo Act. 20, 4; 21, 19 et II. Timoth. 4, 20) die 29. Decemb.

ιεʹ. 15. Κρήσκεντος μάρτυρος.

Myrae in Lycia s. Crescentis, qui per ignem martyrium consummavit sub ethnicis imperatoribus (Martyr. Rom. h. d.). Vitam ex Magnis Menaeis, ex Menolog. Basil. (d. 13. April.

---

[1]) Juxta Graecos tamen alius est a s. Pudente senatore, patre s. Pudentianae virginis, de quo videri potest Baronius *Martyr. Rom.* ad hunc diem.

pp. 397—400) atque ex variis aliis fontibus eruunt Bollandiani in Act. SS. April. tom. 2, p. 373.

ις'. 16. *Τῶν ἁγίων μαρτύρων παρθένων αὐταδέλφων Ἀγάπης, Εἰρήνης καὶ Χιονίας.*

Martyrol. Rom. *ss. Agapen et Chioniam* refert. 3., *s. Irenem* vero 5. Aprilis. De illis hoc habet elogium: *Thessalonicae passio ss. virginum Agapis et Chioniae sub Diocletiano imperatore, quae quum Christum negare nollent, primo in carcere maceratae, postea in ignem missae, sed a flammis intactae ibi, oratione ad Deum fusa, animas reddiderunt* an. 290. De *s. Irene* autem haec habet: *Thessalonicae s. Irenes virginis, quae quum sacros libros contra Diocletiani edictum occultasset, post tolerantiam carceris sagitta percussa est, et igne cremata jussu Dulcetii praesidis, sub quo et sorores simul Agape et Chionia passae antea fuerant.* Earundem martyrii Acta genuina ex pluribus mss. et Mombritio fideliter eruta illustrant Bollandiani ad 3. April., pp. 244—250: quo die etiam synaxarium habent in Menol. Basil. pp. 383—384. A tribus his sororibus virginibus et martyribus Thessalonicensibus distinguendas esse homonymas *Agapen*, *Chioniam* et *Irenen*, sorores easdem et martyres Aquilejenses, Salonae passas, ostendit Daniel Farlatus S. J. *Illirici sacri*, tom. 2, c. 4, § 2, p. 425. Sunt, qui ad Aquilejenses referant Menol. Basil. 22. Decemb. pp. 221—224.

ιζ'. 17. *Συμεὼν τοῦ ἐν Περσίδι ἱερομάρτυρος· καὶ Ἀγαπητοῦ πάπα Ῥώμης· καὶ Ἀκακίου, ἐπισκόπου Μελιτίνης.*

S. Simeon, Episcopus Seleuciae et Ctesiphontis in Persarum tunc regno, caeterum in Mesopotamia et Assyria sitarum urbium, praeclaro hoc elogio celebratur in Martyr. Rom. ad diem 21. Aprilis: . . . *jubente Sapore Persarum rege comprehensus ferroque onustus iniquis tribunalibus exhibitus, quum solem ipsum adorare nollet, et de Jesu Christo voce libera et constantissime testaretur, primum carcerali ergastulo cum aliis centum, ex quibus alii episcopi, alii erant presbyteri, alii diversorum ordinum clerici, longo tempore maceratus est;*

deinde quum Usthazanes[1] *regis nutritius, qui ante jam lapsus a fide, sed per eum ad poenitentiam fuerat revocatus, martyrium constanter subiisset, postridie, qui erat annuus dominicae passionis dies* (an. 344), *omnibus ante Simeonis oculos, qui unumquemque eorum strenue exhortabatur, gladio jugulatis, novissime et ipse decollatus est. Passi sunt etiam cum eo clarissimi viri Abdechalas*[2] *et Ananias ejus presbyteri; Pusicius*[3] *quoque praefectus regis artificum, eo quod Ananiam titubantem corroborasset, collo circa tendinem perforato, et lingua exinde extracta, crudeli morte occubuit, post quem et filia ejus, quae erat sacra virgo*[4], *necata est.* Acta martyrii ex Sozomeni *Hist. eccles.*, 2, 8—10 cum praevio commentario habes apud Bolland. April. tom. 2, pp. 841—844. Iis nunc addenda sunt ipsa *Acta syriaca* edita a Bedjan, t. 2, pp. 131—248.

S. Agapitus Papa, virtutibus et miraculis clarus, suprema sua potestate in universam Ecclesiam usus, CPolim profectus an. 536 Anthimum haereticum deposuit et in ejus locum s. Mennam patriarcham ordinavit.

Ἄνθιμον ἴσμεν ἀπελαθέντα μὲν τοῦ τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως θρόνου παρὰ Ἀγαπητοῦ, τοῦ τῆς ὁσίας καὶ ἀοιδίμου μνήμης προέδρου τῆς κατὰ τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην ἁγιωτάτης ἐκκλησίας . . . κοινῇ ψήφῳ τοῦ τε αὐτοῦ τῆς ἁγίας μνήμης ἀνδρὸς πρότερον καὶ μὴν καὶ τῆς ἐνταῦθα γενομένης ἱερᾶς συνόδου καταδεδικασμένον τε καὶ καθῃρημένον.

Anthimum scimus, inquit Justinianus August.[5], *dejectum de sede hujus regiae urbis a sanctae et gloriosae memoriae Agapito, sanctissimae Ecclesiae antiquae Romae Pontifice . . . et communi sententia ipsius sanctae memoriae viri primum, atque etiam sanctae synodi hic celebratae condemnatum et depositum.*

In ejecti locum vero ab ipso s. Agapito substitutum ordinatumque s. Mennam fuisse, Menologium Basil. ad h. d. disertis his verbis testatur: *Ἄνθιμον . . . ἐκδιῶξαι, καὶ ἀντ᾽ ἐκείνου χειροτονῆσαι τὸν ἁγιώτατον Μηνᾶν.* Quod praeclarum Agapiti factum jus nostrum hoc canone 23. Dist. 1. de Cons. celebrat: *Agapitus Papa, vas catholicum, evangelii tuba, praeco justitiae, sacra altaris sedisque*

[1]) *Χουσδαζάτ, Gustazades* (Act. *Martyr. oriental.* p. 6).

[2]) Syris *Abdhaicla,* h. e., *servus templi.*

[3]) *Φουσήκ,* seu *Φασίκ* in *Menol. Bas.* cum s. Simeone die 14. Aprilis celebratur, proprio tamen synaxario, pp. 401—402.

[4]) *Ἀσκήτρια,* h. e. *sanctimonialis.* Menol. Bas. l. c.

[5]) Nov. Constit. 42 (Collat. 4, tit. 21).

velamina, sacrilegis Anthimi infecta fabulis suis catholicis precibus delevit, h. e., notante gl., erroribus sacrilegis infecta purgavit. Supremam hanc s. Agapiti, Romani Pontificis, in Ecclesiam auctoritatem corroboratam testimoniis ex ejus officio graeco erutis vide apud Metropolitam Levicki loco supra citato p. 51.

S. Agapiti memoriam venerantur Latini 20. Septemb., quo die et Cleus praeclarum de eo commentarium scripsit in Actis SS. ejusdem mensis tom. 6, pp. 163—180.

S. Acacium, episcopum Melitinae, in Armenia minore, et gloriosum confessorem sub Decio imperatore, Graeci variis diebus celebrant, scilicet 31. Martii, 17. April. et 15. Sept. Notitias ex libris liturgicis haustas docto commentario complexus est Henschenius socius Bollandianus, cui et celeberrimam s. Acacii *disputationem cum Martiano* subjunxit Mart. tom. 3, p. 898—900.

ιη΄. 18. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου· καὶ Ἰωάννου τοῦ ἐξ Ἰωαννίνων μάρτυρος.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Joanna, učenika svjatago Grigoria Dekapolita;* rumen. *Cuv. par. nostru Joane invetiatielulu s. Gregoriu Decapolitulu.*

Joannes discipulus s. Gregorii Decapolitae, Isaurici [1]), teste Martyrol. Rom. ad d. 27. April. *pro cultu sacrarum imaginum sub Leone Isaurico plurimum decertavit,* atque *ad Deum pacis emigravit* circa an. 850 (Menol. Basil. pp. 409—412). Ejus res gestas ex actis dicti s. Gregorii et s. Josephi hymnographi, cum quo diu vixit, et fastis graecis eruunt Bollandiani April. tom. 2, p. 580. — Alter *Joannes ex Joannina,* Epiri veteris urbe praecipua, oriundus, CPoli martyrio coronatus est sub Turcis saeculo 15., ideo et *νεομάρτυρος* titulo decoratur. Acta ex Anthologio graeco desumpta illustrant Bolland. tom. cit. pp. 606—608. Alia de s. Joanne Epirota videri possunt apud Martinov, *An. eccl.* ad h. d.

[1]) Non a Decapoli Syriae, sed a Decapoli Isauriae nomen traxit.

ιθ'. 19. *Ἰωάννου τοῦ παλαιολαυρίτου· καὶ Παφνουτίου ἱερομάρτυρος.*

S. Joannes a veteri laura s. Charitonis (28. Sept.), in qua vitam asceticam exercuit, *παλαιολαυρίτης* (slav. *vetchopeščernik;* rumen. *de la pescer'a cé vechia)* cognominatus, floruisse videtur saeculo IV. Vitae compendium ex libris liturgicis eruit Henschenius in Actis SS. April. tom. 2, pp. 622—623.

S. Paphnutius episcopus et martyr, qui etiam in Martyrol. Rom. h. d. memoratur, passus dicitur sub gentilibus imperatoribus. Diversus est ab aliis sanctis homonymis, e quibus unum, Hierosolymitam sc., Menaea referunt die sequenti [1]), alios mense Septembri. Quum Synaxarium desideretur, ex solo officio proprio colligunt Bollandiani, quae ad ejus martyrium et venerationem pertinent, April. tom. 2, p. 620.

κ'. 20. *Θεοδώρου τοῦ Τριχινᾶ.*

S. Theodori Confessoris, ab aspera cilicii veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas [2]), *qui multis virtutibus, praesertim adversus daemones, claruit: ex cujus corpore unguentum scaturiens aegrotis sanitatem impertit* (Martyr. Rom. h. d.). Natus CPoli in vicina eremo Thraciae, fide christiana in pace florente, sub dio vivendo arctam vitam duxit. Res gestas ex Menaeis atque ex Menol. Basil. (pp. 413—414) describunt Bolland. April. tom. 2, pp. 754—755.

κα'. 21. *Ἰανουαρίου ἱερομάρτυρος καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ· καὶ Θεοδώρου, τοῦ ἐν Πέργῃ.*

S. Januarii episcopi et martyris, Neapolitanorum nunc patroni praecipui, festum in ecclesia latina agitur die 19. Septembris, quando *in conspectu sacri capitis expositus in ampulla vitrea sanguis velut recens liquescere et ebullire* solet, quemadmodum habet Martyr. et Breviar. Rom. Ad quem eundem diem etiam Menol. Basil. de *s. Januario et sociis ejus* synaxarium exhibet pp. 59—60.

---

[1]) Hunc celebrem illum esse in *Vitis Patrum* Paphnutium, de quo Rufin. *Hist. monach.* l. 2, c. 16 (Migne, Patrol. lat. tom. 21, pp. 435—439), et Palladius, *Hist. Lausiac.* (ibid. tom. 73, p. 1170), acute conjicit Papebroch. *Act. SS.* April. tom. 2, p. 755.

[2]) *Τριχιάω, ῶ, pilosus, crinitus sum,* a *θρίξ, pilus.*

Perge in Pamphilia sanctorum Theodori et Philippae matris ejus ac sociorum martyrum sub Antonino imperatore (Martyr. Rom. d. 20. Sept.) an. 220. Multa de his martyribus dat Stiltingus in Act. SS. Sept. tom. 6, pp. 137—140.

κβ'. 22. *Θεοδώρου τοῦ Συκεώτου.*

S. Theodorus a *Siceon* vel *Syceon* [1]) natali suo oppido *Syceota* appellatus, ex episcopo Anastasiopolitano plurimorum coenobiorum in Galatia archimandrita celeberrimus, *a miraculorum claritate* in Martyr. Rom. celebratur h. d. Vitam *sincerissime,* ut Baronius ait, scriptam ab Eleusio, Giorgio dicto, presbytero et hegumeno, ejus discipulo, illustrant Bolland. April. tom. 3, pp. 32—62. Natus sub imperio Justiniani (527—566), quum floruisset sub Justino Juniore, Tiberio, Mauritio, Phoca atque Heraclio, ex hac vita migravit an. 613. Heraclii imperatoris anno 3. — Graeci hoc die etiam *s. Nathanael* colendum proponunt, *commemorata* sc. *peculiari illa cognitione, qua in Christi notitiam venit* Joan. 1, 45—51 (*ἀνάμνησις τῆς πρὸς Χριστὸν αὐτοῦ γνωρίσεως*: Men. h. d.). De eo vide notata infra ad d. 11. Junii.

κγ'. 23. *Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Γεωργίου τοῦ τροπαιοφόρου.*

Sancti gloriosi magni martyris Georgii triumphatoris; slav. *Svjatago slavnago velikomučenika i pobědonosca Georgia;* rumen. *s. maritulu marele mart. portatoriulu de invingere Georgiu.*

Τροπαιοφόρος, trophaeum gestans, gloriosa monumenta profligatorum hostium [2]) *circumferens atque ostentans, triumphator.*

Bollandianorum sententia Lyddae seu Diospoli, in Palaestina, martyrii coronam adeptus videtur sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus an. 303: laceratis eorum edictis primis. Utrum vero hodie sit passus, id certum esse non

---

[1]) Menaea cum metrico Graecorum habent *τοῦ Συκεώτου;* Menolog. Basil. *τοῦ Σικαιώτου*, p. 417. *Syceon* autem ad Anastasiopolitanum episcopatum, Metropolitae Ancyrano, in Galatia prima, subjectum pertinebat.

[2]) *Τροπαῖον, trophaeum,* proprie monumentum est *τῆς τῶν πολεμίων τροπῆς, hostium conversionis in fugam.*

putamus, quum in pluribus antiquis Kalendariis ad 23. Apr. ejus memoria tantum, non autem passio, signata legatur. Sunt etiam, qui s. Georgium credant ipsum illum esse *Joannem*, qui imperatorum „edicta detraxisse ac discerpsisse" legitur in Martyr. Rom. d. 7. Sept. Sed ea de re videas *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1892, p. 549.

Statim a Constantini M. victoria de Licinio s. Georgius adeo coli coepit, ut vix ullus sit terrae angulus, quo ejus cultus non pervaserit [1]): habitus semper orientalis imperii defensor et Christianorum exercituum contra Saracenos ductor; quae omnia prolixe accurateque iidem Bollandiani explicant April. tom. 3, pp. 101—165, exhibitis etiam in appendice variis monumentis graecis ad ejus cultum, miracula, patrocinium spectantibus (pp. I—XXXVIII). Iis nunc addenda sunt Acta syriaca, coptica, aethiopica, quae adducuntur in *Analecta Bol.* 1893, p. 300 et 1895, p. 121.

Quum saeculo quinto Acta s. Georgii circumferrentur mendaciis, narrationibus portentosis et a sincera miraculorum ratione alienis referta, ea s. Gelasius PP. in conc. Rom. an. 496 improbavit in Decreto *de libris apocryphis,* relato in jure sacro c. *Sancta Romana* 3. Dist. 13, quin eam ob censuram de clarissima nominis ejus fama ac gloria quidpiam detraheretur: *nos tamen*, subdit Pontifex *can. cit., martyrum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.*

S. Megalomartyris festum Graecis Latinisque immobile quidem est, verum Slavi feriam hebdomadis etiam, in quam dies 23. Aprilis incidit, in diagrammate festorum mobilium expresse notare solent.

Hodie quoque ss. martyrum *Alexandrae* et *Glycerii* mentionem faciunt, quod in Actis s. Georgii memorentur.

S. Alexandra, imperatrix, uxor Diocletiani, martyrio coronata Nicomediae an. 302, ita inscribitur Horologio Leopoliensi (vide supra p. 30): *svjatyja mučenicy Alexandry, ženy carja Diokletiana mučitela, s. martyris Alexandrae, uxoris imperat. Diocletiani, persecutoris.* Ejus vitam dederunt Bollandiani April. tom. 2, pp. 839—840, ad 21. April., quo die et synaxarium habet in Menol. Basil. pp. 415—416.

[1]) Ingentem Asiae tractum, qui inter Pontum Euxinum et mare Caspium protenditur, a s. Megalomartyre *Georgiam (Gurgistan)* appellari, recte animadvertit Mazochius, *Kal. Neap.* tom. 1, p. 229.

κδ'. 24. *Σάβα τοῦ Γότθου, τοῦ στρατηλάτου, μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ· καὶ τῆς ὁσίας Ἐλισάβετ, τῆς θαυματουργοῦ.*

Romae s. Sabae ductoris militum, qui accusatus quod christianos in carcere detentos visitaret, coram judice Christum libere confessus est; a quo facibus adustus et in lebetem picis ferventis injectus quum evasisset illaesus, eo miraculo septuaginta viros ad Christum convertit, qui omnes in confessione constanter permanentes gladio caesi sunt; postremo ipse demersus in flumen martyrium consummavit (Martyr. Rom.) sub Aureliano imperatore an. 272.

Distinctus ab hodierno s. Saba, martyre Romano, est alter sanctus ὁμώνυμος, natione Gothus et ipse, qui tempore Valentis imp. sub Athalarico, Gothorum rege, cum multis sociis martyrium fecisse dicitur in Valachia, eodem hoc mense in ecclesiast. fastos relatus, a Latinis d. 12., a Graecis vero communiter d. 15.

Hodiernorum martyrum Acta ex libris liturgicis exornat Henschenius Bolland. April. tom. 3, pp. 263—265.

Solemnis admodum est memoria *s. Elisabet,* virginis thaumaturgae, apud Graecos in omnibus libris ritualibus, Menologiis, Anthologiis et Menaeis, ex quibus elogium eruit Papebroch. in Actis SS. April. tom. 3, p. 275; adductis etiam Martyrologiis latinis et Arabo-Aegyptiaco, in quibus ut *thaumaturga* celebratur. Regebat monasterium ss. Cosmae et Damiani, Justino imperatore CPoli exstructum, crediturque vixisse saeculo sexto.

κε'. 25. *Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου.*

Celeberrima ad hunc diem memoria est *s. Marci* Evangelistae in omnibus ecclesiasticis fastis Latinis, Graecis, Syriacis. Aegyptiacis, Armenicis, Slavis. Prolixiori elogio eum exornat Martyrol. Rom., quod idem fere habetur in Menol. Basil. et in Menaeis. Ab Alexandrinis martyr coronatus dicitur anno Christi 67. Cuncta, quae ad s. Marcum pertinent, pluribus describunt Bollandiani April. tom. 3, pp. 346—360, vulgatis quoque graecis Actis in append. pp. XL—XLII, quae latine reddita a J. Fr. Albano (Clemente XI.) antea jam exhibuerant [1]).

[1]) Joan. Franc. Albani, qui ad summum Pontificatum evectus *Cle-*

Iis tamen jungendae sunt recentiorum curae, quas brevi in conspectu positas videsis in Kirchenlexikon t. 8, pp. 671—674, ed. 2.

κς'. 26. *Βασιλέως ἐπισκόπου Ἀμασείας, ἱερομάρτυρος.*

Amaseae in Ponto s. Basilei episcopi et martyris, qui Nicomediam in Bithynia abductus, circa an. 322 *sub Licinio imperatore illustre martyrium consummavit* die 28. Mart., *cujus corpus in mare projectum et ab Eldiphoro angeli monitu repertum* et Amaseam perlatum, *honorifice tumulatum fuit* 26. April. (Martyrol. Rom. h. d.), quare hunc diem venerationi ejus deputaverunt. Et quia lauream adeptus est ob *s. Glaphyram,* ancillam imperatricis, a Licinio, pudicitiae ejus insidiante, in orientales plagas fugientem exceptam et protectam, plura Kalendaria graeca hodie etiam *s. Glaphyram* habent. Eandem Martyr. Rom. colendam proponit 13. Jan. Synaxarium ex Menol. Basil. et alias res gestas ex Actis descriptas cum egregiis commentariis invenies apud Bolland. April. tom. 3, pp. 420—477 et in Append. pp. XLII—L.

κζ'. 27. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Συμεών, συγγενοῦς τοῦ Κυρίου.*

Slav. *Svjatago svjaščennomučenika Simeona srodnika Gospodnja;* rumen. *S. santîtulu mart. Simeone fratele Domnului.*

Symeon consanguineus Domini, Cleophae, fratris s. Josephi, filius, post Jacobum Hierosolymorum ordinatus episcopus, sub Trajano crucifixus an. 107, a Latinis colitur 18. Februarii. Quae in Martyrol. et Breviar. Rom. ad eum diem de ejus martyrio leguntur, eadem fere Menol. Basil. habet d. 18. Septemb. pp. 55—56. Doctum *commentarium historicum* de s. Symeonis natali, ordinatione, martyrio, genealogia, reliquiis vide in Actis SS. Februar. tom. 3, pp. 54—56.

κη'. 28. *Τῶν ἐν Κυζίκῳ ἐννέα μαρτύρων, καὶ τοῦ ὁσίου Μέμνονος τοῦ θαυματουργοῦ.*

Slav. *Svjatych devjaty mučenikov iže v Kyzicě;* rumen. *SS. 9 mart. dein Chizicu.*

---

mens XI. est dictus, quum adhuc adolescens esset, etiam sex priores menses *Menologii Basiliani* in Latinum vertit.

Ex Menolog. Basil., novem martyrum *Cyzicenorum*[1]) nomina haec sunt: *Theognis, Rufus, Antipater, Theostichus* sive *Eutyches, Artemas, Magnus, Theodotus, Thaumasius* et *Philemon*. Quo tempore martyrium compleverint, nullibi invenitur notatum. Cfr. Acta SS. April. tom. 3, p. 624. In multis Kalendariis referuntur ad diem proxime sequentem.

κθ'. 29. *Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Ἰάσωνος καὶ Σωσιπάτρου.*

S. Jason, natus Tarsi in Cilicia ibidem episcopus fuit. Ejus memoria exstat Act. 17, 5—9; Rom. 16, 21. — *S. Sosipater* vero, de quo Rom. 16, 21, Patris in Achaja natus, episcopus perhibetur fuisse Iconii (Menol. Basil. 27. April.). Praeeunte Baronio Asseman. *Kal. E. U.* pridie hujus diei scribit, *s. Jasonem esse antiquum illum Christi discipulum,* quem refert Mart. Rom. die 12. Julii, *s. Sosipatrum* autem *beati Pauli Apostoli discipulum,* qui eidem Mart. Rom. inscriptus legitur die 25. Junii. Sed Bollandianis attentius rem considerantibus uterque videtur a Latinis praeteritus, *eo quod,* ut ipsi ajunt, *eos non satis distinxerint* a Sopatro *et* Mnasone; *nam de altero hoc agunt sub nomine* Jasonis *12. Julii; de priori vero d. 25. Junii sub nomine* s. Sosipatri. Cfr. *Sylloge historico-critica de ss. Sosipatro et Jasone, discipulis s. Pauli*, item *de s. Sopatro Beroeensi et s. Mnasone Cyprio discipulis Christi* in Act. SS. Jun. tom. 7, pp. 4—6. In Menaeis, apud Maxim. Cythaer. atque inde in multis recentioribus Horologiis celebrantur pridie hujus diei. Consuli etiam recentiora merentur, quae referunt Bolland. in *Biblioth. hagiogr. gr.*, p. 56.

Eodem hoc die 29. Aprilis aliquae ecclesiae orientales s. Memnonem, hegumenum et *thaumaturgum,* colunt. Quo loco vel tempore floruerit, ignoratur. Cfr. Acta SS. April. tom. 3, p. 584.

Adduntur et *ss. Dadas, Maximus* et *Quinctilianus,* martyres Dorostori, in Mysia inferiore seu Bulgaria, sub Diocletiano, Martyrologio Rom. ad d. 13. Aprilis inscripti. Exstant Acta latine primum a Bollandianis edita April. tom. 2, pp. 126—129, subinde etiam graece in append. pp. *8—*9.

[1]) *Cyzicus* nobilissima olim atque episcopalis urbs Mysiae minoris, ad Hellespontum et Propontidem sita.

λ'. 30. *Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰακώβου, ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.*

Sancti Jacobi Apostoli, fratris Joannis Theologi; slav. *Svjatago Apostola Iakova, brata svjatago Ioanna Bogoslova;* rumen. *S. Apostolu Iacobu fratele s. Joane Teologulu.*

Licet Menol. Basil. habeat *s. Jacobum, fratrem Domini,* pleraque omnia Kalendaria tamen hodie celebrant *s. Jacobum, fratrem s. Joannis Evangelistae, prope festum Paschae ab Herode Agrippa decollatum* an. 43 sive 44 (Martyr. Rom.), quem Ecclesia Latina colit 25. Julii. Videnda in primis sunt, quae longiori commentario de ejus Actis accurate disputant Bolland. Jul. tom. 6, pp. 5—125, junctis *Vindiciis pro Hispanica s. Jacobi praedicatione,* ad calcem Julii tom. 7, Neque omittendae sunt animadversiones in „Zeitschrift für kath. Theologie", 1884, pp. 324—325.

Syri in antiquo Kalendario a Wright edito s. Jacobum cum Joanne memorant ad d. 27. Decemb., Armeni inter 28. et 30. ejusdem mensis.

Caeterum Graeci *tres Jacobos Apostolos* distinguunt, quorum primus est *Jacobus Zebedaei,* Joannis frater, ex 12; alter Jacobus Alphaei, frater Matthaei Evangelistae, item ex 12, quem Latini conjunctim cum Philippo Apostolo honorant die 1. Maji, Graeci vero 9. Octob.; tertius est Jacobus *ὁ μικρός, minor* (Marc. 15, 41), idemque Graecorum, ut diximus, sententia, *ἀδελφόθεος, frater Domini* et *justus* cognomento dictus, primus Hierosolymorum episcopus ac scriptor epistolae canonicae, non ex 12 unus, sed post Domini resurrectionem ad apostolatum extra numerum allectus, eodem proinde jure *Apostolus* dictus (Galat. 1, 19), quo *Paulus* et *Barnabas,* ac parem ferme cum 12 potestatem habens (Act. 15, 13), utriusque prioris Jacobi respectu tamen *ὁ μικρός, minor,* dictus, quod non esset ex 12. Cfr. Henschen. in Actis SS. Maji tom. 1, pp. 23—27 et Mazoch. *Kal. Neap.* ad 1. Maji pp. 281—283.

Menaea etiam hodie referunt *s. Donatum* Euroeae seu Evoriae, in Epiro, episcopum, qui floruit circa an. 387. Res gestas ex Actis illustrant Bollandiani April. tom. 3. pp. 773—775.

MAJUS.

Μὴν Μάϊος; mensis Majus; slav. *mĕsjac Maij,* rumen. *lun'a lui Maiu;* arab. *Ijâr.*

Majum mensem, tertium a Martio, sancti Augustinus et Isidorus vocatum putant, *locis supra citatis* p. 44, a *Maja* dea, Mercurii matre, cui hoc mense sacrificabatur; *Varro* contra eum sic dictum scribit l. 5. a *majoribus,* quorum consilio gerebatur respublica, sicut sequens *Junius* a *junioribus,* qui rempublicam armis defendebant. Alii alia vocis etyma afferunt.

α′ 1. *Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἱερεμίου.*

Slav. *Svjatago proroka Iremii;* rumen. *S. prof. Iremia.*

S. Jeremiae prophetae festum Graeci Latinique hoc die celebrant, eumque ex Menol. Basil.[1]) hodie multi putarunt obiise anno, Philippi Labbei sententia[2]), 607 ante Ch. n., in quo tamen alii non consentiunt, ut recte animadvertit Morcelli *Kal. CP.* h. d.

De Jeremia haec in Martyr. Rom. habemus: *In Aegypto s. Hieremiae prophetae, qui a populo lapididus obrutus apud Taphnas occubuit ibique sepultus est; ad cujus sepulchrum fideles, ut refert s. Epiphanius*[3]), *supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere aspidum morsibus medentur.* Eum in locum videas opportunum commentarium Henschenii in

---

[1]) *Ἡ κοίμησις τοῦ ἁγίου προφήτου Ἱερεμίου,* p. 432.

[2]) Epitome Chronographica historiae sacrae et profanae p. 2.

[3]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 43, pp. 39—40. S. Epiphanius falso tamen a Baronio creditus est auctor hujus libri *de vita et interitu prophetarum.*

Actis SS. Maji tom. 1, pp. 5—7; junctis tamen recentiorum studiis, quae una veluti comprehensione complectitur *Kirchenlexikon,* t. 6, pp. 1292—1302, edit. 2.

Quae in Menaeis de exitu illius et translatione reliquiarum multis referuntur ex thalmudicis circa vitas obitusque prophetarum figmentis, ea adeo fabulosa sunt, ut ipsa sua absurditate refellantur, quemadmodum adductis exemplis ostendit Papebroch. ad Metric. graec. h. d.

β'. 2. Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ Μεγάλου.

Quamvis Kalendaria solam *Athanasii Magni reliquiarum allationem,* ex urbe Alexandria CPolim sc., memorent, praesentem diem eidem nihilominus emortualem fuisse, tum ex Menol. Bas., tum ex aliis monumentis constat; nihil tamen impedit, quominus ejus *corporis translatio* eodem hoc die, licet non eodem anno, facta fuisse dicatur. *Post multos agones multasque patientiae coronas s. Athanasius ad Dominum migravit* an. 371 (Martyr. Rom. h. d.). Ejusdem operum (Migne, Patr. gr. tt. 25—28) approbatio ex Concilio Romano anni 496 relata est c. *Sancta 3,* § 3, Dist. 15. Virtutum laudumque compendium legesis in Martyr. et Breviar. Rom., prolixiorem *vitam* autem *ex ipsius et aliorum veterum scriptis collectam* in Actis SS. Maji tom. 1, pp. 190—263. De cultu eidem delato cfr. „Zeitschrift für kath. Theologie", 1894, p. 743.

Sancto Athanasio fasti Ruthenorum, in Galicia, hodie adjungunt *translationem ss. Borisi et Glěbae* sub hoc titulo: *prenesenije moščej svjatych knjazej russkiych Borisa i Glěba,* de quibus agemus infra ad d. 24. Julii.

Iisdem in pluribus Kalendariis slavicis sociatur *s. Borisus,* primus rex christianus Bulgariae (843—888), quem vel ideo praeterire non possumus, quia plures ei canones in jure debemus. *Borisus,* qui et *Bogoris,* adhortationibus s. Methodii permotus, religionem christianam amplexus est an. 866, nomine *Michaelis* assumpto, ac gentem pene universam ad Christum traduxit. Ne cum schismatico Photio communicaret, legatos ad s. Nicolaum PP. I. misit, a quo celeberrima *ad*

consulta Bulgarorum responsa accepit an. 867, communionem ecclesiae Bulgaricae cum Romana apertissime testantia [1]). Religione catholica firmiter jam stabilita totaque Bulgaria in septem dioeceses sub Achridensi Metropolita et Sedis Apostolicae Legato divisa, atque ita autocephalia ecclesiae Bulgaricae cum reverentia Romano Pontifici debita legitime conciliata, purpuram regiam cum habitu monastico commutavit. In monasterio sancte obiit anno, ut Jireček, *Histor. Bulgar.* (p. 150) ostendit, 907, die 2. Maji. De *s. Bogori Michaele* rege breviter disputant Bolland. Febr. tom. 2, pp. 563—564, ex fontibus slavis latius agit Martinov, *An. eccl. graeco-slav.* h. d. p. 120. Cfr. etiam Hergenröther, *Photius,* tom. 1, pp. 594—616.

γ'. 3. *Τιμοθέου καὶ Μαύρας μαρτύρων.*

In Thebaide sanctorum martyrum Timothei (lectoris) *et Maurae conjugis, quos Arianus praefectus post multa tormenta cruci jussit affigi, in qua novem diebus vivi pendentes, ac se ipsos in fide roborantes martyrium consummarunt* circa an. 286 (Martyr. Rom. h. d.). Synaxarium ex Menol. Basil. cum Actis dant Bolland. Maji tom. 2, pp. 381—383.

In fastis graeco-slavicis Ruthenorum cath. hodie etiam celebratur *Uspenije prepodobnago otca našego Feodosija Pečerskago, dormitio venerabilis patris nostri Theodosii Pečarensis.* Hic est celeberrimus ille *s. Theodosius,* cum *s. Antonio* vitae coenobiticae in ecclesia russica institutor et monasterii Kievocryptensis seu Pečarensis fundator ac *hegumenus,* quem an. 1074, die 3. Maji obiisse in *Memoriis slavicis* refert Martinov, ad h. d. — Quum de Theodosii fide, sanctitate ac cultu plenius edoceri optasset Papebrochius [2]), omnia haec erudite ac solide pertractavit Asseman. *Kal. E. U.* eodem hoc die 3. Maji. Vitam russice scripsit Nestor, annalista ecclesiae russicae, cujus compendium dedit Martinov l. c.

[1]) Exstant apud Hardouin, Conc. tom. 5, pp. 353—386; et apud Migne, Patrol. lat. tom. 119, pp. 978—1016. Ex iis hos canones in jure sacro habemus: c. 17. Dist. 28; c. 5. C. XV. q. 8; c. 15. C. XXIII. q. 8; c. 2. C. XXVII. q. 2; c. 1. C. XXX. q. 3; c. 3. C. XXX. q. 5; c. 22. C. XXXII. q. 5, c. 11. C. XXXIII. q. 4; c. 24. Dist. 4. de Cons.

[2]) In Actis SS. Maji, tom. 1, p. 364 et in III. *Tabulis Mosch.* h. d.

De *s. Antonio* ejus in vita ascetica magistro atque in fundando monasterio Kievocryptensi socio dicemus infra ad diem 10. Julii.

δ'. 4. *Πελαγίας ὁσιομάρτυρος.*

Tarsi, in Cilicia, s. Pelagiae virginis, quae sub Diocletiano in bovem aeneum candentem inclusa martyrium complevit saeculo tertio exeunte (Martyr. Rom. h. d.). Acta ex graeco exhibent Bolland. Maji tom. 1, pp. 459—463, ipsa graeca vero in append. pp. XLIII—XLVI, addito etiam officio proprio ex Menaeis graecis pp. XLVII—XLVIII. Acta tamen, diu post certamen sanctae martyris exarata Constantinopoli atque ex eisdem sumpta synaxaria non sine cautela esse legenda, gravibus argumentis ostendit Papebrochius in praevio commentario historico-critico tom. cit. pp. 458—459. Videri etiam poterit Usener, *Legenden der heiligen Pelagia,* Bonn, 1879.

Slavi hoc die etiam *s. Erasmum martyrem* colunt, cujus memoriam Latini agitamus 2. Junii.

ε'. 5. *Εἰρήνης μάρτυρος.*

S. Irene in Menaeis *τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος* (slav. *Sv. i slavnyja mučenicy;* rumen. *S. marea mart.)* titulo ornata, celeberrima CPoli, quo corpus advectum Epheso, ubi sub Numeriano passa dicitur. Acta tot fabulis sunt referta, ut ea Papebrochius in Majo gr. metr. indigna judicaret, quae Actis SS. insereret. Ejus reliquias in unum ex *templis Irenes* seu *Pacis,* quae Constantinopoli erecta erant ceu monumenta *Concordiae christianae,* saeculo 7. vel 8. illatas, atque inde errorem ortum, id nominis hisce ecclesiis primitus a *s. Irene* martyre fuisse impositum, non levi nec contemnenda ratione suadet Morcell. *Kal. CP.* ad diem 24. Maji.

ϛ'. 6. *Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Ἰὼβ τοῦ πολυάθλου.*

Slav. *Sv. i pravednago Iova mnogostradalnago;* rumen. *S. sî dereptulu Iovu multu suferitoriulu.*

In terra Hus s. Job prophetae, admirandae patientiae viri (Martyr. Rom. 10. h.); idipsum fere valet vocabulum

πολύαθλος[1]), *qui multa vicit certamina*, *qui multa suffert.* Quae ad s. Job spectant, post Bolland. Maji tom. 2, pp. 492—495, breviter quidem, sed accurate Kirchenlexikon, t. 6. pp. 1484—1491, edit. 2.

ζ'. 7. *Ἡ ἀνάμνησις τοῦ ἐν οὐρανῷ φανέντος σημείου τοῦ τιμίου σταυροῦ ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλήμ, ἐπὶ Κωνσταντίου Βασιλέως υἱοῦ τοῦ Μεγάλου Κωνσταντίνου καὶ Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων.*

Slav. *Vospominanije na nebesi javlšagosja znamenija čestnago kresta pri Konstantij Carě, syně velikago Konstantina;* rumen. *Amentirea semnului onoratei cruci ce s'a aratatu pre ceriu in cetatea Ierusalimului in dîlele imperatului Constantiu fetiorulu marelui Constantinu.*

Commemoratio ejus, quod Hierosolymis in coelo apparuit, signi pretiosae crucis sub Constantio, Constantini M. filio, et Cyrillo Hierosolymorum archiepiscopo, anno 351, 7. Maji, *diebus sanctae Pentecostes*[2]), ut habet Menol. Bas.: quae apparitio ex propria *s. Cyrilli* epistola proponitur apud Migne, Patrol. gr. tom. 33, pp. 1165—1176, additis etiam multis aliis veterum testimoniis de hoc signo Hierosolymis viso.

Ἀκακίου καὶ Κοδράτου μαρτύρων.

Qui praeterea hodie in Kalendario memorantur ss. martyres *Acacius* et *Codratus*, etiam in Martyr. Rom. celebrantur.

Codratus, more latino *Quadratus,* martyr Nicomediensis sub Decio et Valeriano passus, ipso hoc die, Act. SS. Maji, tom. 2, pp. 364—365; *Acacius* autem, qui et *Achatius,* seu *Agathius,* martyr Byzantinus sub Maximiano, die sequenti, quo Bollandiani Acta mutila, prout tunc erant reperta, exhibent tom. cit. pp. 288—296. Ea nunc in forma integra habemus in *Analect. Bolland.*, t. 1, pp. 448—469.

---

[1]) A *πολύς multus*, et *ἆθλος*, ex *ἄεθλος* crasi literarum *α* et *ε*, *certamen.*

[2]) Graecis *Pentecostes* totum illud dierum spatium est, quod a feria 2. post Dominicam Resurrectionis usque ad Dominicam Pentecostes excurrit,

η'. 8. *Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου πανευφήμου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, ἐπιστηθίου, ἠγαπημένου καὶ παρθένου, Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.*

Slav. *Sv. slavnago vsechvalnago apostola i evangelista, napersnika, vozlublennago, děvstvennika Ioanna Bogoslova;* rumen. *S. maritulu sî intru totu laudatulu apostolu sî evangelistu celu ce s'a culcatu pre pieptu, liubitulu, pazitoriulu defetioria Joane Teologulu.*

S. Joannes Evangelista, Graecis *θεολόγος ἀνήρ, vir theologus*[1]), *τῆς θεολογίας ὁ συγγραφεύς, Theologiae scriptor*[2]), *ὁ ἀρχηγὸς τῆς θεολογίας, dux et quasi auctor theologiae*[3]), *θεολογικώτατος, maximus theologus*[4]), *theologi* titulo *κατ' ἐξοχὴν* insignitur, quod de divinitate Verbi nemo unquam hominum apertius aut divinius scripserit.

Caeterorum cognominum rationes quod spectat, *ἐπιστήθιος* appellatur, quod *ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ, supra pectus Jesu* recubuit (Joan. 13, 25 et 21, 20); *ἠγαπημένος,* quod *ἐξαιρέτως ipsum ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, Jesus diligebat* (ibid. 19, 26; 21, 7 et 20); *παρθένος,* quod *virgo electus a Christo, virgo in aevum permansit,* quemadmodum Latini cantamus in ejusdem s. Joannis officio.

Objectum hodierni festi *s. Joannis Ev.* variis verborum formulis propositum invenimus. Majus Graecorum metricus h. d. memorat *ῥοδισμὸν Βροντογόνοιο* quod *mannam Boannerges* seu *filii tonitrui*[5]) vertere solent; *ῥοδίς* quippe pastillus est ex rosis *(ῥοδόν)* confectus, pilulae unguentariae instar suavem odorem spargens.

Menol. Basil. festum enuntiat: *Memoria s. Joannis Theologi ἐπὶ τῆς ἁγίας κόνεως ob s. pulverem;* Kalend. CP.

---

[1]) S. Athanas. contra gentes, n. 42, apud Migne, Patrol. gr. tom. 25, p. 83.

[2]) S. Cyrill. Alex. l. 2 in Joan. c. 1, Patrol. cit. tom. 73, p. 217.

[3]) In Menaeis Graecorum.

[4]) Theophylact. in C. 3 Marci, Patrol. cit. tom. 123, p. 523.

[5]) *Divinus Joannes* filius tonitrui *(υἱὸς βροντῆς) vocatus est, ut qui magnum quiddam et insolitum effatus, propemodum orbem sonitu percussit et terram tonitru terruit: vere enim adorandum et magnum incarnationis Unigeniti mysterium quam optime explanat.* S. Cyrill. Alexandrin. adv. Nestor. l. 1; Patrol. cit. tom. 76, p. 15.

a *Morcell.* editum demum: *Memoria s. Joannis Theologi et Evangelistae εἰς τὸ λεγόμενον μάννα, ob sic dictum manna,* ex ejus sepulchro Ephesi scaturiens [1]).

Celebrat igitur hodie ecclesia graeca memoriam unguentati illius pulveris, quem fideles Ephesi quotannis legebant ad locum sepulturae s. Joannis Apost. et Evang. *in curationem,* verba sunt Menolog. Basil. p. 442, *universorum morborum, in animarum sanitatem et corporum medelam, Deum laudantes ejusque servum Theologum venerantes.*

Ex recentioribus tamen non desunt, qui antiquas Cyrilli glossas secuti ῥοδισμόν tantundem valere putent ac *Rosalia* Latinorum, vocabulo festi scilicet a rosarum usu quaesito, quod, quia die 7. Maji celebrabatur, quando maxima est rosae ubertas, credibile sit multum jaciendis rosis sertisque floreis nectendis tunc fideles indulsisse in laetitiae argumentum sanctique Apostoli honorem. Hanc antiquorum sententiam nuperrime amplexus est Sergius, archimandrita russus, saepius jam citatus. Caeterum de *Rosalium* origine ac caeremoniis conferre tibi licet Mazochium in *Kal. Neap.* ad d. 13. Febr., pp. 53—54.

De s. Joannis depositione agunt Graeci die 26. Septembris, Latini die 27. Decemb.

Ἀρσενίου τοῦ Μεγάλου.

S. Arsenium Magnum, quem Graeci hodie conjunctim cum s. Joanne Ev. colunt, Latini celebramus die 19. Julii, quo et Martyrol. Rom. eum *omnibus virtutibus in solitudine consummatum et jugi lacrimarum imbre perfusum,* in coelum migrasse narrat circa an. 445. — Quae ad inclyti hujus anachoretae nomen [2]), patriam, natales, vitam saecularem, in-

---

[1]) *Μάννα* quoque mel aërium odorum et roscidum significat, quod aliquibus in regionibus foliis arborum insidet, quia illud mannae instar noctu de coelo mittitur. Hinc ad odorifera thuris grana concussu elisa, atque ad pastillos bene olentes, ad unguentatum pulverem transfertur.

[2]) S. Theodori Studitae judicio (Vita 27), *s. Arsenius* erat ὄντως φερώνυμος Ἄρσην, *vere nomen* viri *ferens,* h. e. *strenuus et fortis,* ἄῤῥην seu ἄρσην quippe, proprie *mas, masculus,* translate ille dicitur, *qui forti et virili animo est.*

stitutionem Honorii et Arcadii principum, secessum in solitudinem, praeclara ibidem facta et dicta, mortem, discipulos spectant, Bollandiani proprio commentario docte ac copiose persequuntur Jul. tom 4, pp. 605—616, addita Vita graecolatina, scripta a s. Theodoro Studita pp. 617—631, quae etiam exstat apud Migne Patrol. gr. tom. 99, pp. 1617—1626.

θ'. 9. *Ἠσαΐου τοῦ προφήτου καὶ Χριστοφόρου μάρτυρος.*

S. Isaias propheta et martyr in Palaestina Martyrologio Rom. inscriptus est 6. Julii, ad quem diem etiam de eo agunt Bolland. Jul. tom. 2, pp. 250—253. In Menol. Basil. proprio synaxario colitur h. d., sicut et *s. Christophorus, ὁ κυνοκέφαλος*, martyr sub Decio, cujus tamen Papebrochii sententia *in Ephemerid. graec. ad h. d.*, quam facile est probare cultum et giganteae imaginis mysteria explicare, tam difficile erit ex fabulosa ejus Legenda aliquid certae veritatis elicere. — Nunc vero repertis, quae Papebrochium latuerant, vetustis Actis, martyris res gestae sufficienter illustratae sunt in Analectis Bollandianis, t. 1, pp. 121—148.

Rutheni in Galicia hodie solemnem memoriam agunt *prenesenije čestnych moščej iže vo svjatych otca našego Nikolaja čudotvorca ot Myr v Bar grad, translationis reliquiarum s. P. N. Nicolai thaumaturgi ex Myra in urbem Barium* in Apulia, anno 1087 factae sub Alexio Comneno imperatore et Nicolao Grammatico Patriarcha, Romano Martyrologio ad hunc diem quoque inscriptae, de qua fuse tractat Asseman. *Kal. E. U.* ipso hoc die.

In antiquis Kalendariis latinis annuntiatur *festum s. Nicolai in Majo,* ad distinctionem alterius *festi s. Nicolai hiemalis.* Institutum legitur [1]) ab Urbano PP. II. (1088—1099) statimque receptum in Russia ab Ephraëm metropolita an. 1091: luculentissimo sane indicio, quod ecclesia russica tunc adhuc erat cum Sede Romana unita; a Schismaticis enim solemnitas haec, ortu romana, semper rejiciebatur [2]).

---

[1]) Cfr. etiam Urbani epist. ad Eliam archiepiscop. Baren. d. d. 9. Oct. 1089, apud Migne, Patr. l. t. 151, pp. 307—309.

[2]) Vide Stilting in Act. SS. Septemb. tom. 2, p. XVIII; et „Zeitschrift f. kath. Theologie“ 1894, p. 276.

ι'. 10. *Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Σίμωνος τοῦ Ζηλωτοῦ.*

Slav. *Sv. apostola Simona Zilota;* rumen. *S. apostolu Simeone Zelosulu.*

S. Simonem zelotem seu *Cananaeum* Apostolum, Latini colimus junctim cum s. Juda die 28. Octobris, quo Martyrol. et Breviar. Rom. ejus encomium habet doctis annotationibus a Baronio illustratum.

ια'. 11. *Τὰ γενέθλια ἤτοι τὰ ἐγκαίνια τῆς Κωνσταντινουπόλεως· καὶ Μωκίου ἱερομάρτυρος.*

S. Mocius, martyr Byzantii sub Diocletiano, a Latinis colitur die 13. h. m., Romano suo nomine *Mucii* retento; verosimile quippe est eum, qui origine Romanus fuit, nomen *Mutii* ex antiquis Romanis accepisse, quod Thraces sua dialecto corruperint. Cfr. Bolland. Maji tom. 2, pp. 619—622. De eo Martyrol. Rom. haec habet: *CPoli b. Mucii presbyteri et martyris, qui sub Diocletiano imp. et Laodicio proconsule primo Amphipoli,* urbe Macedoniae [1]), *multis poenis atque cruciatibus ob Christi confessionem afflictus, postea Byzantium usque perductus, capitali sententia occubuit;* eo die, ut ajunt Acta martyrii, n. 10, *quo b. Constantinus imperator* postea, an. 330, *consecravit natalem Constantinopoleos civitatis.* Atque hinc factum, cur ipso hoc die in Kalendariis Constantinopolitanis s. Mocio *Natale* seu *Encaenia urbis* adjungantur.

De utroque habetur officium, et synaxarium in Menol. Basil. pp. 449—450. Synaxarium *Natalis urbis* sic incipit: *Quum maximus imperatorum et Christianissimus Constantinus urbem Byzantii accepisset, eamque multo majorem, quam erat, aedificasset, impositoque proprio nomine pro Byzantio Constantinopolim appellasset, postquam moenia absolvit, exstructaque in iis aedificia et sacras ecclesias* [2]), *eam dedicavit Dominae nostrae Deiparae semperque Virgini Ma-*

---

[1]) Sita ad Strymonem fluvium, qui in gyrum ibi decurrens locum urbis utrinque cingebat, ut, Papebrochii judicio, vel ideo *Amphipolis* videatur appellata.

[2]) In antiquo cod. vatic. syr. 21. festum signatur: *Perfectio CPoleos urbis.*

riae gratias supra modum agens. . . . Finit autem synaxarium: *ex illo igitur tempore obtinuit consuetudo, ut haec festivitas celebretur usque in praesentem diem.* Quod idem Menolog. cum recentioribus auctoribus graecis narrat de christianis sacrisque caeremoniis in prima illa urbis consecratione adhibitis, id ideo verosimile non esse putat Morcelli *K. C.* h. d., quod Eusebius, qui eandem hanc rem perstrinxit, nihil de christiano consecrationis ritu attingat, sed vero urbem regiam Deo dicatam scribat *plurimis oratoriis amplissimisque Martyriis et splendidissimis aedificiis erectis* [1]).

In notis ad h. d. animadvertit Martinov, antiquum synaxaristam Ostromiranum, qui ἑορτολόγιον graecum Russorum consuetudini tradidit, hodiernae festivitatis τοῦ γενεθλίου τ. πολ. miram hanc versionem fecisse: *memoria s. Genethlii et multorum!*

In Horologio Ruthenorum catholicorum Galiciae loco encaeniorum novae Romae solemnis memoria recolitur *s. Methodii* († 885), *episcopi Moraviae et Panoniae (prepodobnago otca našego Metodia episkopa Moravskago i Panonskago)*, cum s. Cyrillo Slavicae gentis Apostoli. De iis agunt Bollandiani in Actis SS. Mart. tom. 2, pp. *13—*26, Asseman. *Kal. E. U.* tom. 3. tota parte 1, et auctores supra cit., pp. 103—104.

ιβ'. 12. *Τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν Ἐπιφανίου ἐπισκόπου Κύπρου καὶ Γερμανοῦ ἀρχιεπ. ΚΠ.*

Slav. *Iže vo svjatych otec našich Epifania episkopa Kyprskago i Germana archiep. Konstantinopolskago*; rumen. *Celi deintru santi parentii nostri sî archiepiscopi Germanu alu CPolului sî Epifaniu alu Ciprului.*

Salaminae seu Constantiae *in Cypro s. Epiphanii episcopi, qui multiplici eruditione et sacrarum literarum scientia excellens, vitae quoque sanctitate, zelo catholicae fidei, munificentia in pauperes et virtute miraculorum extitit illustris* (Martyr. Rom. h. d.), in jure sacro etiam in exemplum adductus c. *Lugdunensis* 10. C. IX. q. 2. Obiit an. 403. Vitae

---

[1]) De Vita Constantini l. 3, c. 48, apud Migne, Patrol. graec. tom. 20, p. 1107.

historiam ex ipsius aliorumque scriptis texuit Papebroch. in Actis SS. Maji tom. 3, pp. 36—50. Opera exhibet Migne, Patr. gr. tt. 41—43. Cfr. Bardenhewer, *Patrologie*, p. 297.

S. Germanus, patriarcha CPolitanus, e Cyzicena metropoli ad ecclesiam CP. assumptus an. 715, pontificatum ultro posuit an. 730, Anastasio iconoclasta ab impio Leone Isaurico in ejus locum intruso; ac nonagenario major migravit ad Dominum, a s. Gregorio PP. II. summopere laudatus et a synodo Nicaena II. sacris diptychis inscriptus. Martyrol. Rom. eundem hoc elogio celebrat: *CPoli s. Germani episcopi, virtutibus et doctrina insignis, qui Leonem Isauricum adversus sacras imagines edictum promulgantem magna fiducia redarguit.* Res gestas illustrant Acta SS. Maji tom. 3, pp. 153—159. Opera invenies apud Migne, Patr. gr. tom. 98, pp. 39—453. Recentiora dant Bolland. in *Biblioth. hagiogr. gr.*, p. 49.

ιγ'. 13. *Γλυκερίας μάρτυρος.*

Heracleae, in Thracia, *celeberrimae sanctae Glyceriae, martyris Romanae, quae sub Antonino imperatore et Sabino praeside passa est* circa an. 177 (Martyr. Rom. h. d.). Agunt de ea Bolland. Maji tom. 3, pp. 187—192, res gestas ex Menol. Basil., Menaeis et Actis martyrii diligenter eruendo.

ιδ'. 14. *Ἰσιδώρου μάρτυρος τοῦ ἐν Χίῳ.*

In insula Chio, maris Aegaei, *natalis beati Isidori,* ducis militum et *martyris sub Decio, in cujus basilica exstat puteus, in quem fertur fuisse injectus* (circa an. 250), *de cujus aqua infirmi saepe potati sanantur* (Martyr. Rom. die sequenti) Assemanus *Kal. E. U.* ad h. d. contendit, eundem etiam a Latinis, ut Alexandrinum, coli die 5. Februarii; geminum autem factum *Isidorum* hodiernum putat Morcelli, *Kal. Const.* h. d., quod Alexandrini, quia Alexandria oriundus erat [1]), suum dicebant, Chii vero, quod apud eos martyrium fecerat, suum esse confirmabant. Acta graeco-latina cum notis et commentario praevio sistunt Bolland. Maji tom. 3, pp. 443—450, et in append. pp. 62—63.

[1]) Menol. Basil. pp. 455—456.

ιε'. 15. Παχωμίου τοῦ Μεγάλου· καὶ Ἀχιλλίου ἀρχιεπισκόπου Λαρίσσης.

S. Pachomii M. memoriae recolendae Latini praecedentem diem assignarunt, hoc eum ornantes elogio: *In Aegypto s. Pachomii abbatis, qui plurima in ea regione monasteria erexit, et regulam monachorum scripsit, quam angelo dictante didicerat* (Mart. Rom.). Obiit apud Tabennenses monachos in Thebaide an. 349.

Ejus et dilectissimi discipuli ac demum successoris *Theodori ἡγιασμένου, sanctificati,* praeclaras res gestas describit Papebroch. Maji, tom. 3, pp. 287—356 vulgato etiam originali graeco Actorum in append. pp. 22—61. Aliam Vitam ex graeco in latinum a Dionysio exiguo versam habet Migne, Patrol. lat. tom. 73, pp. 227—282. — Regulam s. Pachomii cum ejusdem praeceptis ac monitis latine a s. Hieronymo redditam invenies apud Migne, Patrol. lat. tom. 23, pp. 59—100: juncto ejusdem Patrol. gr. tom. 40, pp. 947—952. Recentiores editiones accurate exhibet Bardenhewer, *Patrologie,* p. 245, indicatis etiam animadversionibus, quas de s. Tološam, sorore s. Pachomii, scripsimus in „Zeitschrift für kath. Theologie" 1882, pp. 373—374.

S. Achillei, archiepiscopi *Larissensis,* in Thessalia, vitam colligunt Bolland. ex Menol. Basil. et Menaeis Maji tom. 3, p. 464. Floruit sub Constantino Magno, in synodo Nicaena contra Arium decertavit, ad Dominum migravit an. 330.

ις. 16. Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου τοῦ ἡγιασμένου, μαθητοῦ τοῦ ὁσίου Παχωμίου.

Slav. *Prepodobnago otca našego Feodora osvjaščennago, učenika prepodobnago Pachomia;* rumen. *Cuv. par. nostru Teodoru santîtulu, invetiatielulu cuv. Pachomiu.*

S. Theodorum sanctificatum seu *consecratum,* discipulum s. Pachomii, Latini colimus die 28. Decemb. Obiit an. 368. Res gestas habes in Actis ejusdem s. Pachomii hesterno die indicatis. Cur vero *Sanctificati* nomen acceperit, Menol. Basil. sic explicat p. 457—458: *S. P. N. Theodorus propter sanctitatem ac puritatem ἡγιασμένος, Sanctificatus, dictus, ab*

infantia Deum amavit, . . . totus purus fuit et vas electionis, . . . Dei templum sanctumque habitaculum, . . . s. Pachomio ejusque ss. sociis contubernalis fuit et moribus similis apparuit; unde et maximam ἡγιασμένος appellationem promeruit. Juxta Menol. Mosquense ideo *Sanctificati* cognomen haberet, quod inter monachos Tabannenses omnium primus ad sacerdotium evectus fuisset; verum de sacerdotio Theodori silent Acta.

ιζ'. 17. *Ἀνδρονίκου καὶ Ἰουνίας τῶν ἀποστόλων.*

SS. Andronici et Juniae meminit s. Paulus Rom. 16, 7, *Salutate,* inquiens, *Andronicum et Juniam, cognatos, et concaptivos meos, qui fuerunt nobiles in Apostolis (τοὺς συγγενεῖς μου καὶ συναιχμαλώτους μου· οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις), qui et ante me fuerunt in Christo.* — De iis breviter quidem, sed accurate agit Papebroch. in Actis SS. Maji tom. 4, p. 4. — In Menolog. Basil. *S. Andronicus, unus ex septuaginta Christi discipulis, universum orbem percurrisse dicitur ὡς ὑπόπτερος, ac si alas habuisset, quibus subvectus esset, Christum ubique praedicans. — S. Juniam* feminam fuisse, non virum, consentiunt synaxaria omnia cum s. Chrysostomo[1]), Theodoreto[2]), aliisque interpretibus passim. Synopsis Dorothei[3]) contra *Juniam* et virum facit et cum Andronico episcopum; hunc quidem *Pannoniae,* Juniam vero Apameae in Syria. — Ex graeco textu s. Pauli solvi quaestio nequit, virne an femina fuerit, quum et *Ἰουνίαν* careat articulo; et ex graeco *τοὺς συγγενεῖς καὶ συναιχμαλώτους* nihil erui possit; nam praeterquamquod vocabula ista communis generis sunt, certum est, concurrentibus duobus diversi generis substantivis adjectivum potiori generi plerumque aptari.

ιη'. 18. *Τῶν ἁγίων μαρτύρων Πέτρου, Διονυσίου, Χριστίνης, Ἀνδρέου, Παύλου, Βενεδίμου, Παυλίνου καὶ Ἡρακλείου.*

SS. Petrus, Dionysius et socii martyres Lampsaci, in Hellesponto, sub Decio, Martyrologio Rom. inscripti sunt

[1]) Migne, Patrol. gr. tom. 60, pp. 669—670.
[2]) Ibid. tom. 82, p. 220.
[3]) Cfr. supra p. 134, ac vide etiam quae de ea mox notabimus pp. 172—174.

15. Maji, quo die et synaxarium habent in Menol. Basil. Eorundem Acta genuina ex quinque pervetustis codicibus primitivo stylo dant Bollandiani Maji tom. 3, pp. 450—451.

S. Theodotus cum sociis etiam ubique ipso hoc 18. Maji colendus proponitur. Martyr. Rom. de iisdem haec habet: *Ancyrae in Galatia s. Theodoti martyris et sanctarum Thecusae ejus amitae, Alexandrae, Claudiae, Fainae, Euphrasiae, Matronae et Julittae virginum, quae a praeside primum prostitutae, sed Dei virtute servatae, lapidibus ad colla ligatis in paludem mersae sunt: quarum reliquias collectas quum Theodotus honorifice sepelisset, comprehensus a praeside, saevissime dilaniatus est ac demum ense percussus martyrii coronam accepit* an. 304. Videantur Acta cum commentario historico apud Bollandianos Maji tom. 4, pp. 147—164. S. Theodotus honoratur solitarius d. 7. Junii.

ιθ'. 19. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Πατρικίου, ἐπισκόπου Προύσης, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*

S. Patricii, Prusae in Bithynia episcopi et trium sociorum martyrum Acacii, Menandri et Polyaeni memoriam venerantur Latini 28. April., quo die et Graeci in Menaeis secundarium s. Patricii festum agunt *περὶ κρίσεως, de judicio:* memoriam scilicet facientes celeberrimae ejus apud antiquos concionis *de judicio divino*, seu *de ignibus subterraneis* [1]). Apud Bolland. Acta prodierunt Maji tom. 4, Latine pp. 582—583, Graece ad calcem pp. LIV—LVI. Elogia ex Menol. Basil. pp. 463—466 aliisque libris liturgicis accuratius pertractat Mazoch. *Kal. Neap.* ad 19. Maji, tom. 2, pp. 304—404.

κ'. 20. *Θαλλελαίου μάρτυρος.*

Slav. *Talaleja muč.;* rum. *Talaleu mart.*

S. Thalelaeum seu *Thallelaeum* [2]), professione medicum, *ἀνάργυρον* [3]), et socios martyres, sub Numeriano imperatore

[1]) Refertur a Georgio Hamartolo *Chronic.* l. 3, c. 130, apud Migne, Patr. gr. tom. 110, pp. 511—514 atque ex eo decerpta a Cedreno in *Historiarum compendio,* ibidem tom. 121, p. 463—466.

[2]) Nomen ducunt a *θάλλός, ramus virens,* et *ἐλαία, oliva,* interpretanturque *oleaginam frondem gestans.*

[3]) Recolas quae supra notavimus p. 89.

an. 284[1]), in fastis suis Graeci Latinique hodie celebrant. Baronius eos in Martyr. Rom. passos scribit *Edessae in Syria;* verum Bollandiani ex libris liturgicis atque ex Actis genuinis ostendunt, eorundem certamen accidisse *Edessae Aegorum urbis, in Cilicia,* Maji tom. 5, pp. 10*—24*.

κα'. 21. *Τῶν ἁγίων ἐνδόξων, μεγάλων θεοσέπτων καὶ ἰσαποστόλων Βασιλέων, Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης.*

Sanctorum, gloriosorum, magnorum, a Deo coronatorum et Apostolis aequalium Imperatorum Constantini et Helenae.

Slav. *Svjatych velikich Carej i ravnoapostolov Konstantina i Eleny;* rumen. *Ss. mariti, sî mari Imperati incoronati de Domnedieu, sî intocm'a cu apostolii Constantinu sî Elen'a.*

Obiit Constantinus 22. Maji an. 337, ipso die Sacratissimae Pentecostes. Quamvis ecclesia latina religiosum *τοῦ μεγάλου καὶ ἰσαποστόλου βασιλέως* cultum non recepit, eum tamen et in fastis suis ut *piissimum imperatorem* celebrat (Martyr. Rom. d. 18. Aug.), et in jure sacro summis principibus ad imitandum proponit[2]). De Constantini Actis praeter Eusebium *de vita Constantini*[3]), Theodoret. *Hist. eccl.* l. 1[4]), aliosque veteres legi merentur Bollandiani Maji tom. 5, pp. 12—27.

Additur a Graecis hodie filio mater *Helena,* quam Latini colimus die 18. Augusti. Eam ad Dominum migrasse censent an. 327. *Piissimae et clementissimae Augustae,* ut passim appellatur[5]), memoriam iidem ornant, qui praeclaras res gestas magni filii scripserunt.

Synaxarista russus, qui supra ad 11. h. p. 158 *s. Genethlium* protulit, hodie quoque novum sanctum invenit; scilicet nomen graecum *βασιλέως, regis,* ex appellativo proprium

[1]) Omnes sancti, qui juxta *Numeriani* edicta capitalem sententiam subierunt, etiam post ipsius mortem, in Actis *Numeriano imperatore* passi dicuntur. Cfr. Bolland. ad h. d.

[2]) C. *In scripturis* 8. Dist. 96.

[3]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 20. Recentiores editiones refert Bardenhewer, *Patrologie,* p. 231.

[4]) Ibid. tom. 82, pp. 931—990.

[5]) Apud Morcelli, *Kal. Const.* h. d.

faciens Constantino et Helenae *s. Basilium* socium adjunxit! Sunt autem, qui synaxaristam ex lapsu oculi *sanctum Basiliscum,* de proxime sequenti occurrentem, hodie anticipando posuisse credant.

κβ'. 22. *Βασιλίσκου μάρτυρος.*

S. Basiliscus, s. martyris Theodori Tyronis ex fratre nepos, Comanae in Ponto celeberrimus martyr sub Maximiano, a Graecis Latinisque bis colitur: prima vice simul cum commilitonibus suis *Eutropio* et *Cleonico* 3. Martii, ubi et ejus Acta describunt Bollandiani, deinde solus peculiari celebritate hoc 22. Maji quo die lauream martyrii adeptus est, quemadmodum probat Mazoch. *Kal. Neap.* ad hunc diem. Martyrol. Rom. h. d. eum dicit *ferreas crepidas ignitis clavis confixas calceatum, multaque alia passum, demum capite obtruncatum et in flumen projectum martyrii gloriam consecutum,* quibus fere consonant synaxaria graeca. Putat quidem Morcelli *Kal. Const.* fastis graecis inscriptum primitus hoc die fuisse s. Basiliscum, Comanorum episcopum, martyrem distinctum a s. nostro milite; verum in omnibus libris liturgicis *συστρατιώτης* s. Theodori celebratur.

Commemoratio sanctae oecumenicae synodi secundae (a.381) hodie signata legitur in fastis gr. ruthenis.

κγ'. 23. *Μιχαὴλ ἐπισκόπου Συννάδων, τοῦ ὁμολογητοῦ.*

Utraque ecclesia, occidentalis atque orientalis, nomen *s. Michaelis, Synadarum archiepiscopi,* hodie memorat. Cum s. Theophylacto Nicomediensi sub s. Tarasio monachus, et a s. Nicephoro, hujus in Sede CPolitana successore, Synadarum, in Phrygia salutari, metropolita creatus, Romam legatus ad Leonem PP. III. missus est. Leonis Armeni impietatem postea redarguens, propter ss. imaginum cultum in exilium ejectus, in Eudociade cursum consummavit (c. 820). Egregiam de eo diatribam habes in Actis SS. Maji tom. 5, pp. 259—260.

κδ'. 24. *Συμεὼν τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει.*

Slav. *Iže na divnei gorě;* rumen. *celu dein muntele celu minunatu.*

S. Symeon Stylites, junior, θαυμαστορείτης, de monte mirabili, dictus, natus Antiochiae, in Syria, an. 521, quum omnem ferme vitam in variis columnis transegisset, ex maxima demum, in qua supra 45 annos steterat in *Monte mirabili,* prope Antiochiam, in coelum evocatus est an. 596 sub Mauricio imperatore. Montem vero, praecipuam sancti hujus viri palaestram, ex inauditis atque admirandis plane operibus s. Symeonis *Montis mirabilis* seu *admirandi* nomen accepisse, prologus vitae declarat apud Bollandianos Maji tom. 5, p. 310. Eum Dr. Alt oscitanter dicit *Oelberg* (h. d.).

Prolixae vitae praefixum habes eruditissimum lectuque jucundum commentarium Janningii, tum de Stylitis generatim, tum speciatim de sancto hoc *Symeone,* conferendum tamen cum iis, quae nuper de eodem argumento praeclare scripsit Delehaye, *Les Stylites,* pp. 13—14.

κε'. 25. *Ἡ τρίτη εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ προδρόμου.*

Tertia haec *inventio* seu *manifestatio (φανέρωσις,* ut Menaea habent) *pretiosi capitis s. Joannis Bapt.* (slav. *Tretije obrětenije čestnyja glavy svjatago slavnago proroka, predteči i krestitela Ioanna;* rumen. *A treia aflare a onoratului capu alu s. maritului prof. premergatoriu sî botezatoriu Joane)* facta dicitur Comanae in Cappadocia, unde ipsum s. caput allatum fertur CPolim sub Theodora et Michaele ejus filio, quemadmodum scripsimus supra ad d. 24. Febr.

κς'. 26. *Κάρπου ἀποστόλου, ἑνὸς τῶν ἑβδομήκοντα.*

S. Carpus, quem Graeci dicunt *ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, unum ex 70* discipulis Domini, Martyrologio Rom. inscriptus est d. 13. Octob. cum hoc elogio: *Apud Troadem, Asiae minoris urbem, s. Carpi, discipuli b. Pauli Apostoli,* qui apud eum se hospitatum esse declarat (II. Timoth. 4, 15). *Divinas s. Pauli epistolas ad illos, ad quos erant directae, deferendo multos ad fidem Christi adduxit,* ac tandem *a Deo gloriose magnificatus in pace decessit* (Menolog. Basil. h. d.).

κζ'. 27. *Ἑλλαδίου ἱερομάρτυρος.*

S. Helladii episcopi et martyris nomen in Martyrol. Rom. scriptum apparet die sequenti. Quo tempore ac loco

vitam pro Christo profuderit, historia non tradit; eum tamen in Oriente sub Persis in Syriam et Palaestinam invadentibus passum saeculo 6. aut 7. ac celebritatem a corpore CPolim translato in ecclesia graeca accepisse, suspicantur Bollandiani Maji tom. 6, pp. 703—704, ubi et varia ejus elogia ex Menaeis et synaxariis sistunt. — Plura Kalendaria graeca hodie etiam geminum *Therapontem* referunt, alterum *Cypri* episcopum et martyrem sub Maximiano ac CPolim translatum an. 806, alterum *Sardis,* in Lydia, presbyterum et martyrem. De utroque fuse agunt Bolland. tom. cit. pp. 674—685. — Qui his adduntur *ss. Didymus* et *Theodora,* martyres Alexandriae in Aegypto an. 303, a Latinis coluntur die 28. Aprilis, quo et Bolland. res gestas illustrant, ejusdem mensis t. 3, pp. 578—581.

κη'. 28. *Εὐτυχοῦς ἐπισκόπου Μελιτινῆς, ἱερομάρτυρος.*

S. Eutyches seu *Eutychius,* episcopus Melitinae, in Armenia minore, et martyr, in Menaeis *Apostolorum discipulus* vocatur. Deficientibus Actis Bollandiani ex Magnis Menaeis canonem graeco-latinum dant Maji tom. 6, pp. 727—729. Videndus autem Asseman. h. d. probans, sanctum hunc in Menaeis graecis perperam confusum esse cum *s. homonymo* ad d. 14. August. inscripto.

Ex Typico s. Sabae hodie in nonnulla Horologia assumptus est *s. Nicetas, episcopus Chalcedonensis,* quem iidem Bollandiani per conjecturam scripserant in aliquo monasterio Terrae sanctae obiisse saeculo 8. vel 9. tom. cit. p. 798; verum ex canone s. Josephi hymnographi apparet, eum Chalcedone occubuisse ac hodie celebrari, ut est apud Sergium archimandritam in *Svjatoj Vostok* ad hunc diem.

κθ'. 29. *Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Θεοδοσίας.*

Slav. *Svjatyja prepodobnomučennicy Teodosij;* rumen. *St'a. cuv. mart. Teodosia.*

Geminam *Theodosiam* hodie referunt Kalendaria graeca, *Tyrensem* alteram, alteram *CPolitanam.* Prioris hoc exstat in Martyrol. Rom. elogium d. 2. April.; quo eam comprehensam demonstrant Acta syriaca: *Caesareae, in Palaestina, passio s. Theodosiae virginis Tyriae, quae in perse-*

cutione Maximini quum ss. confessores ante tribunal stantes publice salutasset atque rogasset, ut quum ad Dominum pervenissent, sui recordarentur, a militibus tenta, ad Urbanum praesidem ducta, ejus jussu lateribus et mammis ad interiora usque dilaniatis, in mare tandem projicitur ipso die Paschatis an. 307. His consonant, quae de s. martyre habet Menol. Basil. 3. April. et 29. Maji; bis enim de *s.* Theodosia Graeci agunt. Praeter ea, quae de ejus martyrio scribit Euseb. *Martyr. Palaestin.* 7 [1]), legi poterunt Acta SS. April. t. 2, pp. 62—67 et Asseman. *Kal. E. U.*, h. d.

Alterius *Theodosiae,* CPolitanae, sub iconomachis passae an. 726 Acta cum commentariis invenies apud eosdem Bolland., Maji tom. 6, pp. 64—85.

λ'. 30. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰσαακίου, ἡγουμένου τῆς μονῆς τῶν Δαλμάτων.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Isakija obiteli Dalmatskija;* rumen. *Cuv. nostru par. Isacu celu dein manastirea Dalmatiei.*

S. Isaacius, abbas CPolitanus, Valenti imperatori Orientis, Ariano, generose in faciem resistens, ei mortem praedixit [2]). Vita sancte functus an. 383. Colitur praecipuo cultu hoc 30. Maji, die 3. Augusti vero cum successore suo *s. Dalmato,* a quo dictum est monasterium *τοῦ Δαλμάτου* et *τῶν Δαλμάτων* [3]), et ipse *s. Isaacius* per quamdam nominis *πρόληψιν* saepe *Dalmatorum hegumenus* vocatur [4]). Cfr. Acta SS. Maji t. 6, pp. 242—255.

Universae cognationi Basilii M. hunc diem sacrum esse apud monachos italo-graecos, jam dictum est supra p. 48; festum autem in eorundem Kalendariis sic ferme effertur:

---

[1]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 20, pp. 1481—1484.

[2]) Cfr. Theodoret. *H. E.* 4, 34 (al. 31) apud Migne, Patrol. gr. tom. 82, p. 1193; Sozomen. *H. E.* 6, 40, ibid. tom. 67, pp. 1413—1416 et s. Theophan. *Chronograph.* ibid. tom. 108, p. 193.

[3]) Ejus mentio etiam occurrit ad d. 6. Junii.

[4]) Alt, *Kirchenjahr,* titulum insciens vertit: *Isaak, Mönch in Dalmatien* (p. 189).

Τῶν ὁσίων Βασιλείου καὶ Εὐμελίας γεννητόρων τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, καὶ τῶν αὐτοῦ πατροπατόρων καὶ μητροπατόρων· μεγάλη β'.

Parentes etiam Martyrologio Romano hodie inserti leguntur. Alii ex familia aliis diebus ejusdem Martyrologii tabulis cum merito sanctitatis elogio solitarii inscripti sunt, ut ecce: *s. Petrus,* frater, episcopus Sebastenus, d. 9. Januarii; *s. Macrina,* paterna avia, d. 14. ejusdem mensis; *s. Gregorius Nyssen.,* frater, d. 9. Martii; *s. Macrina,* soror natu minima, d. 19. Julii.

Sancti Basilii M. *πατροπάτορες* et *μητροπάτορες* nominatim memorantur *s. Gregorius,* proavus paternus; *s. Theodora,* proavia paterna; *s. Gregorius,* avus. Ad eandem cognationem hodie gregatim celebratam praeterea spectant *ss. Isabella et Macrina,* aviae maternae; *s. Basilius,* avus paternus; *ss. Anastasius, Caesarius, Paulus, Demetrius,* fratres; *ss. Eusebia et Theodora,* sorores. Cfr. Martinov *An. gr. sl.* ad h. d.

λα'. 31. *Ἑρμείου μάρτυρος.*

Nomen *s. Hermae* militis, martyris, Comanis, in Cappadocia, sub Antonino imperatore, Latini etiam in suos fastos retulerunt ipso hoc die, quo et Menol. Bas. de eo agit. Acta vulgarunt Bolland. Maji tom. 6, pp. 416—419.

Qui vero hodie cum Herma milite a Slavis et Rumenis colitur *s. Hermas, ex 70 discipulis et apostolis, cujus meminit s. Paulus* Rom. 15, 4, Martyrologio Rom. insertus est die 8. April. Menaea solam ejus commemorationem habent d. 8. Martii; Menol. Basil. autem s. Hermam cum aliis discipulis proprio synaxario celebrat d. 5. Novemb.

Aliqua Kalendaria pro coronide mensis Maji colendum proponunt *s. Philosophum martyrem,* cui nomen ab egregio facinore inditum, quod nempe in molli culcita religatus provocanti ad libidinem meretriculae praemorsam dentibus linguam in vultum exspuisse legatur.

JUNIUS.

Μὴν Ἰούνιος, mensis Iunius; slav. *měsjac Iunij;* rumen. *lun'a lui Juniu;* arab. *Haziran.*

Junius mensis, sextus a Januario, ex s. Augustini sententia *loco citato p. 44,* a *Junone* est appellatus; alii vero cum Varrone eum sic nominatim volunt a *junioribus,* armis rempublicam gerentibus, ut dictum est in notatione *Maji.* Alias nominis origines ab aliis etymologis excogitatas, attulimus in *Comput. eccles.* c. 1, quas tibi videre licet.

α'. 1. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου, καὶ ἑτέρου μάρτυρος Ἰουστίνου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς.*

Slav. *Svjatago mučenika Iustina filosofa, i drugago mučenika Iustina i iže s nimi;* rumen. *S. mart. Iustinu filosofulu, sî altu mart. Iustinu sî celi impreuna cu densii.*

S. Justinum philosophum, genere Samaritanum, suis pro re christiana apologiis immortale nomen in terris atque martyrii lauream commeritum in coelis, hoc elogio honorat Martyrolog. Rom. d. 13. April.: *(In persecutione Marci Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi) Romae passus est vir mirabilis Justinus philosophus, qui quum secundum librum pro religionis nostrae defensione praefatis imperatoribus porrexisset, eamque ibidem disputando strenue propugnasset, Crescentis Cynici, cujus vitam et mores nefarios redarguerat, insidiis accusatus, quod Christianus esset, remunerationem linguae fidelis, martyrii munus accepit* circa an. 168. Leo PP. XIII. ejus festum ab universa Ecclesia celebrari praecepit d. 28. Julii 1882 [1]).

---

[1]) Romae in ecclesia s. Pudentianae officium proprium fit cum hac

E veteribus prae aliis legi de *s. Justino philosopho* merentur s. Irenaeus, qui ex illius scriptis, ut Eusebius recte adnotat *loco mox citando*, saepe saepius petere testimonia consuevit; ipse Euseb. *Hist. eccles.* l. 4, c. 16—19 [1]) et s. Hieronymi *de viris illustr.* c. 23 [2]); ex recentioribus autem Bolland. April. tom. 2, pp. 105—120, Mazoch, *K. E. N.* tom. 2, pp. 443—482, Ruggieri, *S. Giustino.* Romae typ. Tiberin. et Breviar. Rom. d. 14. April.

Opera dat Migne, Patr. gr. tom. 6. Qui in ea paene innumerabiles omnis generis scripti sunt commentarii, referuntur a Bardenhewer, *Patrologie*, pp. 87—99.

Praeter s. Justinum philosophum et apologetam Graeci inde a saeculo, ut Sergius archimandrita putat, decimo hodie et alterum s. Justinum colunt, qui cum *s. Charitone* et aliis quinque sociis martyrium fecisse perhibetur in libris liturgicis [3]). Verum duos s. Justinos martyres distingui non posse, aliis praeeuntibus statuit Mazochius l. c., qui hanc controversiam petitis ex ipsis Actis argumentis late atque erudite pertractat. Cfr. etiam Papebroch. Jun. tom. 1, p. 17.

β'. 2. *Νικηφόρου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ὁμολογητοῦ.*

S. Nicephorus, patriarcha CPolitanus, hodie quidem solemni veneratione colitur a Graecis; praecipuum ejus festum tamen agitur 13. Martii, ubi de eo jam egimus. Quare id unum est reliquum, ut prolato sanctissimi viri testimonio de suprema Romanae Sedis potestate ostendamus, quodnam fuerit,

---

oratione: *Deus, qui parvulis primum, ac per eos sapientibus mysteria tua revelare dignatus es: fac, intercedente beato Justino martyre tuo, qui insanam saeculi sapientiam dedoctus Christum crucifixum et discere meruit et docere, ut sanam stultitiae crucis doctrinam sectando, vere sapientes esse valeamus.* Cfr. Mazoch. ad h. d.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 363—374.

[2]) Apud eund. Patr. lat. tom. 23, p. 641—643.

[3]) Etiam in Anthologio festum sic annuntiatur: *S. martyris Justini, itemque alterius martyris Justini cum suis sociis.* Et Menolog. Basil. duplex synaxarium habet, alterum *de s. martyre Justino philosopho*, alterum vero *de s. martyre Justino καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ, et sociorum ejus.*

saeculo nono etiam, ante turbas a Photio excitatas, ecclesiae graecae de Romani Pontificis primatu et auctoritate judicium.

In *Apologetico pro sacris imaginibus* igitur de oecumenica synodo Nicaena II. disserens haec scribit n. 25 [1]): *Et quidem haec synodus summae auctoritatis est atque ad plenam fidem faciendam sufficiens, quia et oecumenica fuit, et omnino libera, et extra omnem calumniae reprehensionisque aleam posita, et cujusvis alieni dogmatis insons, culpaque carens;*

συγκεκρότητο γὰρ τοῦτο μάλιστα ἐνδίκως καὶ ἐννομώτατα· ἐπείπερ ἤδη, κατὰ τοὺς ἀρχῆθεν τετυπωμένους θείους θεσμούς, προῆγε κατ᾽ αὐτὴν καὶ προήδρευεν ὅσον τε τῆς ἑσπερίας λήξεως, ἤτοι τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης, μέρος οὐκ ἄσημον· ὧν ἄνευ δόγμα κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν κινούμενον, θεσμοῖς κανονικοῖς καὶ ἱερατικοῖς ἔθεσι νενομισμένον ἄνωθεν, τὴν δοκιμασίαν οὐ σχοίη, ἢ δέξαιτ᾽ ἄν ποτε τὴν περαίωσιν, ὡς δὴ λαχόντων κατὰ τὴν ἱεροσύνην ἐξάρχειν, καὶ τῶν κορυφαίων ἐν ἀποστόλοις ἐγκεχειρισμένων τὸ ἀξίωμα.

etenim celebrata fuit aequissime et in primis legitime; nam secundum edita antiquitus divina decreta praeeminebat in ea praesidebatque ex occidentali fastigio, hoc est, ex vetere Roma, pars non modica: sine quibus(Romanis)*ullum dogma, quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine fuerit antea ratum, nunquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur: quia illi sacerdotii principatum sortiti sunt, eamque dignitatem a duobus coryphaeis Apostolis traditam habent.*

Disertam hic habes graeci patriarchae confessionem supremae Romanorum Pontificum praerogativae non praesidendi solum oecumenicis conciliis, verum etiam ea confirmandi, ita ut sine illius auspicio et sanctione nulla dogmatica definitio peremptoria futura sit nec publicae praxi proponenda, quantumvis antea diu ventilata et usu sacerdotali rata; in qua confessione et illud sedulo notes velim, causam summi hujus privilegii sacrique principatus Romanae ecclesiae ab ipsis Apostolis Petro et Paulo repeti.

γ΄. 3. *Λουκιλλιανοῦ μάρτυρος.*

S. Lucillianus, qui aliis *Lucianus* [2]) dicitur, cum quatuor pueris et *Paula* virgine mirabile martyrium passus est Byzantii circa an. 273, sub Aureliano, in Martyrologio Rom. ad

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 100, pp. 597—598.

[2]) Id sequioris aevi scriptoribus in more fuisse positum, ut nomina diminutiva cum primitivis alterna facerent, in hunc locum animadvertit Mazoch. p. 512; et certe quemadmodum *Lucillianum* pro *Luciano* scriptum videmus, ita ipso hoc die *s. Paulam* ab aliis *Paulinam* vocatam legimus.

h. d. illustri encomio ornatus. Res gestas cum commentario descriptas habes in Actis SS. Jun. tom. 1, pp. 267—279.

Initium temporis clausi seu feriati in ordine ad matrimonium contrahendum, nonnullis Kalendariis latinis ad hunc diem inscriptum legimus. Antiquo jure canonico *tribus hebdomadibus ante festivitatem s. Joannis Baptistae nuptias fuisse prohibitas,* indeque colligi posse, quanta esset diligens et piissima veterum Christianorum solemnissimi hujus celebritatis apparatio, notabimus infra ad 24, quo die festum omnibus pietatis ac laetitiae significationibus agetur. Id porro impedimentum sublatum est novo jure conc. Trident. sess. 24, c. 10, de reformat. matrimon.

δ'. 4. *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μητροφάνους, πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως.*

Slav. *Iže vo svjatych otca našego Mitrofana, patriarcha Konstantina grada;* rumen. *Celu deintru santi par. nostru Mitrofanu, patriarculu Constantinopolului.*

Graeci Latinique hunc diem honori *s. Metrophanis,* primi Byzantinorum episcopi (315—325), sacraverunt.

Graeci eum, Mazochii sententia, *κατὰ πρόληψιν patriarcham CPolitanum* dicunt, scilicet quum caeteroquin nec CPolis esset, multo autem minus ejus episcopus patriarchali dignitate ornaretur; Morcelli judicio autem ipsa *patriarchae* appellatio ad *primum* potius urbis *episcopum* tanquam *patrem patrum* designandum usurpata est, quum ex una parte alii quandoque in Kalendario ecclesiae CPolitanae *archiepiscopi* solum appellentur vel etiam *episcopi* tantum, ut *s. Paulus* ad diem 2. Septembris, qui tertius a s. Metrophanae fuit [1]; ex altera vero parte constet, ante hoc tempus Byzantium Heracleae episcopo paruisse, ac Constantino imperante primum a territorio Heracleensi abstractum, peculiarem episcopum obtinuisse, quod argumentum Janningus late persequitur in Actis SS. Jun. tom. 1, pp. 383—387 contra Pseudo-Dorotheum et, qui hunc secuti

[1]) Etiam in Cod. syr. vatic., n. 21, Metrophanes „episcopus CPolitanus“ vocatur.

sunt, Nicephoros, tum patriarcham in *Chronico*[1]) tum Callistum in *Hist. eccles.* l. 8, c. 6[2]).

A Photianis autem nova fabulosorum episcoporum nomina apud Pseudo-Dorotheum eo consilio excogitata esse, ut non sine causa cum ecclesia Romana de primatu contendere viderentur, recte est animadversum a Cave, *Histor. liter.* pp. 109—110, edit. Coloniae Allobrog., aliisque supracitatis p. 134; s. Andream *πρωτόκλητον* enim ante Byzantinae ecclesiae fundamenta jecisse dictitabant, quam Petrus se Romam contulisset! Porro a Photii temporibus commentitiorum episcoporum nomina recepta esse, nos praeter alia docet Menologium Basil., in quo ad diem 31. Octob. *s. Stachys* a s. Andrea Apostolo *episcopus Byzantii* ordinatus legitur, quod tamen Eusebius caeterique proximarum aetatum scriptores, immo et ipsa ecclesia CPolitana usque ad octavum saeculum — ipsius Kalendario teste — penitus ignoraverunt, ac Chronicon Paschale[3]) l. c. aperte falsitatis convincit, originibus episcopatus CPolitani certum hoc testimonium praebendo: *Τῆς ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἐκκλησίας ἡγεῖται πρῶτος Μητροφάνης ἔτη ι΄, Byzantinae ecclesiae primus praeest Metrophanes annos 10.* Aliorum virorum doctorum disputationes de fabulosis illis episcopis, qui Byzantinae ecclesiae ante s. Metrophanem praefuisse finguntur, memoratas videre per otium poteris apud Cuperum Bollandianum in *Dissert. hist. chron. patr. CP.*[4]) et apud Mazochium ad h. d.

ε΄. 5. *Δωροθέου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Τύρου.*

S. Dorotheus Tyri, in Phoenice, *episcopus, qui sub Diocletiano multa passus et usque ad Juliani tempora superstes, sub eo annum agens septimum supra centesimum, venerandam senectam martyrio honestavit* Odyssopoli (hodie Varna) in Mysia inferiore an. 362. Ita Martyr. Rom. h. d., ubi tamen per errorem *presbyter* dicitur.

De puerili rhapsodia, quae *de prophetis, apostolis et 70 discipulis* agit ac vulgo (Pseudo-) Dorothei synopsis

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 100, pp. 1043—1044.
[2]) Ibid. tom. 146, pp. 27—28.
[3]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 92, pp. 699—761.
[4]) Tomo 1. Augusti Act. SS. praefixa.

inscribitur, deque *serie episcoporum Byzantinorum*[1]), eo fine, ut ad diem praecedentem dictum jam est, a malae fidei hominibus conficta, ut Byzantinus episcopatus prior Romano institutus credatur, sancto martyri nostro perperam adscriptis, consule Janningum in Actis SS. Jun. tom. 1. pp. 429—430 itemque Ducange, Cave, Cuperum ll. cc., caeteros recentiores scriptores apud Hergenröther, *Photius, Patriarch von CP.* tom. 1, pp. 5—7 laudatos, qui ecclesiarum origines accuratius persequuntur.

Janningus praeter Dorotheum *Tyri ep. et mart.* et praeter alium *s. Dorotheum presbyterum Antiochenum,* et *Pseudo-Dorotheum,* praedictae synopseos auctorem, tres alios ejusdem nominis Dorotheos distinguit *Thebarum* unum, qui prope Alexandriam floruit saeculo quarto, *archimandritam* alterum, qui Thebano duobus saeculis posterior vixit prope Gazam, tertium denique *juniorem* sive *in Chiliocomo*[2]) cognominatum, qui saeculo undecimo ineunte monasticam vitam egit prope Pontum Euxinum. Eorumdem res gestas ibidem ex ordine illustrat in Corollario ad h. d. pp. 582—604.

Sanctum Dorotheum in multis libris liturgicis hodie praecedunt *ss. Marcianus, Nicander* et alii octo martyres Aegyptii, sub Galerio Maximiano, quorum *illustre martyrium* in Martyrol. Rom. ad h. d. memoratur et in Actis SS. Jun. tom. 1, pp. 412—414 fusius describitur.

ϛ'. 6. *Ἱλαρίωνος τοῦ νέου, ἡγουμένου τῆς μονῆς τῶν Δαλμάτων, καὶ Βησαρίωνος τοῦ Θαυματουργοῦ.*

S. Hilarion, junior dictus cum respectu ad Magnum Hilarionem, *abbas* celeberrimi *monasterii τῶν Δαλμάτων*[3]), confessor sub iconomachis, a s. Theodora Augusta de exilio revocatus, miraculis clarus obiit anno Christi 845, suo 70. Ejus gestis lumen affundunt Bollandiani tom. cit. pp. 745—748.

---

[1]) Apud Le Quien, *Or. christ.* tom. 1, pp. 197—205 et Nicephor. Callist. l. c.

[2]) *Χιλιώκομος, Chiliocomus,* locus erat non admodum dissitus ab urbe Ponti Amiso.

[3]) De hoc monasterio vide Ducangium *CPolis Christian.* l. 4, c. 8, junctis iis quae de *s. Isaacio* adnotavimus supra ad d. 30. Maji, p. 167.

Βησαρίων, Βησσαρίων, Βασαρίων, Βισσαρίων, — varie enim scribitur — anachoreta eremi Sceti in Aegypto, sanctitate et miraculis celebris floruit sub finem saeculi quarti. Martyrologio Rom. insertus est 17. h. m., quapropter et Jun. t. 3, pp. 240—243 vitam ex omnibus, quos habere potuit, fontibus collectam dedit Henschen. in Actis SS.

In multis Kalendariis slav. memorantur etiam ss. virgines ac martyres *Thecla* et *Susanna cum sociis,* de quibus videatur egregia adnotatio apud Martinov. *An. gr. slav.* ad h. d.

ζ'. 7. *Θεοδότου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Ἀγκύρας.*

De *s. Theodoto Ancyrano episcopo et martyre* vide quae praelibavimus jam supra ad d. 18. Maji p. 162, ubi conjunctim cum septem virginibus martyribus colitur.

η'. 8. *Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου τοῦ στρατηλάτου.*

Translatio reliquiarum s. martyris Theodori ducis exercitus ex urbe Heraclea in Ponto Euchaïtam. Primarie colitur die 8. Febr., ubi de eo egimus p. 96.

ϑ'. 9. *Κυρίλλου πάπα Ἀλεξανδρείας.*

De *ss. Cyrillo et Athanasio* junctim egerunt Graeci 18. Januarii, ad quem diem jam pauca ex graecis fontibus deprompsimus. S. Cyrillus utrobique solus patriarchali pallio indutus et *tiaram* rotundam in capite gestans in antiquis Kalendariis effigiatis apud Papebroch. et Martinov. exhibetur, cujus rationem ibidem etiam attulimus. Verum quod erat apud orientales proprium solius patriarchae Alexandrini, ut mitra uteretur, hoc postea reliquis patriarchis et archiepiscopis graecis tributum est.

Titulum *πάπα, Papae,* quod spectat, animadvertendum est, id nominis, initio proprium omnium episcoporum [1]), post ad Romanum Pontificem et Alexandrinum patriarcham restrictum fuisse [2]), ac tandem inde a saeculo quinto Summum Pontificem

---

[1]) Cfr. Thomassin. *Vet. et nova disciplin.* part. 1, l. 1, c. 4 et l. 2, c. 3; et Mamach. *Origin. et antiquitat. christ.* l. 4, p. 1, c. 4.

[2]) *Papae* tituli patriarchae Alexandrino saeculo tertio tributi exempla

ob eminentem ejus dignitatem *Papam,* nullo alio addito, appellari consuevisse [1]).

S. Cyrilli festum Leo PP. XIII. etiam in Ecclesia latina agi mandavit decreto d. 28. Juli 1882, solemnitati ejus celebrandae assignato die 9. Febr., ubi etiam authenticum vitae compendium reperies in Breviar. Rom.

ι'. 10. *Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀντονίνης μαρτύρων, καὶ Τιμοθέου ἐπισκόπου Προύσης, ἱερομάρτυρος.*

CPoli ss. Martyrum Alexandri militis et Antoninae virginis, quae in persecutione Maximiani sub praeside Festo ad lupanar damnata, et ab Alexandro, qui pro ea ibi remanserat, mutato habitu clam educta, cum eo postmodum jussa est torqueri, et ambo simul praecisis manibus in ignem pro Christo injecti egregio peracto certamine coronantur an. 313. (Martyr. Rom. d. 3. Maji), CPolim postea translati ibique celeberrimum cultum nacti. Acta vulgarunt Bollandiani Maji tom. 1, latina pp. 383—386, graeca vero in Appendice pp. XLI—XLII. Simile certaminis genus habetur supra in Actis ss. *Theodorae* et *Didymi* die 27. Maji. — De misera conditione christianarum foeminarum lenonibus traditarum plura lectione digna notavit Baronius ad 21. Jan. in *S. Agnete* et ad diem 3. Maji in martyribus nostris.

Alia Kalendaria ritus graeci hunc diem auspicantur ab encomio s. *Timothei, episcopi Prusae,* in Bithynia, martyris sub Juliano, de quo praeclaram syllogem historicam exhibent Acta SS. Jun. tom. 2, pp. 270—271.

Initium jejunii s. Joannis Baptistae in nonnullis antiquis Kalendariis latinis hodie consignatum legimus; ad praescriptam apparationem celeberrimae solemnitatis s. Joannis Baptistae scilicet plurium dierum jejunia pertinebant, quemadmodum patet ex conc. Salegunstadiensi an. 1022, c. 1. statuente: *Ut quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem s. Joannis Baptistae in abstinentia sint carnis et sanguinis, nisi infir-*

dat Euseb. *Hist. eccl.* l. 7, c. 2 (apud Migne, Patr. gr. tom. 20, p. 648) et Epiphan. *Haeres.* 69 (ibid. tom. 42, pp. 209 et 213).

[1]) Vide Thomassin. l. c. c. 40 et Cenni *Dissert.* 5, tom. 1, p. 152.

mitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quae in illo episcopio celebris habetur, intercidente (apud Hardouin, *Conc.,* t. 6. p. 828). Ex consuetudine ecclesiae latinae nunc unum diem vigiliae cum jejunio agimus.

ια'. 11. *Βαρθολομαίου καὶ Βαρνάβα τῶν Ἀποστόλων.*

S. Bartholomaeus Apostolus una cum *s. Barnaba* hodie solemni veneratione a Graecis colitur. Latini de solo *Barnaba* agunt, priori ad mensem Augusti dilato. Martyrologium Rom. eum hoc effert elogio ad h. d.: *Natalis s. Barnabae Apostoli, qui natione Cyprius, a discipulis cum Paulo gentium Apostolus ordinatus multas regiones cum eo peragravit, evangelicae praedicationis injunctum sibi opus exercens; postremo Cyprum profectus ibi* (Salaminae) *apostolatum suum glorioso martyrio decoravit* anno, ut plures cum Mazochio censent, 76, *cujus corpus tempore Zenonis imperatoris ipso revelante repertum est* sub arbore ceraso (an. 478), *una cum codice evangelii Matthaei sua manu descripto* [1]). De Actis s. Barnabae consule Bolland. Jun. tom. 2, pp. 415—454 et Bibliothec. hagiogr. gr., p. 17, ac vide etiam Mazochium ad h. d. pp 535—574, ubi et p. 566 testimonium Severi patriarchae Antiocheni de evangelio s. Matthaei in Barnabae tumba reperto sistit ex Asseman. *Bibliothec. orient.* tom. 2, c. 9, p. 81.

Honoratur s. Bartholomaeus Romae, quo corpus allatum ad insulam Tiberinam, 25. Augusti, alibi per occidentales Latinorum ecclesias 24. ejusdem mensis. In Graecorum Menologio quoque memoratur ad 25. Augusti: *ἡ ἐπάνοδος τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Βαρθολομαίου*, *relatio reliquiarum s. Bartholomaei, Apostoli.* De s. Bartholomaeo fuse agunt Bolland. Augusti tom. 5. pp. 7—108, censentque: *1.* S. Bartholomaeum non alium esse a *s. Nathanaele* [2]), qui Joan. 1, 45—51 a Philippo ad Christum adductus legitur [3]),

[1]) Cfr. Georg. Cedren. *Histor. compend.* in Zenone, apud Migne, Patr. gr. tom. 121, pp. 673—674.

[2]) Contra Menaea graeca, quae ad d. 22. April. habent: *Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ναθαναήλ, ὅς ἐστι Σίμων ὁ Ζηλωτής.*

[3]) Vide quae de hac cognitione diximus supra ad d. 22. April., p. 143.

quapropter et Ecclesia latina *s. Nathanaelem,* utut in evangeliis commendatum, in suis fastis non memorat; 2. *Albanum, urbem majoris Armeniae,* ubi sepultus dicitur in Breviar. Rom., eandem illam videri, quam vulgo *Van* sive *Iban* vocant, sitam juxta lacum incolis dictum *Argis* seu *Arsissam.* Utrumque tamen rejiciendum putat Aucherus apud Mösinger *Vita et martyrium sancti Bartholomaei Apostoli ex sinceris fontibus armeniacis in linguam latinam conversa* (Salisburgi, Zaunrith, 1877), quem legisse intersit.

ιβ'. 12. Ὀνοφρίου καὶ Πέτρου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ.

S. Onuphrius, anachoreta, paulo ante mortem in interiori eremo Aegypti a Paphnutio divinitus inventus, floruit saeculo IV. aut V., in Martyrologio Rom. etiam praeclaro encomio decoratus ad h. d. Res gestas pluribus describunt Bolland. Jun. tom. 3, pp. 16—30.

Sancti Onuphrii festo Graeci hodie conjungunt memoriam *s. Petri,* anachoretae *in monte Atho* omnium primi (slav. *Prepodobnago Petra Athonskago*, rumen. *Cuv. Petru de la Atonu)* atque s. Onuphrio, si vitae rationem spectes, quam simillimi. Ejus vitam ex majorum catholicorum traditione a schismatico quidem [1]), sincere tamen scriptam exornant Bollandiani tom. cit. pp. 32—53; exornatamque denuo exhibet Migne, Patrol. gr. tom. 150, pp. 989—1040. Ea vero adeo nihil continet, quod schisma sapiat, aut pium sanumve non sit, ut multa immo solis catholicis propria reperiantur in ea, uti sunt iter romanum, reverentia erga Summum Pontificem, inque monachum Romae divino oraculo ejus inauguratio.

Exstat et alia Petri vita juxta *Patericum Athonicum* a Nicolao quodam monacho scripta, quam Porphyrius, episcopus Tchigiriensis sic ordinat: an. 667 Petrus bellando contra Arabes in Syria, ab his est in captivitatem abductus; an. 676 libertati donatus Romam veterem adiit, tum montem Atho an. 681, ubi et decessit an. 734. Anno 969 corpus ejus a monachis delatum fuit in Thraciae vicum dictum Photocomi, ubi illud se vidisse testatur laudatus Nicolaus, biographus.

Celeberrimus et olim et nunc est mons *Athos,* in finibus Macedoniae situs, inter sinum Strymonicum ad aquilonem, et Singiticum

[1]) Scilicet a *Gregorio Palama,* qui ex monacho archiepiscopus Thessalonicensis creatus an. 1349, haeresi et schismati immortuus est.

ad meridiem, totoque longo dorso in mare Aegaeum exporrectus, *ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης διῆκον*, uti Menaea habent ad d. 5. Julii. A solis monachis graecis seu *calogeris* inhabitatus eamque ob causam a Turcis *Monastir* dictus, passim *ἅγιον ὄρος*, *mons sacer*, turcice *Seidigag*, appellatur, non quidem a coenobiorum multitudine et sanctis illorum religiosorum exercitationibus, sed vero a sanctitate Petri nostri, ab ipsaque Deipara sic nominatus. Petro quippe navi Roma in Asiam solventi Beatissima Virgo in visu apparens, *est in Europa*, inquit[1]), *pulcherrimus juxta atque summus mons, qui versus Libyam longe in mare excurrit. Hunc ego e toto terrarum orbe elegi, atque decoram et aptam monastico instituto habitationem fieri decrevi: quin immo ipsum mihi proprium consecravi domicilium, atque imposterum vocabitur* sanctus *(καὶ ἅγιον τοὐντεῦθεν καλήσεται)*. Ejusdem montis incolae saeculo XIII. adhuc uniti erant Ecclesiae catholicae; quum enim Innocentio Papae III. humiliter supplicassent, ut libertates sibi suas confirmare seque sub beati Petri ac sua ipsius Papae protectione suscipere dignaretur, Pontifex, ipsorum votis satisfacturus, omnibus abbatibus et monachis montis sancti praeclarum atque honorificum testimonium praebet Rescripto gratiae ad ipsos dato die 17. Januar. 1213, quod hic in forma extensa sistendum censemus, ut et futilitas appareat argumenti, quod recentiores quidam Graeci eruere ex sanctitate antiquorum Patrum Athonicorum volunt pro defensione schismatis, et in aprico simul ponatur calumnia, quam auctores libri *Patericon Montis Atho* Sedi Apostolicae petulanter inferunt, ipsam in causa fuisse, cur monachi montis sacri invasiones vexationesque occidentalium passi sint[2]). Rescriptum igitur sic habet: *Relatione illustrium et magnorum virorum nostro est apostolatui declaratum, quod ille qui est mons domus Domini, praeparatus in vertice montium, ut ad eum confluant omnes gentes, Sanctus videlicet Sanctorum, qui Ecclesiae fundamentum in sanctis montibus collocavit, montem vestrum, super mare positum, ad inhabitandum suis fidelibus praeelegit, qui effectum sui nominis et numinis in se habens, licet aridus sit et asper, et temporalis fertilitatis gratia destitutus, est tamen inter alios mundi montes maxima spiritualium ubertate mirabiliter foecundatus. Nam quum trecentis monasteriis et gloriosa religiosorum virorum multitudine arctam et pauperem vitam ducentium decoretur, tanta usque modo refloruit excellentia honestatis, tanta religionis eximiae claritate refulsit, ut de ipso cum Jacob recte possit quis dicere admirando:* Vere sanctus est iste locus, *quia hic est domus Dei, et quaedam quodammodo porta coeli, ubi multitudo coelestis exercitus, tanquam castrorum acies*

---

[1]) Apud Bolland. l. c. p. 39, n. 11 et apud Migne l. c. p. 1006.

[2]) Videndus Martinov. *An. eccl. gr. slav.* ad d. 4. Januar., a quo ea de re multa praeclare sunt animadversa contra eos, qui odiosis hujusmodi mendaciis utuntur, ut conterraneos suos decipiant, deceptosque in schismate detineant.

ordinata et parata suscitare Leviatan, victoriose pugnat jugiter cum dracone; psallens Domino sapienter. Propter quod quum jam dudum fama vestri nominis, quae fuerat effusa sicut oleum circumquaque, multos populos ad se traxerit in odorem unguentorum vestrorum, ipsos currere faciens a remotis, ecclesiarum praelati et imperatores CPolitani pluresque principes saeculares per privilegia sua olim tantae libertatis praeeminentia vos dotarunt, ut post Deum, cui vos volebant libere famulari, nullius unquam essetis jurisdictioni subjecti. Caeterum, peccatis exigentibus, nunc ex parte has infregit mundana potentia libertates per quemdam Dei et Ecclesiae inimicum, qui latrunculis congregatis in quodam castro, quod idem in monte vestro construxerat per auxilium brachii saecularis, non solum ecclesias vestras tanquam praedo sacrilegus et crudelis auro, argento et ornamentis omnibus spoliavit, verum etiam ut pecuniam exhauriret, quam vos credebat ille perditionis filius congregasse, tanquam insanus carnifex atque tortor peremit crudeliter quosdam vestrum multiplici genere tormentorum; sed tandem sua prava intentione frustratus, quam in camino cupiditatis ignis avaritiae succendebat, exinde justitia exigente per imperatoris potentiam est ejectus. Unde ne cujusquam praesumptoris audacia, volentis jurisdictionem aliquam super vos sibi temere usurpare, vestra pax et tranquillitas de caetero perturbetur, nobis humiliter supplicastis, ut vestris vobis libertatibus confirmatis sub beati Petri ac nostra protectione vos suscipere dignaremur. Volentes igitur paci et quieti vestrae paterna sollicitudine providere, vestris justis postulationibus inclinati, personas et locum in quo divino estis obsequio mancipati, possessiones etiam et omnia vestra bona, quae impraesentiarum rationabiliter possidetis, vel in futurum justis modis, dante Domino, poteritis adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Libertates autem et immunitates rationabiles et antiquas ac etiam approbatas, prout in vestris privilegiis dicitur contineri, vobis et per vos monasteriis vestris auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. . . . Datum Laterani XVI. Kal. Febr. anno (Christi 1213) *Pontificatus nostri 16* [1]).

Ex incredibili multitudine librorum de rebus athonicis agentium, qui passim in lexicis ecclesiasticis et encyclopaedicis referuntur, paucos hos memorasse, instituto nostro suffecerit:

Müller, *Historische Denkmäler in den Klöstern des Athos,* apud Miklosich, Slavische Bibliothek, tom. 1, Viennae 1837.

Langlois, *Le mont Athos, les monastères et les dépôts littéraires de la Presqu'île sainte.* Parisiis, Didot, 1866.

Λαμπρός, Κατάλογος τῶν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις τοῦ Ἁγίου Ὄρους ἑλληνικῶν κωδίκων.

— *Περὶ τῶν παλιμψήστων κωδίκων τῶν ἁγιορειτικῶν βιβλιοθηκῶν. Ἀθήνησιν.* 1888.

[1]) Innocent. PP. III. Regest. seu epistol. l. 16, epist. 168, apud Migne, Patr. lat. tom. 216, pp. 956—958.

ιγ'. 13. *Ἀκυλίνης μάρτυρος καὶ Τριφυλλίου ἐπισκόπου Λευκοσίας.*

Graeci litera *Q* carentes *Ἀκυλίναν* scribunt pro *Aquilina,* ut et masculinum *Ἀκύλας* pro *Aquila.*

S. Aquilinae Martyrologium Rom. h. d. meminit hoc cum elogio: *Bybli in Palaestina* [1]) *s. Aquilinae virginis et martyris, quae annos duodecim nata, sub Diocletiano imperatore et Volusiano judice ob fidei confessionem colaphis et verberibus caesa et subulis candentibus perforata* [2]), *demum percussa gladio virginitatem martyrio consecravit,* juxta Mazoch. anno 309. Illustre certamen ejus ex antiquis monumentis plenius describunt Bollandiani Jun. tom. 3, pp. 165—171.

In multis libris liturgicis Graecorum et in Martyrologio Rom. s. Aquilinam comitatur *s. Triphyllius, episcopus Leucosiae,* in Cypro, vir humanarum divinarumque literarum cognitione insigniter ornatus, a s. Hieronymo *de viris illustr.* c. 92 [3]), Sozomeno *Hist. eccles.* l. 1, c. 11 [4]) aliisque scriptoribus celebratus; floruit saeculo quinto mediante atque in synodo Sardicensi an. 347 locum habuit. Res gestas habes in Actis SS. tom. cit. pp. 174—178.

ιδ'. 14. *Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου, καὶ Μεθοδίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.*

Officium ecclesiasticum s. Methodii invenitur mixtim junctum officio s. Elisaei prophetae.

S. Methodius, natione *Siculus,* professione monachus, a s. Nicephoro patriarcha CP. cum literis synodicis Romam missus an. 821 [5]), et vicissim a s. Paschali PP. I. cum auctoritate Nuntii Apostolici ad imperatorem Michaelem Balbum

[1]) Menol. Basil. rectius habet in *Phoenicia.*

[2]) *Subula* ferramentum erat subtile oblongum, peracuta acie instructum, quale est, quo cerdones et sutores corium perforant suendi causa. De cruciamento *candentium subularum* cfr. Baron. in *notis Martyrol.* ad h. d.

[3]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 23, p. 695.

[4]) Apud eund. Patr. gr. tum. 67, pp. 889—890.

[5]) Fuerat s. Nicephorus Dominica Paschae an. 806 patriarcha ordinatus, verum usque ad an. 821 prohibitus fuit ab imperatore, quominus synodicas Romam mitteret. De eo plura notavimus supra ad 13. Martii.

ablegatus, quum *iconomachorum haeresim doctis argumentis et scripturarum dictis evertere adorsus esset fidemque orthodoxam sanctissimis Dei ecclesiis proponere, eamque ob causam* sub imperatoribus iconomachis *multas tentationes aerumnasque sustinuisset* (Menol. Basil.), a s. Theodora Augusta, mortuo Theophilo ejus viro, ejectoque Joanne seu Janne pseudopatriarcha, *exantlatorum certaminum praemiis onustus*[1]) patriarcha constituitur an. 842[2]), statimque haeresim iconoclastarum, quae sub Leone Isauro exorta et sub Leone Armeno resuscitata fuerat, opem ferente s. imperatrice, post annos 120 tandem plane dissipavit, instituto etiam proprio *festo orthodoxiae,* quo sacrarum imaginum restitutionem quotannis celebrari Dominica I. Quadragesimae diximus supra ad 11. Febr. Obiit 847, Martyrologio etiam ad h. d. inscriptus. Laudes et res gestas complectuntur Bollandiani tom. cit. pp. 439—451. Iis plura addit Migne, Patrol. gr. tom. 100, ubi de scriptis ejusdem sancti agit pp. 123—1332.

S. Elisaeus propheta, Magni Eliae discipulus, claruit saeculo nono ante Christum. Res gestas persequuntur libri 3. et 4. Regum; cultum Bollandiani tom. cit. pp. 273—275.

Quod supra jam p. 48 memoravimus festum *s. Basilii M.,* Kalendariis italo-graecis ad hunc diem ita legitur inscriptum:

Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου τοῦ Μεγάλου, ἀρχιεπισκόπου καὶ διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας· μεγάλη α' σὺν τῇ ἑορτῇ ὀκταημέρῳ, h. e., *Sancti patris nostri Basilii Magni, archiepiscopi et Ecclesiae doctoris,* dupl. 1. cl. c. Oct.

ιε'. 15. *Ἀμὼς τοῦ προφήτου.*

S. Amos, tertius inter prophetas minores, vaticinatus est saeculis nono ad finem vergente et octavo ineunte. Martyrologio Rom. insertus legitur ad 31. Martii, ubi ejus certamen summatim narratur. Plura dant Bollandiani ejusdem

---

[1]) Ita Leo Allatius vertit graecum *ὁ ἀθλοφόρος Μεθόδιος (Vit. c. 2. n. 11* in Actis SS. l. c. p. 44), proprie *ἀεθλοφόρος, praemium certaminis ferens, in certaminibus victor.*

[2]) Inter s. Nicephorum et s. Methodium medii interjacent tres pseudopatriarchae *Theodotus, Antonius* et *Joannes* seu *Jannes,* omnes novi Iconoclastarum antesignani.

mensis tom. 3, pp. 894—895. In synaxario Menologii Basil. die sequenti dicitur *pater Isaiae, magni prophetae;* sed errorem jamdudum emendarat s. Hieronymus in *Isaiam c. 1* ita docens [1]: *diversis apud Hebraeos scribuntur literis; iste* (pater Isaiae) *primam et extremam literas habet* Aleph *et* Sade, *ille* (propheta) Ain *et* Samech. Eadem postea repetit in *prooemio in* ipsum *Amos,* expresse etiam animadvertens, solas literas Mem et Vav utrique nomini esse communes [2].

Aliqua Kalendaria slavica, Assemano teste, sancto prophetae Amos jungunt *martyres Siculos,* sub Diocletiano, *Vitum puerum* et nutritores ejus *Modestum, paedagogum,* qui *πάππας* in Vita graeca nominatur, *et Crescentiam, nutricem ejus,* quam Syracusia voce feminina ex *πάππας* formata, *papatissam* vocant Acta. Nobile certamen breviter enarrat Martyrol. Rom. ipso hoc die. De eorundem martyrio ac cultu post Bolland. tom. cit. pp. 491—519 fusius scripsit Mazoch. h. d.

ις'. 16. *Τύχωνος Ἀμαθοῦντος τοῦ θαυματουργοῦ.*

De *s. Tychone thaumaturgo, episcopo Amathuntis,* in Cypro insula, Graeci Latinique hoc die agunt. Floruit saeculo quinto. Vitam ex officio, per s. Josephum hymnographum composito, eruunt Bolland. Jun. tom. 4, pp. 79—83.

ιζ'. 17. *Μανουήλ, Σαβὲλ καὶ Ἰσμαὴλ μαρτύρων.*

Chalcedone sanctorum martyrum fratrum Persarum *Manuelis, Sabelis et Ismaelis, qui pacis causa apud Julianum apostatam pro* Sapore II., *rege Persarum, legatione fungentes quum imperatoris jussu idola venerari compellerentur idque constanti animo recusarent, gladio feriuntur* an. 362 (Martyr. Rom. h. d.). Haec omnia uberius ex Actis describunt Bolland. tom. cit. pp. 231—237.

Menaea ac Kalendaria graeca cum Martyr. Rom. praeterea colendos proponunt *ss. Isaurum et alios quatuor socios martyres,* patria Athenienses, qui passi exhibentur Apolloniae, in Macedonia. Cfr. Bolland. l. c. pp. 230—231.

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 24, p. 22.

[2]) Ibid. tom. 25, p. 990.

ιη'. 18. *Λεοντίου μάρτυρος.*

Tripoli, in Phoenicia, s. Leontii militis, qui sub Hadriano praeside, una cum Hypatio tribuno et Theodulo, quos convertit ad Christum, per acerba tormenta pervenit ad coronam martyrii (Martyrol. Rom. h. d.), *βασιλεύοντος Οὐεσπασιανοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, quo tempore Vespasianus Romanorum imperium tenebat,* quemadmodum initium habet encomii illustrati in Actis SS. tom. cit. pp. 454—467.

ιθ'. 19. *Ἰούδα Ἀποστόλου.*

S. Judas, qui et *Thaddaeus* et *Levi* et *Zelotes,* frater s. Jacobi [1]), *τοῦ ἀδελφοθέου, Domini frater secundum carnem et ipse cognominatus (οὗτος ἀδελφὸς κατὰ σάρκα χρηματίζων τοῦ Κυρίου*: Men.); slav. *brat Gospoda po ploti;* rumen. *fratele Domnului cé dupa trupu,* a Latinis colitur cum suo coapostolo Simone die 28. Octobris.

SS. Apostolos Jacobum et Judam, *fratres,* h. e., consanguineos *Domini,* non Josephi, sponsi Deigenitricis, filios fuisse, quemadmodum ex orientali traditione per errorem docet Menol. Basil., sed vero Alphaei seu Cleophae, fratris ejusdem s. Josephi, apud eruditos constat. Legi ea de re meretur Stiltingii *commentar. de fratribus Domini* tomo 6. Sept. Act. SS. praefixus. Sancti Judae apostoli officium graecolatinum habes in iisdem Actis SS. Jun. tom. 4, pp. 669—671. — Caeterum *Judam Thaddaeum, fratrem Jacobi,* confundendum non esse cum alio *Thaddaeo,* uno ex 70 discipulis apostolo, ad Abgarum, Edessae regem misso ac graecis fastis inscripto ad 21. Augusti, pluribus declarabitur infra ad ipsum hunc diem p. 254.

κ'. 20. *Τοῦ ἁγίου Μεθοδίου ἐπισκόπου Πατάρων.*

Slav. *Svjatago svjaščenomučenika Metodia episkopa Patarskago;* rumen. *S. santîtulu mart. Metodiu episcopulu Patareloru.*

---

[1]) In sacris literis fere semper vocatur cum addito diacritico *frater Jacobi* (Luc. 6, 16; Act. 1, 13; Jacob. 1), ut nimirum a Juda altero, Iscariote, distinguatur.

S. Methodius, Olympi simul et *Patarorum,* in Lycia, postea Tyri, in Phoenicia, episcopus, *vir,* Epiphanii *Haeres.* 64, § 63 judicio [1]), *apprime doctus et veritatis patronus (ἀνὴρ λόγιος καὶ σφόδρα περὶ τῆς ἀληθείας ἀγωνισάμενος),* in Martyr. Rom. hoc elogio exornatur ad diem 18. Septembris: *Natalis s. Methodii, Olympi Lyciae et postea Tyri episcopi, sermonis nitore ac doctrina clarissimi, qui ad extremum novissimae persecutionis, ut scribit s. Hieronymus* [2]), *in Chalcide Graeciae martyrio coronatus est* circa an. 312, a ss. Patribus maximis laudibus celebratus. Opera vulgavit Migne, Patr. gr. tom. 18. — Henschenius quidem putaverat in Actis SS. ad ipsum hunc diem, duos esse Methodios, alterum *Patarorum,* alterum *Olympi* primum, deinde *Tyri* episcopum; verum recte, ut videtur, observatum a Lequienio est *Orb. christ. tom. 1, p. 976,* Methodium hodiernum Olympi simul et Patarorum episcopatum gessisse. — Opera invenies apud Migne Patr. gr. tom. 18; varia variorum commentaria in ea vulgata apud Bardenhewer, *Patrologie,* p. 172.

κα'. 21. *Ἰουλιανοῦ μάρτυρος τοῦ Ταρσέως.*

S. Julianus Anazarbenus, Aegaeae in Cilicia martyr, *cum serpentibus sacco inclusus et in mare demersus* (Martyr. Rom.) in Actis SS. illustratur ad d. 16. Martii pp. 415—418, certamine descripto ex s. Joan. Chrysost. *Hom. 47. ad populum Antiochen.* [3]). Cognomen *Tarsensis* habet, quod ab eodem s. Joan. Chrysost. appelletur *συμπολίτης τοῦ Παύλου, concivis Pauli,* quae verba de regione Ciliciae sunt accipienda. In Martyr. Rom. et in Kalendariis graecis s. Juliano jungitur *s. Terentius, episcopus et martyr,* de quo videri possunt Acta SS. Jul. tom. 5, pp. 58—66.

κβ'. 22. *Εὐσεβίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Σαμοσάτων.*

S. Eusebii episcopi Samosateni, in Syria, *qui tempore Constantii imperatoris ariani sub habitu militari incognitus ecclesias Dei visitabat, ut in fide catholica illas confirmaret;*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 41, pp. 1177—1178.
[2]) *De viris illustr.* c. 83; apud Migne, Patr. lat. tom. 23, p. 691.
[3]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 50, pp. 665—666.

sed reddita pace Ecclesiae tempore Theodosii ab exilio revocatus, quum iterum ecclesias visitaret, tegula ab ariana muliere desuper immissa, confracto capite martyr tandem occubuit an. 379 (Martyrol. Rom. d. 21. Jun.). Acta dant Bolland. ex Theodoreto jctis. libris ritualibus t. cit. pp. 204—208.

κγ'. 23. Ἀγριππίνης μάρτυρος.

S. Agrippina virgo Romana et martyr sub Valeriano, in Siciliam translata multis miraculis coruscat (Martyr. Rom. h. d.). Non minus Agrippinae nomen virtutis laude, quam prodigiorum fama celebratum, praesertim apud Graecos et Siculos, multis ostendunt Bollandiani tom. cit. pp. 390—402, exhibito etiam ex magnis Menaeis officio proprio graeco-latino.

Vigil. s. Joan. Bapt. *Benedictio caryophyllorum* [1]) in Basilica Lateranensi, ante I. vesper.

Sacro huic ritui insignis quaedam vicinia esse deprehenditur cum *benedictione herbarum medicinalium,* olim superstitiose in domibus suspensarum, cujus rationes inferius declarabuntur d. 15. Aug., p. 249. Peragitur autem ab Emo. Cardinali, vesperas jamjam celebraturo, his adhibitis precibus:

Deus in adjutorium. — Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritualis et largitor aeternae salutis: Tu, Domine, mitte bene✝dictionem tuam et bene✝dicere digneris hunc fructum caryophyllorum, quem nos in tuo nomine bene✝dicimus, ut, qui eum portaverint [2]), *aut gustaverint, in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, in amore tuo vivant et senescant; multiplicentur in longitudinem dierum, sintque armati virtute coelestis defensionis ac proficiat eis ad aeternam salutem.* Per Ch. D. N. — *Oremus. — Benedicat vos gestantes et portantes hunc fructum caryophyllorum Deus; custodiat vos Dominus J. Ch.; ostendatque Dominus faciem suam in vobis et misereatur vestri; convertatque vultum suum ad vos et det vobis pacem; impleat vos Christus omni bene✝dictione spirituali in remissionem omnium peccatorum vestrorum pariterque vitam habeatis aeternam. Amen.*

Quibus dictis, Episcopus, accepta mitra, ponit incensum, benedicit, et postquam ter asperserit, adolet.

---

[1]) *Καρυόφυλλον*, notissimus flos odorifer, ital. *garofano*, gall. *girofle*, germ. *Nelke*.

[2]) Crastina die Romani sacra haec caryophylla vestibus aspersa atque inserta prae se ferunt, ea ferme ratione, qua Hiberni festo s. Patritii trifolio festive exornati incedunt.

κδ'. 24. *Τὸ Γενέθλιον*[1]) *τοῦ τιμίου, ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου.*

Nativitas venerandi, gloriosi prophetae, praecursoris et Baptistae Joannis.

Slav. *Roždestvo česztnago, slavnago proroka, predteči i krestitelja Ioanna;* rumen. *Nascerea onoratului, maritului profetu, premergatoriu sî batezatoriu Joane;* arab. *Mîlâd Jûchannâ el-maʿm'dân;* syriac. *ʿîdâ d'maulâdê d'mâr Jôchanân maʿm'dânâ.*

Natalem Joannis B. ab antiquissimis temporibus ecclesiae omnes communi consensu hodie celebrant, ut adeo Mazochius *Kal. Neap.* ad h. d. non immerito scribere potuerit, solemnitatem hanc ab ipso Ecclesiae exordio inchoatam ad nos usque pervenisse. Papebrochius cum praeclaro commentario de rationibus festi etiam reliqua sancti Joannis B. monumenta ad hunc diem congessit in Actis SS. tom. cit. pp. 591—691, ut uno in loco quidquid ad alias quoque ejusdem solemnitates pertinet, simul ob oculos exhiberet. Sunt vero, monente Morcellio, et posteriores Paciaudi curae memorandae, quas ut nobis non negligendas duximus supra ad diem 24. Febr., ita et hic in rem nostram convertimus.

Splendidissima hujus diei solemnitas in jure canonico adeo celebris habetur, ut maximis *ἑορταῖς δεσποτικαῖς* Paschatis et Natalitiorum Domini ferme exaequetur. *Non oportet,* inquit c. 10. C. XXXIII. q. 4, *a Septuagesima usque ad Octavas Paschae, et tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis Baptistae, et ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit separentur*[2]). Quapropter mirandum non est, in eo agendo Christianos antiquitus nullum studii officiique genus, nullum splendoris et gloriae indicium praetermisisse.

Et initio quidem Latini trium missarum sacrificiis diei solemnitatem colere consueverant: cuius longaevae piaeque consuetudinis amplissima testimonia ex sacris monumentis atque ex omni ecclesiastica antiquitate collecta videre licet apud Paciaud., *de cultu s. J. Baptistae,* dissert. 4, cc. 1 et 2. Veteris hujus pie-

[1]) In Kal. CP. a Morcellio edito legitur *Γενέσιον*, quae vox et in Matthaei evangelio (14, 16) occurrit *(Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου)* et apud Marcum (6, 2) legitur *(Ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει).*

[2]) Ex concil. Salegunstad. an. 1022, c. 3. Hardouin tom. 6. p. 828.

tatis causas affert antiquus auctor, olim Alcuinus creditus, qui, vertente saeculo nono, sic scribit[1]) *lib. de divinis officiis*, c. 30: *ideo tres missae celebrantur in festivitate s. Joannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, ut viam Domini praepararet exemplo suae conversationis, qui triumphus celebratur in vigilia*[2]) *ejusdem* (missa de nocte). *Per ministerium baptismi claruit insignis; hujus ministerii triumphus in prima missa* (primo mane) *recolitur. Nazaraeus permansit ex utero matris suae; hoc donum recolitur in die* (ad missam). Triplex sacrum igitur eo spectabat, ut memoria recoleretur *et officii Praecursoris, et Baptistae ministerii: et quia Nazaraeus permansit,* ut Ordo Rom habet cap. ult.

Deinde ut festum solemnius evaderet, majorique cum celebritate perageretur, a fidelibus plures adhibiti sunt ritus non sacri, in se tamen indifferentes et adiaphori, ideoque tales, quos sibi permitti vulgus hodieque impune postulat, quum quae ejusmodi ritibus olim adhaeserat ethnica superstitio, jamdudum apud eruditos christianos detersa sit[3]). Ex iis tres prae caeteris afferri merentur: *ignis festus,* qui in pervigilio s. Joannis accendi solet et cum populari laetitia conjungi; *rotae igneae volutatio* et *ritus scruta colligendi atque cremandi* adveniente festo s. Joannis Baptistae. De singulis pauca haec accipe.

Ignis s. Joannis, inquit Conrad. Mel. in *Antiquario sacro,* sect. 3, c. 3, *inde nomen habet, quia ab antiquis Christianis in altissimis montibus accendebantur strues lignorum in memoriam Joannis Baptistae, qui tanquam lumen ardens Judaismo obtenebrato lucem praeferebat ad Christum cognoscendum.* Addit Paciaudus, op. cit. Dissert. 8: *In hoc illud perdiligenter observari fas est, antiquos illos Christianos divinorum librorum oraculis edoctos hanc innocentissimam publicae gratulationis significationem, hosque rogos invexisse. Scitum namque illud Joannis Theologi c. 5, qui de Baptista ait:* ille erat lucerna ardens et lucens: vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. *Ideoque Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus Euthymiusque ad hunc locum ajunt, quod quemadmodum nocte nubila ac tenebricosa si quisquam face praelata viam nobis commonstret, gestire, efferri, exultare gaudio solemus: ita profecto animo reputantes, Joannem erranti homini lucem splendoremque affudisse maximum, decere nos omni perfrui alacritate.* Sic igitur factum est, ut lignorum strues in montibus accenderentur populusque laetabundus, editis his piae exultationis signis, sancto Praecursori acclamando *in Nativitate ejus gauderet* (Luc. 1, 14). Hinc autem

[1]) Migne, Patr. lat. tom. 101, p. 1230.

[2]) Ad nocturnum hoc officium pertinet rubrica antiqui Ritualis Basilicae Lateranensis: *Curia* Summi Pontificis *in pervigiliis s. Joannis Baptistae ad illum sacrum fontem vespertinis horis vacat, sequentisque deinde noctis vigilias celebrat.* Apud Paciaud. dissert. 3.

[3]) Cfr. *Johannesfest* in „Kirchenlexikon" t. 4, pp. 1418—1419 ed. 2,

patet, solemne hoc publicae gratulationis indicium omnem vituperationem effugere ac nominatim immune ab illis vanis ac superstitiosis ritibus esse, quos synodus Trullana seu quinisexta *(πενθέκτη)* proscriptos voluit anno 692 can. 65:

Τὰς ἐν ταῖς νουμηνίαις ὑπό τινων πρὸ τῶν οἰκείων ἐργαστηρίων ἢ οἴκων ἀναπτομένας πυρκαϊάς, ἃς καὶ ὑπεράλλεσθαί τινες κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπιχειροῦσι, ἀπὸ τοῦ παρόντος καταργηθῆναι προστάσσομεν κ. τ. λ.

Qui[1]) *in noviluniis a quibusdam ante suas officinas et domus accenduntur, rogos, supra quos etiam antiqua quadam consuetudine salire nonnulli inepte ac delire solent, jubemus deinceps cessare* etc.

Ritus *rotam volvendi* multis a *τροπῆς* aestiva manasse videtur, quod sol, quum in festo s. Joannis in Zodiaco ad summum gradum pervenerit, *conversionem (τροπήν)* cursus sui et anni mutationem faciat, et descendere per diem Joannis incipiat, ut nimirum omnium rerum vicissitudo in memoriam revocetur. Verum altius petenda est hujusce moris origo, ac *rotae igneae conversio* praeter rerum humanarum ortum atque interitum sublimiora mysteria significare putanda est. *S. Augustinus* quippe illa s. Baptistae verba Joan. 3, 3 perpendens: *illum oportet crescere, me autem minui,* disertissime admonet, oraculo ejusmodi nihil esse verius, multisque illud confirmari argumentis, tum etiam si tempora invicem componantur, quibus uterque in lucem editus est. *Quod et Natalibus eorum ostenditur,* inquit; *nam ille natus est, sicut tradit Ecclesia, VIII. Kalendas Julias, quum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus VIII. Kalendas Januarias, quando dies incipiunt crescere*[2]). *Magnum sacramentum! Joannis, sicut Christi, Nativitas plena est mysterio*[3]). *Mysterium loquuntur et dies. Nascitur Christus: et augentur; nascitur Joannes: et minuuntur*[4]). Et quia veteres Christiani sensiles quasdam imagines usurpabant ad ea adumbranda, quae in sacris literis arcana latebant sententia, iisque typicis figuris mysteria ipsa sub aspectum ponere satagebant, hanc rotae volutationem in Natali Praecursoris rudem populum docuerunt, qua satis apte arcanam inter utrumque differentiam, Joannis imminutionem, Christi autem incrementa, exprimi rebantur. Sed ea de re videas Paciaud. l. c.

Tandem *ritum ossa et scruta colligendi atque cremandi* adveniente Natali s. Joannis Baptistae nonnulli ex quadam gentis

---

[1]) Hardouin, tom. 3, pp. 1685—1686. Refertur cum commentariis Balsam., Zonar. et Arist. apud Migne, Patr. gr. tom. 137, pp. 739—744.

[2]) In psalm. 132, n. 11, apud Migne, Patr. lat. tom. 37, p. 735, et alibi saepius, ut serm. 194, n. 2, ibid. tom. 38, p. 1016; serm. 287, n. 3, ibid. p. 1302; serm. 288, n. 5, ibid. p. 1308; serm. 380, tom. 39, p. 1683.

[3]) Serm. 289, n. 5, ibid. tom. 38, p. 1311.

[4]) Serm. 380, n. 8, ibid. tom. 39, p. 1683.

Judaicae consuetudine novae legi non adversanti petunt, appropinquante scilicet festo Paschatis domum studiosius everrendi, emundandi, ac quicquid inconcinnum et sordidum erat comburendi, amovendi, aqua et igne purgandi, ne quid in tanta solemnitate oculos offenderet. Guil. Durandus autem in *Rationali divinorum officiorum*, l. 7, c. 14 hujus caeremoniae originem ex *Levit.* c. 26. accersit, ubi illud habetur: *Vetera novis supervenientibus projiciatis*, inde sic inferens: *abjiciunt ergo pueri vetera et comburunt ad significandum, quod adveniente nova lege vetus testamentum debet cessare.* Id porro, notante Paciaudo l. c., apprime congruit Natali s. Joannis, de quo in evangelio Lucae 16, 16 legimus: *Lex et prophetae usque ad Joannem*, quique idcirco veteris testamenti limes novique ingressio a ss. patribus nuncupatur [1]).

Et haec quidem satis multa pro instituti nostri ratione. Lectorem pleniores crateras cupientem remittimus ad Gretserum *de festis* et Paciaudum cit., qui haereticorum de hisce ritibus criminationes gravissime exagitant doctissimeque refutant.

κε'. 25. *Φεβρωνίας ὁσιομάρτυρος.*

S. Febroniae monachae et sociarum martyrum Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia, sub Diocletiano, circa an. 304, illustre certamen brevi compendio cum Martyrolog. Rom. rituales Graecorum libri hodie referunt, fusius Acta graecolatina apud Bolland. Jun. tom. 7, pp. 12—31, et syriaca cit. ab Asseman. in *Bibl. orient.* tom. 4, p. 19.

Quod in aliorum sanctorum nomenclationis diversitate fieri animadvertimus [2]), ut pro varietate linguarum nomina alterentur, id in nostra sancta quoque accidisse videmus; a Coptis enim *Afrania*, ab Habessinis *Kephronia*, a Siculis demum *Prophonia* sive *Prophronia* appellatur. *Sibapolis* autem, ubi eam ex Actis martyrium fecisse dicit Martyr. Rom., antea divisim scribebatur *Σίβα πόλις*, uti etiam patet ex Menol. Basil., quod habet: *ἐν πόλει καλουμένῃ Σίβει, in urbe, quae vocatur Sibis.* Nec dubium est, quin eadem sit ac *Nisibis* illa celebratissima, quam Syri initio quidem

[1]) Cfr. s. Augustin. serm. 293, n. 2, apud Migne, Patr. lat. tom. 38, p. 1328.

[2]) Sic v. g. *Παρασκευή*, *Parasceve* seu *Parascevia*, a Latinis *Praxedes*, a Siculis *Venera* sive *Veneranda*, a Ruthenis *Piatanka*, a Serbis *Petka* vocatur, ut dicemus infra ad diem 26. Julii.

Nesibin, postea vero, vocem capite detruncando, *Siba* (unde *Sibapolis)* et *Soba* vocabant. Videsis Mazoch. ad h. d.

κϛ'. 26. *Δαβὶδ τοῦ ὁσίου τοῦ ἐν Θεσσαλονίκῃ.*

S. David, anachoreta Thessalonicensis; slav. *Iže v Selunĕ;* rumen. *Celu dein Tesalonicu*, quum ex Oriente in Macedoniam venisset, in plantario extra moenia urbis Thessalonicensis *in amygdalina arbore nidulum veluti avis canora sibi compegit, omnes quidem sermonibus salutaribus oblectans, ipse vero mentem suam velut alatam extulit in divinam sublimitatem.* Ita Menaea juncto synaxario Menol. Basil. ad diem sequentem. Floruit circa an. 540, Martyrologio Romano etiam insertus ad h. d. Plura de eodem in Actis SS. Jun. tom. 7, pp. 155—157. Bollandianos tamen fusior ejus Vita latuit, quae, Nicodemo synaxarista teste, exstat in libro dicto *Καλοκαιρίνῃ*. Nunc conferri debent Rose, *Leben des hl. David von Thessalonike,* Berlin, 1887, et notae criticae in eandem Vitam a Papageorgiu scriptae in *Byzantinisch. Zeitschrift,* II, 1893, 287—289.

κζ'. 27. *Σαμψὼν ὁσίου τοῦ Ξενοδόχου.*

S. Sampsonis, ex vetere Roma oriundi, *presbyteri* magnae ecclesiae CPolitanae, *peregrinorum et pauperum exceptoris* (Martyrol. Rom. h. d.); slav. *Strannoprijmca,* rumen. *Primitoriulu de straini,* vitam scripsit Metaphrastes, quam exhibet Migne, Patr. gr. tom. 115, pp. 267—308 cum commentariis et translatione latina a Bollandianis ad latus graeci textus apposita Jun. tom. cit. pp. 233—249. Floruit temporibus s. Menae patriarchae et Justiniani imperatoris, teste Menol. Basil., ob profusissimam in egenos liberalitatem omnibus *laborantibus et aegris portus salutaris factus (λιμὴν σωτήριος τοῖς πενομένοις καὶ ἀσθενοῦσι)*, ideoque sanctis *ἀναργύροις* haud immerito adnumeratus.

κη'. 28. *Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων τῶν ἁγίων καὶ θαυματουργῶν ἀναργύρων Κύρου καὶ Ἰωάννου.*

Inventio (Menol. Basil.) *et translatio* (Menaea) *reliquiarum ss. Cyri et Joannis, medicorum sine mercede cu-*

rantium; slav. *Prenesenije moščej svjatych i čudotvorcov bezsrebrennikov Kyra i Ioanna;* rumen. *Aducerea mosteloru santîloru sî facatoriloru de minuni celoru forà de argentu Ciru sî Joane.* Hujus festi rationes tetigimus supra ad d. 31. Januarii.

κθ'. 29. Τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων καὶ πρωτοκορυφαίων Πέτρου καὶ Παύλου.

Sanctorum gloriosorum et omni laude praedicandorum apostolorum et principum Petri et Pauli.

Slav. *Svjatych slavnych i vsechvalnych verchovnych apostol Petra i Pavla;* rumen. *SS. maritii sî a totu laudatii sî mai marii Apostoliloru Petru sî Paulu;* arab. *Butrus va Bûlus er-rasûlîn*; syriac. *'îdâ d'mâr Patros va d'mâr Paulos.*

Κορυφαῖος, princeps, a *κορυφή, vertex, cacumen, fastigium, apex,* sanctis Apostolis Petro et Paulo latiori quodam sensu commune cognomen factum est; verum solus Petrus propter primatum jurisdictionis ipsi a Christo Domino in universam Ecclesiam collatum *ἐξαιρέτως* ac proprie est diciturque *ὁ κορυφαῖος* [1]), *ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων* [2]), *ὁ κορυφαῖος τοῦ μακαρίου χοροῦ τῶν ἀποστόλων* [3]), *apostolici chori princeps,* scilicet

Τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων, ὁ στῦλος τῆς ἐκκλησίας, τὸ στερέωμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁλιεύς, ὁ τὸ γένος ἡμῶν ἀπὸ τοῦ βυθοῦ τῆς πλάνης εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναγαγών,	*Os Apostolorum atque discipulorum, columna Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in coelum adduxit, caput illius*

---

[1]) Ita s. Joan. Chrysost. *Hom. 22. in Act. Ap.* n. 1, apud Migne, Patr. gr. tom. 60, p. 171; et, ut e Graecis sequioribus etiam testis adducatur, s. Nicolaus patriarcha CP. (895—924) *de vita monastica* § 8, solum Petrum vocat *κορυφαῖον*, Paulum vero *κήρυκα, praeconem.* Apud Migne, Patr. gr. tom. 111, p. 400.

[2]) Ibid. *Hom. 29. ad Rom.* p. 660.

[3]) Ibid. tom. 51, *Hom. in parabolam de talentis,* p. 20, et *Hom. 6. Act. Ap.* tom. 60, p. 56.

ἡ κεφαλὴ τῆς φρατρίας [1]) ἐκεί-νης, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης προστάτης, *familiae, orbis totius praefectus,*

quemadmodum appellationis vim ex genuina mente Patrum [2]) egregie declarat s. Joan. Chrysost. [3]), atque ex eo vel ipse Prologus slav. apud Martinov *ad h. d.* sanctum Petrum disertis verbis nominando *pastyriu vladyčnyj vsěch apostol,* hoc est, *omnium Apostolorum pastorem principem.*

Ex innumeris fere titulis, quibus Graeci primatum Petri hodie in divino officio [4]) profitentur, hos ex Menaeis memorasse sufficiat. *Πέτρα καὶ κρηπίς, petra et fundamentum* (Vesper.); *ἡ πέτρα τῆς πίστεως* [5]), *petra fidei* (Matut. *ὑπακοή*); *ἡ κρηπὶς τῆς πίστεως, fun-*

---

[1]) *Φρατρία* (al. *φατρία*) proprie est tertia pars tribus populi, curia, deinde vero latius sumitur pro coetu, conventu, sodalitio, collegio, societate hominum, maxime eorum, qui propria sibi sacra communiaque habent.

[2]) Huc facit notissimum illud s. Petri elogium apud Ps. Dionys. Areopag. *de divinis nominibus* c. 3, § 2: *ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, suprema ista et antiquissima summitas theologorum* (apud Migne, Patr. gr. tom. 3, p. 682), junctis verbis canonis concilii Nicaeni secundi: *ἡ κορυφαία τῶν ἀποστόλων ἀκρότης, summum Apostolorum fastigium* (apud Hardouin. Concil. tom. 4, p. 489—490).

[3]) *Hom. de talentis* cit. juncta Hom. in illud: *Hoc autem scitote,* ejusdem Patrol. tom. 56, p. 275.

[4]) Hujus officii genuino atque integro textui ex vetustissimis codicibus restituendo insignem operam impendit Card. J. B. Pitra in commentario *Hymnographie de l'Eglise grecque, dissertation accompagnée des offices du 16 janvier, du 29 et 30 juin en l'honneur de saint Pierre et des Apôtres.* Rome, 1867: qui *commantarius* novis accessionibus auctus iterum editus est in ejusdem Eminentissimi viri opere maximo ac laboriosissimo *Analecta sacra Spicilegio Solesmensi parata.* Parisiis, 1876. Doctissimi hujus libri censuram non ita pridem honorifice scripsit cl. D. *Lamy,* prof. Lovaniensis, in Actis literariis Revue catholique, 1878, tom. 1, pp. 540—557, tom. 2, pp. 5—29.

[5]) *Ἐν τῇ ὑπακοῇ* post odam tertiam legitur in antiquis et genuinis exemplaribus: *Πέτρε, τῆς πίστεως ἡ πέτρα, Παῦλε, καύχημα τῆς οἰκουμένης, ἐκ τῆς Ῥώμης συνελθόντες στηρίξατε ἡμᾶς.* Quem textum recentiores schismatici corruptum sic ediderunt in Menaeis et in Horólogio: *Ἀλλ' ὦ Παῦλε ἀπόστολε, τὸ καύχημα τῆς οἰκουμένης προφθάσας ἡμᾶς στήριξον.* Atque hic obtinere videmus, quod Gregorius PP. XVI. in literis ad Card. metropolitam Lewicki d. d. 1841 scribit: *Nec refert, si recens apud hos aliqua in libris liturgicis resecta forsan hoc in genere* (sc. testimonia primatus Petri) *aut subdole immutata fuerint, quum immo ex mutationibus hujusmodi nedum ipsarum auctores inexcusabiles fierent,*

damentum fidei (Laud.); ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων [1]), *princeps Apostolorum* (Vesper.); ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, *primus princeps Apostolorum* (Matut. ᾠδὴ α′); προστάτης καὶ πρόεδρος ἐκκλησίας, *praefectus et praeses Ecclesiae* (ibid.); πρόεδρος τῶν ἀποστόλων [2]), *praeses Apostolorum* (Matut. ᾠδὴ ζ′); τῶν ἀποστόλων προεξάρχων, *Apostolorum primus princeps* (Vesper.); κλειδοῦχος τῆς χάριτος, *claviger gratiae* (Matut.); κλειδοῦχος τῆς οὐρανῶν βασιλείας, *claviger regni coelorum* (Vesper.). Horum omnium vim ac rationem strictim attigit Card. Metropolita Lewicki, *literis encyclicis* cit. p. 51, et latius explicat Tondini probationemque inde deductam pro confirmando primatu Petri perspicue expolit *loco supra cit. ad 16. Jan.*, p. 72.

Idem hoc argumentum ex officio syriaco ss. Apostolorum Petri et Pauli erutum copiose et abundanter tractavit D. Martin in Actis theologicis *Revue des sciences ecclésiastiques*, an. 1877, pp. 97—131, 322—358, 501—543: quod opusculum utique cum aliis ejusdem cl. viri commentariis quum in iisdem Actis editis [3]), tum et separatim vulgatis attentius legisse juverit.

Duorum Apostolorum certamen Martyrologio Rom. inscriptum legitur hoc cum encomio: *Romae natalis ss. Apostolorum Petri et Pauli, qui eodem anno* Christi 67 *eodemque die* 29. Junii *passi sunt sub Nerone imperatore: quorum prior in eadem Urbe capite ad terram verso cruci affixus et in Vaticano juxta viam triumphalem sepultus, totius orbis veneratione celebratur; alter vero gladio animadversus et via Ostiensi sepultus pari habetur honore* [4]). Eandem solemni-

---

sed ipsa quoque illorum testimoniorum vis illustrior per eam fraudem ac manifestior evaderet.

[1]) Ἡ κορυφαία κρηπὶς τῶν ἀποστόλων, *summum fundamentum Apostolorum*, vocatur in crastino *officio omnium Apostolorum* (Laud.).

[2]) Ὁ ἔξαρχος τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν, *princeps chori discipulorum*, appellatur in *officio s. Marci*, d. 25. April. (Matut.); et πρωτοστάτης χοροῦ τῶν ἀποστόλων in *officio s. Petri Alexandrini* d. 25. Nov. (Matut.).

[3]) Saint Pierre et le rationalisme devant les églises orientales, 1876, tom. 1, pp. 305—336 et 401—426.

[4]) De veneratione reliquiarum ss. Apostolorum praeclarum testimonium perhibet Cajus Romanus, ineunte saeculo tertio, in epistola ad Proclum, relat. apud Euseb. *Hist. eccl.* l. 2. c. 25, ita scribens:

Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανόν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν.

Ego vero Apostolorum tropaea possum ostendere; nam sive in Vaticanum, sive ad viam Ostiensem pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam istam fundaverunt. (Migne, Patr. gr. t. 20, pp. 209—210.)

tatem cum Graecis Latinisque fere universae ecclesiae Orientis hodie agunt. In vaticanis Kalendariis syriacis mscr. simpliciter annuntiatur *Coronatio principum Apostolorum Petri et Pauli.* Cod. 77.

Apostolorum principes Petrus et Paulus antiquitus ad nobilissimam illam *συνοδίαν* pertinebant, qua Christus Deus, Rex gloriae, *mundum volens adventu suo piissimo consecrare* (Mart. Rom.), *ἀξίως παραπεμφθείς, digne comitatus,* prodiit. Quapropter et exeunte mense Decembri honoratam eorum memoriam legimus: apud Syros [1]) et Hierosolymitanos [2]) die 28. apud Armenos autem 27. vel 28. Postea vero pleraeque omnes ecclesiae ipsum diem natalem iis sacrum esse voluerunt, quo se facilius ac splendidius explicare solemnitas posset.

Omnis generis monumenta historica ad Apostolorum principes spectantia quaecunque reperiri tunc poterant, summo studio collegerunt eruditisque commentariis prosecuti sunt Bollandiani, Junii tomis 5 et 7. Quae postea inventa sunt, diligenter recensentur in *Biblioth. hagiogr. gr.* pp. 104 et 106—107. Videndi etiam sunt, qui eorundem *κορυφαίων* Acta per occasionem tum festorum saecularium anno 1867 tum sacrosancti oecumenici concilii Vaticani an. 1869—1870 postremis curis illustrantes nominatim ostenderunt, *supremam illam Apostolorum summitatem (τὴν κορυφαίαν τῶν ἀποστόλων ἀκρότητα)*, h. e., primatum jurisdictionis, a s. Petro ad ejus in Romano episcopatu successores divino jure transiisse, ut adeo *Romanus Pontifex etiamnum primum thronum teneat (ὁ τῆς Ῥωμαίων νυνὶ πρωτόθρονος), per quem ipse Petrus loquatur* [3]), eaque de causa in obortis de fide quaestionibus *ad ipsum mittenda sit ex utraque parte legatio,* et inde accipienda fidei certitudo *(ἐξ ἑκατέρου μέρους ἀποσταλτέον πρὸς τὸν Ῥώμης· κἀκεῖθεν δεχέσθω τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως)*, uti s. Theodorus Studita in ipsa urbe regia augustales monet in epistola data ad Leonem sacellarium l. 2, ep. 129 [4]).

Qui novi libri de Romano Pontifice per hos annos repente emerserint, mira et incredibili diligentia ac pietate notatum reperies apud Rmum. Aug. de Roskovány, *Romanus Pontifex tamquam primas Ecclesiae . . . addita amplissima literatura,* tt. 9—11, Nitriae, Siegler, 1873—1876. Ex illa paene infinita auctorum

---

[1]) In vetusto Kalendario anni 412 a G. Wright edito.

[2]) S. Sophron. *in laudat. ss. Apost. Petri et Pauli,* apud Migne, Patr. gr. tom. 87, pp. 3361—3362.

[3]) Verba haec sunt concilii Chalcedonensis, ut notavimus supra p. 107.

[4]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 99, pp. 1417—1420.

multitudine, quae novorum accessione in dies augetur, aliquos orientales hic percensendos existimamus:

David Joseph. Chorepisc. Mossulen. *Antiqua ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri Apostoli ejusque successorum Romanorum Pontificum divinum primatum.* Romae, 1870.

† Archiep. Damascen. Syrorum. 4. Aug. 1890.

Khayyath Georg. Ebedjes., Archiepisc. Amadien. Chaldaeorum. *Syri orientales seu Chaldaei, Nestoriani et Romanorum Pontificum primatus.* Ibid. 1870.

— *Epistolae duae de infallibilibus Summi Pontificis ex cathedra loquentis in rebus fidei et morum decretis.* Taurini, 1870.

Benni Behnam Cyrill. Archiep. Mausilien. Syrorum, opus anglice versum a R. Jos. Gagliardi: *The tradition of the syriac church of Antioch concerning the primacy and the prerogatives of St. Peter and of his successors the roman pontiffs.* London, 1871.

Azarian Stephan. *Ecclesiae armenae traditio de Romani Pontificis primatu jurisdictionis et inerrabili magisterio.* Romae, Propag. 1870.

Tres clarissimi hi praesules jam inter primores hierarchas ecclesiae orientalis excelsa dignitate patriarchali praefulgent: Rmus. Khayyath, *Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum* (ab an. 1895); Benni, *Patriarcha Antiochen. Syrorum* (ab an. 1894), Azarian, *Patriarcha Ciliciae Armenorum* (ab an. 1881).

Macaire Georg., prêtre copte cath. *L'Eglise copte.* La constitution intime de l'Église. Le Caire, 1893.

Rmus. auctor factus est episcopus Coptorum an. 1895.

Insignem canonem *τῶν κορυφαίων* huc facientem ex armeno in gallicum sermonem vertit idoneisque annotationibus illustravit cl. D. Nève in Actis Lovaniensibus *Revue catholique,* an. 1877, tom. 1, pp. 534—539.

λ'. 30. *Ἡ Σύναξις τῶν ἁγίων ἐνδόξων πανευφήμων Ἀποστόλων τῶν ιβ'.*

Synaxis ss. gloriosorum omni laude praedicandorum duodecim Apostolorum; slav. *Sobor svjatych i slavnych i vsechvalnych duanadesjat apostolov;* rumen. *Adunarea santîloru, maritîloru, sî a totu laudatîloru celoru 12 apostoli;* solemniter agitur hoc die apud Graecos, relato, in Menaeis, uniuscuiusque brevi elogio, uti et aliorum aliquot, similiter dictorum apud eos *apostolorum.* Censet quidem Pape-

brochius in *Junio metrico,* repeti hoc festum debere ex proprio ritu Graecorum, majores quasque solemnitates veluti geminare consuetorum cultu personarum propius ad ipsas spectantium, quum ad *ss. Petrum et Paulum* veluti ad suos principes pertinere videantur Apostoli caeteri; verum in ecclesia latina quoque festum omnium Apostolorum post diem Petri et Pauli celebratum fuisse, constat ex sacramentario s. Gelasii Papae I., l. 2, n. 35 [1]) jcto. sacramentario Leonino n. 21 [2]), *ut* nimirum, verba sunt b. Hieronymi *ep. ad Chromat. et Heliodor., dies varii non viderentur dividere, quos una dignitas apostolatus in coelesti gloria fecit esse sublimes* [3]).

In multis antiquis Kalendariis (ut in syriaco Cod. Vatic. No. 37) communi huic celebritati agendae tributus est d. 29. Decemb., quod nimirum Apostoli omnes Christo Regi mundum ingredienti adesse juberentur tamquam proceres aulici, divinorum consiliorum participes, ministri atque adjutores. Recentiores Syri tamen morem graecum sequuntur, signantes *commemorationem 12 Apostolorum* (C. 21), sive *Omnium Apostolorum* (C. 77), comprehensis etiam aliis discipulis Domini, qui lato sensu apostoli vocantur.

De communi hoc omnium Apostolorum festo consulesis acta a Bolland. relata in *Biblioth. hagiogr. gr.* pp. 11—12.

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 74, p. 1169.

[2]) Ibid tom. 55, p. 57; ubi etiam praefatio festi propria sistitur, in qua sic cantatur: *Vere dignum . . . Qui in montibus sanctis coelestis Hierusalem fundamenta posuisti, quae duodecim solidata lapidibus Apostolorum, chorum Ecclesiae tuae spirituali constructione declarat: ostendens nobis, et in trinitate quadriformis evangelii constare mysterium. et in unoquoque evangeliorum trinitatis plenitudinem contineri. . . .*

[3]) Ibid. tom. 20. p. 376.

JULIUS.

Μὴν Ἰούλιος, mensis Julius; slav. *mĕsjac Iulij.* rumen. *lun'a lui Juliu;* arab. *Tamuz.*

Julius mensis, et *Julius* absolute, olim *Quinctilis*, h. e., *quintus* a Martio, ita vocatus est in honorem C. *Julii* Caesaris, legem ferente M. Antonio consule, quod eo mense a. d. IV. Idus natus esset. Eandem appellationis rationem affert s. Augustinus *locis infra* adducendis in etymo mensis *Augusti* p. 229.

α'. 1. *Τῶν ἁγίων καὶ θαυματουργῶν ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, τῶν ἐν Ῥώμῃ μαρτυρησάντων.*

Ss. prodigiosorum et gratuitorum medicorum Cosmae et Damiani, qui Romae passi sunt; slav. *Svjatych i čudotvorcev bezsrebrennikov Kosmy i Damiana, v Rimĕ mučivšichsja;* rumen. *SS. sî facatorii de minuni forà de argentu Cosm'a sî Damianu, cari au patimitu martiriu in Rom'a.*

Qui titulus hodiernae festivitatis ut rite intelligatur, consulendum est synaxarium Menol. Basil. ad 17. Octob., in quo perscripta haec sunt:

Τρεῖς εἰσιν αἱ συζυγίαι τῶν ἁγίων ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, ἀμφοτέρων καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι καλουμένων, καὶ τὴν ἰατρικὴν τέχνην μετερχομένων, καὶ τὴν προσηγορίαν τῆς ἀναργυρίας ἐχόντων.

Tria sunt sanctorum anargyrorum paria, qui et iisdem Cosmae et Damiani nominibus appellati fuerunt, et medicinae artem exercuerunt, et anargyrorum cognomen habuerunt.

Fuerunt enim alii Theodotae religiosissimae filii, qui in pace decedentes in loco Phereman dicto sepulti sunt (1. Nov.). *Alii*

quum Romae degerent, praeceptorem invidum habentes per dolum ab eo in montem, quasi ad legendas herbas, deducti lapidibus obruti sunt (1. Jul.). *Alii, quorum certamen enarrare instituimus* (17. Oct.), *Arabes fuere, qui terrarum orbem peragrantes, gratis et sine mercede (ἀναργύρως) aegrotos curabant. Diocletiani vero temporibus in Ciliciam profecti et comprehensi, sistuntur Lysiae duci, a quo variis tormentis excruciati, capite demum plexi sunt una cum tribus, qui eos prosequebantur, fratribus Anthimo, Leontio et Euprepio.*

Igitur ex tribus paribus fratrum cognominum *Cosmae* et *Damiani*, medicorum anargyrorum et thaumaturgorum, quae variis per annum diebus fastis graecis inscripta leguntur, hodie par *martyrum Romanorum* colendum proponitur.

Celebratur autem praesens haec *συζυγία τῶν ἐν Ῥώμῃ μαρτυρησάντων* tanquam *ἱερωτάτη δυὰς τῶν ἀναργύρων* [1]), ejusque festum Manuel Comnenus, Imperator, in Constitutione novella anni 1166 de diebus feriatis, omissis etiam nominibus propriis, eodem 1. Julii simpliciter annuntiavit *τῶν ἁγίων καὶ θαυματουργῶν ἀναργύρων* [2]).

Enimvero distinctionem hanc trium parium Cosmae et Damiani serum synaxaristarum esse commentum neque scriptoris ullius auctoritate niti, qui saeculo nono antiquior sit, putat Stiltingus in Actis SS. Septemb. tom. 7, pp. 400—409; consentit Morcelli, qui *Kalendarium E. CP.* saeculi octavi erudite illustrando insuper animadvertit, praescriptum in eo ad hunc diem 1. Julii esse, *ut idem evangelium legatur, quod assignatum est mensis Novembris die primo* ob memoriam eorundem *(εἰς τὴν μνήμην τῶν αὐτῶν):* ex qua rubrica eruit, *unos eosdemque sanctos* Cosmam et Damianum utroque die CPoli solemnibus honoribus fuisse celebratos. Quare cum Stiltingo statuit, unum tantummodo par fratrum anargyrorum fuisse, Cosmam et Damianum, Arabes, qui non alio nomine Romani haberi possint, quam quia Romae cum templo ad *Viam sacram* celeberrimum cultum habuerunt. Quod autem plura fratrum cognominum paria inde a saeculo nono in fastis

---

[1]) Ita Theophan. Ceram. *Homil.* 47. apud Migne Patr. gr. t. 132. p. 858.

[2]) Apud Migne Patr. gr. t. 133, p. 760.

graecis distingui coeperint, et inde repeti posse censet Stiltingus l. c., quod iidem sancti variis per annum diebus colerentur, elogiis quoque diversis in singulis solemnitatibus celebrati, quemadmodum et in aliorum sanctorum honorem plures festivitates variis temporibus videmus institutas, in quibus uni iidemque sancti in lectionibus et synaxariis propriis, aliis atque aliis veluti coloribus expressi apparent.

Martyrii palmam adepti sunt sancti nostri Aegis seu Aegeae in Cilicia, circa an. 297. Actorum compendium habet Martyrolog. Rom. d. 27. Sept. Caetera, quae ad certamen pertinent ss. Cosmae et Damiani, quae ad reliquias eorundem et cultum, in laudato Stiltingo velim quaeras l. c. pp. 400—448.

Sergius, archimandrita russus, in suo *Polnyj Mĕsjacoslov Vostoka* de iisdem ss. anargyris non minus fuse disputans, iterum dubitat, an par Asiaticum distingui debeat ab Arabico, totamque rem novis curis penitius indagandam putat; fallitur tamen in interpretatione verborum ex Kal. CP. adductorum: *εἰς τὴν μνήμην τῶν αὐτῶν*, ac si verba ista non referantur ad *eosdem martyres,* sed vero ad *eosdem anargyros.*

β'. 2. Ἡ κατάθεσις τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις.

Depositio pretiosae vestis sanctissimae Dominae nostrae Deiparae in Blachernis.

Κατάθεσις, depositio, a *κατατίθημι, depono.* — *Ἐσθῆς* pro *ἐσθής, vestis,* a verbo *ἕω*, unde *ἕννυμι, amicio, induo,* et *εἷμαι, indutus sum.* — *Βλαχέρναι, Blachernae,* tractus erat suburbanus ad ostia Euxini maris; quamobrem etiam templum B. Virginis ibi exstructum *ἐπιθαλάσσιον* nuncupatur. Triplicem vero rationem nominis affert Codinus *de aedificiis CP.* [1]: *primo βλαχέρναν* quasi *βλαχνέρναν* dici, quod silicibus esset consitus; *βλάχνον* enim aeque ac *πτέρις* silicem significare testantur grammatici; *secundo βλαχέρναν* quasi *λακέρναν* nominari, quoniam locus erat *λακκώδης* sive *lacunosus et palustris;* quae duae etymologiae probabiles sunt ob

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 157, pp. 573—576.

loci situm; *tertiam* indicat verbis ὅτι Βλάχον τινὸς κέρμα ἦν ἐκεῖσε, *ob caedem cujusdam Vlachi* seu *Walachi; quarto* denique sunt, qui cum Gretsero *in libr. de officiis CP.* c. 5 aliisque ab eo citatis appellationem a reguli nomine repetant olim in vicinia dominantis.

Verum quidquid de nominis origine statuendum videatur, paulatim factum est, ut ipsum templum Deiparae Virginis, quod illic erat a s. Pulcheria Augusta conditum et a Justino seniore et Justiniano renovatum et ampliatum, *Blachernae* diceretur. Fuit autem magnificentissima haec aedes [1]) in tanto honore apud Graecos, ut alibi etiam eadem appellatione templa sanctae Dei genitrici dedicata reperiantur [2]).

In hoc templo Blachernensi igitur secundo die Julii agunt Graeci anniversariam memoriam *depositae* ibidem *pretiosae vestis Deiparae Virginis* sub Leone et Verina imperatoribus (457—478). In Kalendario CP. saeculi VIII. festum sic effertur: τὰ μεταθέσια τῆς σοροῦ Βλαχέρνων, *translatio loculi in Blachernis* [3]); in alio Kalendario antiquo apud Morcell. τὰ καταθέσια τοῦ μαφορίου τῆς ἁγίας Θεοτόκου, *depositio veli seu vittae capitis s. Deiparae;* in Kalendario Cryptoferratensi saec. 11. apud Toscani: ἡ προσκύνησις τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς Θεοτόκου.

Annuntiatur autem slavice: *Položenije čestnyja rizy presvjatyja Vladyčicy našeja Bogorodicy vo Vlacherně;* rumen.: *Punerea onoratului vestmentu alu prea santei Domnei nostre Nascatoriei de Ddieu in Vlacherne.*

Qui ex Syris sequuntur morem Graecorum, solemnitatem hodie signant in Cod. vatic.: *festum veli Deiparae* C. 77;

---

[1]) De ea antiquus auctor graecus apud Combefis. in *Auct. Bibl. PP.* tom. 2, pp. 753 scribit: *Ex omnibus totius urbis templis sacrariisque, quotquot Deiparae nomini et honori dicata sunt, caput est quasique metropolis insigne illud divinumque Blachernarum templum, cunctis amplius splendidiusque, non aliter atque sol stellas, quae in coelo sunt, magnitudine et splendore superans.*

[2]) Vide Anastas. *epist. ad Occid.* apud Hardouin. Conc. tom. 3, p. 685.

[3]) Ἡ σορὸς τῶν Βλαχέρνων Morcellio est loculus ipse, in quo s. Genitricis Dei corpus requieverat, jam vacuus, nisi quod funebria in eo divinae matris velamina inesse videbantur. Eum sub Marciano et s. Pulcheria CPolim translatum atque in Blachernis depositum perhibet Nicephor. Callist. l. c.

festum vestis Deiparae C. 20; *Memoria Dominae D. Mariae* C. 21.

Historiam translationis et depositionis sacrae vestis synaxario expressam habes in utroque Menologio; ast, si Morcellium audias in *commentar.* ad h. d., sacrae illae exuviae in Blachernarum templum illatae non fuerunt, sed in alia aede servabantur, quam Leo et Verina Augusti dedita opera exstruxerant, quamque illam esse putat, quae a Justino *juxta sanctissimae majoris ecclesiae vicinitatem posita* esse dicitur Nov. *tit. 3, ut determinatus sit numerus clericorum, c. 1.*

In ecclesia latina hodie recolitur mysterium *Visitationis B. Mariae Virginis ad Elisabeth.* Haec quidem solemnitas ab Urbano PP. VI. instituta d. 6. April. 1389 et a Bonifacio PP. IX. ejus successore confirmata vel potius publicata est d. 9. Novemb. ejusdem anni, idque occasione diuturni schismatis, quo s. Ecclesia sub id tempus foede dilacerata erat: ut nimirum amicum in foedus, patrocinante sanctissima Dei genitrice, divisa coirent Ecclesiae membra, et pax a coelorum regina peteretur, quam mundus dare non poterat. Hinc nil mirum, quod synodus Basileensis, schismate tandem sublato, huic festivitati propagandae non segniter adlaboraverit an. 1441, edito de eadem ubique jam celebranda praecepto sessione 43. cum pathetica hortatione, qua fidelium mentes excitantur, ut spem suam in hac Virgine collocent, et docte atque ascetice ipsum mysterium Visitationis illustratur [1]). Bullam institutionis cum commentario de rationibus festi habes in Actis SS. Julii tom. 1, pp. 262—266. Vide etiam quae de eadem hac solemnitate post Baron. *ad Mart. Rom.* h. d.; Azor. *Institut. moral.* partis 2, l. 1, c. 23; Gretser. *de festis* l. 2, c. 3, abundanter scripsit Benedict. PP. XIV. *de festis B. Mariae Virginis,* nn. 57—68.

γ'. 3. *Ὑακίνθου τοῦ κουβικουλαρίου μάρτυρος, καὶ Ἀνατολίου ΚΠ.*

Caesareae in Cappadocia s. Hyacinthi cubicularii Trajani imperatoris, qui accusatus, quod christianus esset, plagis varie afflictus et in carcerem trusus, ibi consumptus fame expiravit

[1]) Apud Hardouin, tom. 8. pp. 1292—1294.

sub initium saeculi secundi. Hoc elogio Martyrol. Rom. ad h. d. brevi compendio exhibet, quae de ejus certamine fusius describuntur in Actis SS. tom. cit. pp. 556—557.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀνατολίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.

Slav. *Iže vo svjatych otca našego Anatolia, patriarcha Carja grada;* rumen. *Celu deintru santi par. nostru Anatoliu patriarculu Constantinopolului.*

S. Anatolius, ex presbytero et apocrisiario ecclesiae Alexandrinae in locum s. Flaviani *archiepiscopus ÇP.* creatus, praeter alias res praeclare gestas, apud Marcianum et s. Pulcheriam Augustos magno studio id egit, ut synodus Chalcedonensis celebraretur [1]. Obiit a. 458. Propter promotionem suam a Dioscoro factam in pseudosynodo Nicaena an. 449 suspicionem haereseos diu sustinuerat, a qua tamen, sicut et a nonnullis aliis accusationibus, probe liberatus est a Pinio, junctis etiam sancti vita graeco-latina in Act. SS. tom. cit. pp. 571—585, et canone *Convenientibus* 4, C. I. q. 7.

Duobus praecedentibus sanctis adjuncti in pluribus Kalendariis reperiuntur *Marcus et Mocius,* qui Mazochii judicio [2] ipsi sunt *Marcus et Marcellianus,* martyres Romani circa an. 287, Martyrologio Rom. ad d. 18. Junii inserti.

δ'. 4. *Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου Κρήτης, τοῦ Ἱεροσολυμίτου.*

Slav. *Iže vo svjatich otca našego Andrea Kritskago, ierusolymita;* rumen. *Celu deintru santi par. nostru Andreia alu Critului, Ierusolimitului.*

S. Andreas, patria Damascenus, a cathedra sua archiepiscopali *Cretensis* dictus, virtutis ac doctrinae laude spectatissimus, obiit circa an. 720. Cognominatur *Hierosolymitanus,* quia in civitate sancta statum monasticum amplexus est. Acta desiderantur, quorum loco egregia est Bollandianorum sylloge historica, ejus etiam a monotheletismo vindicias perhibens,

[1]) C. *Sancta Romana* 3, Dist. 15.
[2]) *Kal. E. Neap.* ad d. 18. Jun. cap. 13.

Julii tom. 2, pp. 42—47. S. Andreae *computum paschalem* alias memoravimus in commentario *de computo ecclesiastico,* p. 166. De *Magno canone* dicemus inferius t. 2, pp. 145—152. Opera omnia reperies apud Migne, *Patr. gr.* tom. 97 et apud Card. Pitra, *Analecta.* Quae recens sunt inventa, accurate indicat Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 527—528.

Quae praeterea hodie referuntur *ss. Lucia et Cyprilla,* synaxarium habent in Menol. Basil. die sequenti.

ε΄. 5. *Τῆς ὁσίας Μάρθας, μητρὸς τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει· καὶ τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Ἀθανασίου Θεοφόρου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ καὶ Λαμπαδοῦ τοῦ θαυματουργοῦ.*

Slav. *Prepodobnyja Marthi, matere svjatago Symeona divnogorca;* rumen. *St'a Marta mam'a s. Simeone cel dein muntele celu minunatu.*

Vitam *s. Marthae viduae, matris s. Symeonis,* junioris, stylitae *in monte mirabili,* auctore monacho coaevo, veluti supplementum Vitae filii (ad 24. Maji), cum opportunis commentariis dedit Janingus in Actis SS. Maji tom. 5, pp. 398—425. Obiit s. Martha an. 561.

S. Athanasius, patria Trapezuntinus, post s. Petrum celeberrimus ascetarum *in monte Atho,* honorifico cognomento *deiferi patris* insignitus, floruit saeculo decimo. Encomium ex Menaeis desumptum illustrant Bollandiani Jul. t. 2, pp. 246—247.

S. Athanasii Vita fusior exstat graece scripta inter cod. bibliothecae synodalis Mosquensis adhuc inedita; item alia russice edita in Paterico Athonico, cujus accuratum compendium habes apud Martinov in *An. gr. sl.* ad h. d.

Laudibus s. Athanasii Bollandiani subtexunt brevem commentarium de *s. Lampado, thaumaturgo,* Irenopolitano, ut Menol. Basil. habet die praecedenti; de quo tamen fere omnia, exceptis miraculis, obscura oblivionis nocte sepulta dolent.

ϛ΄. 6. *Σισώη* (Menaea) *Σισόου* (Menol. Basil.) *τοῦ Μεγάλου.*

S. Sisoes Magnus, sancto Antonio Magno synchronus et in eodem cum ipso monte habitans, Menologio Basil. teste

dulcis fuit *in* responsis seu *apophthegmatibus, ex quibus multa sunt ad aliorum utilitatem conscripta (ἦν δὲ ἡδὺς ἐν τοῖς ἀποφθέγμασιν, ἐξ ὧν πολλὰ συνεγράφησαν εἰς τὴν τῶν λοιπῶν ὠφέλειαν).* Horum apophthegmatum manipulum ex vitis Patrum collectum videsis in Actis SS. tom. cit. pp. 281—284.

Praeter s. Sisoem et *s. Lucia* seu *Luceia* in fastos utriusque ecclesiae, graecae et latinae, recepta, inde in Kalendaria slavica transiit cum magno sociorum martyrum comitatu. De iis egit Papebrochius ad diem 25. Junii.

ζ'. 7. *Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Θωμᾶ τοῦ ἐν τῷ Μαλαιῷ καὶ Ἀκακίου τοῦ ἐν τῇ κλίμακι· καὶ μεγαλομάρτυρος Κυριακῆς.*

Slav. *Prepodobnych otec našich Thomy iže v Malaei i Akakija iže v lěstvicě svidětelstvovannago i velikomčenicy Kyriakiy;* rumen. *Cuv. par. nostri Tom'a celu dein Mali'a, sî Acachiu celu dela scara, sî s. marea mart. Chiriachi.*

Sanctum Thomam in Monte Laconiae *Malaeo,* virtutibus ac miraculis illustrem, hodie colunt Graeci. Cfr. Acta SS. tom. cit. p. 467. De *Monte Malaeo* Bollandiani agunt in *s. Georgio Malaeensi,* loco supra indicato ad diem 4. April.

Sancto Thomae Graeci adjungunt *s. Acacium ἐν κλίμακι, in scala,* cognominatione, ajunt Bollandiani, fortasse desumpta e loco, in quo habitaverit ut plurimum.

S. Cyriacae, latine *Dominicae,* virginis et megalomartyris Tropaeae in Calabria, sub Diocletiano, Acta graeco-latina cum commentario vulgant Bollandiani tom. cit. pp. 268—279. Ea compendio refert Martyrol. Rom. ad diem praecedentem.

η'. 8. *Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Προκοπίου.*

In Palaestina s. Procopii martyris, qui sub Diocletiano imperatore ab Scythopoli ductus Caesaream, ad primam responsionum ejus confidentiam a judice Fabiano capite caesus est (Martyr. Rom. h. d.). Cui elogio consonant Acta omnia, graeca apud Euseb. *Hist. eccles.* l. 8, c. 1[1]), latina apud Ruinartium[2]) et syriaca apud Asseman. *Kal. E. U.* h. d.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 1459—1464.

[2]) In forma extensa habentur in Actis SS. ad h. d. p. 556.

Erat autem hic, ut in Actis syriacis et latinis legimus, *genere quidem Hierosolymitanus; domicilium vero in urbe Bethsan* (Scythopoli) *habebat, ac tria in iis ecclesiis obibat munia, primam scilicet lectoris sacrorum librorum* (unde et *lectoris* cognomentum traxit); *alterum interpretis linguae graecae in syriacam; tertium denique exorcistae, dum daemones ex hominum corporibus extrudebat.*

Caeterum, quia in Actis syriacis *omnium sanctorum martyrum, qui in Palaestina claruerunt,* primus *coronam promeruisse,* atque inde ab Eusebio *πρῶτος τῶν ἐπὶ Παλαιστίνης μαρτύρων* dicitur, Graeci sequiores eum subinde *copiarum ducem (δουκᾶ)* fecerunt et militaribus stipendiis clarissimum, longa historia conficta[1]), quam graeco-latinam exhibuit atque ad examen revocavit Pinius in Actis SS. tom. cit. pp. 551—576. Inde orta opinio de duobus martyribus Procopiis, a Bollandianis l. c. rejecta, qui unum esse *Procopium* ostendunt, quamquam alii eum *Lectorem*, alii *Ducem* appellant. Reliqua de ejus cultu vide apud Morcelli *K. E. C.* et Asseman. l. c.

Θ'. 9. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Παγκρατίου, ἐπισκόπου Ταυρομενίας, τῆς ἐν Σικελίᾳ καὶ Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου τῆς ἐν Κρήτῃ ἐκκλησίας.*

Tauromenii in Sicilia s. Pancratii episcopi, qui Christi evangelium, quod a s. Petro Apostolo illuc missus praedicaverat, martyrii sanguine consignavit (Martyrol. Rom. d. 3. April.) In Menolog. Basil. refertur d. 9. Febr. cum duobus sociis, quos ad eundem diem memoravimus. De eo in Actis SS. agitur April. tom. 1, pp. 237—243.

S. Cyrilli episcopi et martyris, Gortynae in Creta, sub Decio vel Maximiano. Acta illustrarunt Bollandiani Jul. t. 2, pp. 682—687. Ex iis ejus est elogium in Martyrologio Rom. ad h. d.

---

[1]) Sanctum Megalomartyrem ab ipso Christo ex *Neania* vocatum *Procopium* perhibent Acta fabulosa c. 4. n. 35: *Tu non amplius* Neaniae, *sed* Procopii *nomine compellabere; proficiens quippe proficies (προκόπτων γὰρ προκόψεις) ac Patris mei gregem augebis.*

ι'. 10. *Τῶν ἐν Νικοπόλει τεσσαράκοντα πέντε μαρτύρων.*

Nicopoli in Armenia ss. martyrum Leontii, Mauritii, Danielis et sociorum, qui sub Licinio imperatore et Lysia praeside varie excruciati, tandem in ignem conjecti martyrii cursum confecerunt circa an. 319 (Martyr. Rom. h. d.). Acta graeca, Bollandianorum judicio tamen non sincera, cum versione latina habes apud ipsos Jul. tom. 3, pp. 34—45. Celebratissimam autem horum martyrum memoriam in Ecclesia semper fuisse, ex sacris tabulis patet.

In Kalendariis ruthenis hoc die signatur: *Pamjat prepodobnago otca našego Antonija Pečerskago, iže v Kievě byvšago načalnika vsěch russkich monachov, commemoratio venerabilis patris nostri Antonii, Pečarensis, Kioviae* cum Theodosio discipulo ac socio suo [1]) *primi omnium Russiae monachorum institutoris.* Natione Russus monachum induit in Monte Atho [2]), indeque in patriam reversus an. 1051 monasticam vitam firmiter stabilivit. Decessit an. 1063, die 10. Julii. Longius ejus elogium ex fontibus Russis depromptum dat Martinov *An. gr. sl.* in *memoriis slavicis* ad h. d.

ια'. 11. *Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος καὶ πανευφήμου Εὐφημίας, ὅτε τὸν ὅρον τῆς πίστεως ἐπεκύρωσε.* Ita Menaea.

Sanctae magnae martyris et omni eximia laude celebrandae Euphemiae, definitionem fidei confirmantis.

Hujus virginis et martyris Chalcedonensis clarum ubique nomen, maxime post concilium Chalcedonense in templo ejus habitum an. 451; eam ejusdem concilii Patres passim *ἁγιωτάτην καὶ καλλίνικον, sanctissimam et egregias victorias adeptam* seu *triumphatricem*, libri liturgici *πανεύφημον, omni laude praedicandam*, appellant. *Ὁ ὅρος τῆς πίστεως* ipsa est *definitio fidei* [3]) in concilio quarto oecumenico facta, quam s. Euphemia edito miraculo hic *comprobasse* dicitur [4]).

---

[1]) De eo vide, quae diximus ad d. 3. Maji supra p. 151.

[2]) Quae ad hunc *Montem* pertinent, recolas ex dictis ad 12. Jun.

[3]) *Ὅρος, terminus, finis, definitio.*

[4]) *Ἐπικυρόω, auctoritate mea confirmo,* a *κῦρος, auctoritas.*

in Kalendario CP. saeculi VIII. hodiernum festum sic annuntiatur: *σύναξις τῆς ἁγίας Εὐφημίας τοῦ ὅρου;* in Menol. Basil. autem hunc titulum habet: *ἀνάμνησις τοῦ γεγονότος θαύματος τῆς πανευφήμου μάρτυρος Εὐφημίας, memoria miraculi celeberrimae martyris Euphemiae;* in antiquis Kalendar. Cryptoferrat. apud Toscani: *τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας τοῦ ὅρου.*

In libris slav. inscribitur: *Svjatyja mučenicy i prechvalnyja Euphimii, sirječ predjela otcev, sanctae et celeberrimae martyris Euphemiae, sive definitionis patrum;* in rumen. *St'a sî laudat'a mart. Eufimia chotarulu parentîrolu.*

Rationem festi paucis indicatam habes in ipso concilio Chalcedonensi, fusius declaratam in Menol. Basil. Sic enim Patres concilii ad s. Leonem M. scribunt[1].

Θεὸς γὰρ ἦν ὁ ἐνεργῶν, καὶ ἡ τὸ σύλλογον τῷ νυμφῶνι στεφανοῦσα καλλίνικος Εὐφημία· ἣ ὥσπερ οἰκείαν ὁμολογίαν τῆς πίστεως παρ᾽ ἡμῶν δεξαμένη τὸν ὅρον τῷ ἑαυτῆς νυμφίῳ διὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ τῆς φιλοχρίστου βασιλίδος προσήγαγε, πᾶσαν μὲν τῶν ἀντικειμένων ταραχὴν κατευνάσασα, τὴν δὲ τῆς ἀληθείας, ὡς φίλην, ὁμολογίαν κρατύνασα, καὶ χειρὶ καὶ γλώττῃ ταῖς πάντων ψήφοις ἐπιψηφίσασα πρὸς ἀπόδειξιν.

Deus enim erat, qui operabatur, et quae suo thalamo (h. e. in sua ecclesia) *concilium coronavit triumphatrix Euphemia: quae tanquam propriam confessionem fidei definitionem suscipiens a nobis, suo sponso per piissimum imperatorem et amicam Christi Augustam obtulit; omnem quidem perturbationem contrariam sedans, veritatis autem confessionem roborans, ut amicam, et manu ac lingua universorum decretis pro demonstratione subscribens.*

Praedicant igitur Patres extraordinarium aliquod signum a s. Euphemia prolatum, quo concilium in sede sua celebratum, corona veluti imposita, comprobarit definitionique *manu pro demonstratione,* h. e. palam ac singulari prorsus ratione suffragata sit. Quod signum quale fuerit, Menol. Basil. his verbis describit l. c. Tempore concilii *placuit universis,*

[1]) Apud Hardouin, Conc. tom. 2, pp. 657—658.

duos tomos, alterum orthodoxorum, alterum haereticorum exponi, apertaque martyris urna tomos ejusdem pectori superimponi, et ab illa probatum teneri. Hoc facto post sex dies urnam reserantes repererunt haereticorum quidem tomum sub pedibus ejus positum, orthodoxorum vero ejusdem manu teneri. Atque ita haeretici, qui communi synodi consensu non movebantur, coelesti admonitione *confusi sunt, orthodoxi vero summo gaudio affecti.*

Baronius *(Annal. an. 451)* et, qui eum secuti sunt, Bollandiani (Septemb. t. 5, p. 357—358) totam historiam Menologii Basiliani repudiant, atque in verbis concilii nudam professionem Patrum vident, sanctae martyris ope synodum felici exitu esse absolutam; eos autem Morcelli h. d. merito intemperantiores criticos censet, quum relata illa *confirmatio confessionis per subscriptionem manu et lingua s. Euphemiae in demonstrationem (πρὸς ἀπόδειξιν) facta ad sedandam adversariorum perturbationem,* singulare aliquod prodigium, qualecunque id fuerit, significare videatur[1]), eoque nomine hodierna solemnia jam saeculo octavo in Kalendario CP. et in aliis antiquis synaxariis quum graecis, tum slavicis signata reperiantur.

Caetera omnia ad s. Euphemiam spectantia ex antiquis locis eruderata invenies in Actis SS. ad 16. Septemb., quo die festum ejus in utraque ecclesia agitur.

In fastis ruthenis hodie etiam celebratur *s. Olga,* Magna Ducissa Russiae, avia s. Wladimiri, quae quum annos 24 regnasset, CPolim profecta, fidem catholicam, quam Kioviae praelibaverat, cum pluribus e suo comitatu suscepit an. 957 vel 958, solemni pompa mysteriis vivifici lavacri a s. Polyeucto patriarcha initiata et christiano nomine *Helenae* appellata. In patriam redux plurimos ad christianam religionem adduxit, ac tandem plena dierum ac bonorum operum decessit anno Christi 969, suo 90. Neque illud praetereundum in sanctae hujus commemoratione videtur, quod gens Russorum fidem

---

[1]) Accedit eo, quod in ipsis liturgicis orationibus festi ejusmodi precandi formulae occurrunt: *τῆς δ' συνόδου ἐκύρωσας ἃ οἱ πατέρες καλῶς ἐδογμάτισαν. Ἡ ὑπὸ ἑξακοσίων τριάκοντα θεοφόρων πατέρων ὅρον λαβοῦσα καὶ φυλάττουσα, πανεύφημε.*

Christi a Graecis tunc catholicis accepit, ac primis a sua conversione saeculis catholica permansit, quod, pluribus ex eo tempore collectis monumentis fuse probant Papebrochius in *Ephemerid. graeco-moscis, praefat.* n. 11 [1]) et Stiltingus in *dissertatione de conversione et fide Russorum* [2]). Relege etiam quae notata superius sunt in *ss. Polyeucto, patriarcha CP.,* p. 95, *Alexio Kioviensi,* p. 100, et in *festo translationis s. Nicolai,* p. 156. Brevem vitae gestorumque s. Olgae syllogen dat Martinov *An. gr. slav.* ad h. d.

ιβ'. 12. *Πρόκλου καὶ Ἱλαρίου μαρτύρων καὶ Μιχαὴλ τοῦ Μαλεΐνου τοῦ ὁσίου.*

Passio sanctorum Procli et Hilarionis, qui sub Trajano imperatore et Maximo praeside per acerbissima tormenta ad palmam martyrii pervenerunt (Martyr. Rom. h. d.). Hoc elogium ex tabulis graecis confirmant Bolland. Jul. t. 3, p. 266.

In pluribus Kalendariis hodie consignatus est *s. Michael Maleinus,* nomine, ut aliqui putant, ex *Malaeo,* monte Laconiae, quaesito, quod scilicet inde oriundus crederetur, magister s. Athanasii de monte Atho [3]), qui claruit circa an. 923. Videri de eo potest Martinov l. c. ad h. d.

ιγ'. 13. *Ἡ σύναξις τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ Σαββαΐτου.*

Synaxis Gabrielis Archangeli, et Stephani Sabaitae. Praeter solemnem illam s. Gabrielis synaxim, quae juxta ritum Graecorum festum Annuntiationis excipit die 26. Martii, celebratur hodie secunda festivitas, in omnibus libris liturgicis notata. Causa autem, cur iterato ejusdem s. Archangeli festum agatur, ea, teste Martinov ad h. d., ex Menologio Mosquensi affertur, quod variis ecclesiis in honorem s. Gabrielis excitatis, institutae quoque fuerint dedicationis solemnitates eaeque propter tempus quadragesimale in hunc diem translatae, quo aptius

[1]) Ephemerides gr. mosc. praefixae sunt Julii tomo 1. Actorum SS.

[2]) Ibid. Septembris tom. 2.

[3]) Sergius archimandrita distinguit *Malaeam* in Laconia (vide supra ad 4. April.) a *Malaeone* monte in peninsula montis Atho, qui tamen ipsis monachis Athonicis — teste eorundem Paterico — ignotus est.

securiusque celebrarentur. Ast Culcinio ea alterius hujus festi ratio fuisse videtur p. 88, ut sancti Archangeli auxilium contra Agarenos invocaretur. Sergius archimandrita denique et translationis rationem admittit et Culcinii argumentum probat, atque ita utramque sententiam componit.

S. Stephanus, fratris s. Joannis Damasceni filius, *monachus in Laura* ss. *Sabae* prope Hierosolymam, thaumaturgus *(σημειοφόρος)*, obiit an. 794, aetatis 69. Prolixam vitam graeco-latinam exhibent Acta SS. tom. cit. pp. 497—584.

Distinguendus ab hodierno s. Stephano est alius sanctus *ὁμώνυμος*, Sabaita et ipse, sed *τοῦ ποιητοῦ* cognomento insignis, cujus memoriae sacer est dies 28. Octobris.

ιδ'. 14. *Ἀκύλα τοῦ ἀποστόλου καὶ Ἰωσὴφ Θεσσαλονίκης.*

Sancti Aquila et Priscilla conjuges, ex discipulis Apostolorum, fastis latinis inscripti leguntur ad 8. h., quo die et Bollandiani de iis agunt, Julii tomo 2, pp. 534—537, egregia eorum encomia ex sacris monumentis diligenter colligendo.

S. Josephus, sancti Theodori Studitae frater germanus, *episcopus Thessalonicensis,* factis et scriptis confessor illustris sub iconomachis, obiit circa an. 845. Res gestas ex tabulis graecis et ex historia ecclesiastica paucis describunt Acta SS. Julii tom. 3, pp. 680—681. Plura reperiri de s. Josepho possunt in operibus s. Theodori, apud Migne, Patr. gr. tom. 99, locis in indice rerum sub ipso ejus nomine indicatis. De canticis *s. Josephi Thessalonicensis* a canonibus *s. Josephi hymnographi* (supra p. 132) discernendis accurate disputat Card. Pitra in *Analectis* suis p. XLIII.

Qui hodie in fastis refertur *s. Justus martyr,* in Menol. Basil. proprio synaxario celebratur.

ιε'. 15. *Κηρύκου* (alias *Κυρίκου, Κηρίκου, Κηρίκου) καὶ Ἰουλίττης μαρτύρων.*

Tarsi in Cilicia sanctorum martyrum Quirici et Julittae matris ejus sub Diocletiano imperatore, quorum Quiricus triennis puellus, quum matrem, quae ante Alexandrum praesidem nervis dirissime caedebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illisus interiit; Julitta vero post dira

14*

verbera et gravia tormenta martyrii sui cursum obtruncatione capitis implevit (Mart. Rom. d. 16. Jun.). Quod certaminis compendium ex verioribus Actis a Theodoro episcopo Iconiensi editis illustrant Bollandiani Junii tom. 4, pp. 14—23, additis quoque aliis Actis apocryphis, quae censurata a s. Gelasio PP. I. leguntur c. *Sancta Romana.* Acta sincera nunc prostant in Analectis Bollandianis, t. 1, pp. 192—207. (an. 1881).

Ad hunc diem fastis Ruthenorum inscribitur *Obitus sancti et aequalis apostolis Wladimiri, principis Kioviensis, autocratoris Russiae, dicti in sancto baptismate* an. 988 *nomine Basilii (svjatago ravnoapostola, velikago Knijazja Vladimira, narečennago v svjatom kreščenii Vasilia), a quo in Russiam baptismus et vera fides introducta est.*

S. Wladimirus, a s. Olga, avia sua, sacris fidei doctrinis imbutus, a Michaele (primo totius Russiae metropolita in sede Kioviensi), qui missus illuc erat a Nicolao Chrysoberga, patriarcha CP. (982—995) vere catholico et unionis cum Romano Pontifice retinendae studiosissimo, baptizatus an. 988 ac matrimonio junctus cum *Anna,* sorore Basilii et Constantini catholicorum imperatorum CP., zelum Apostolorum in gente sua ad fidem christianam convertenda aemulatus *ἰσαπόστολος* est cognominatus. Obiit an. 1015, una cum duobus filiis *Boriso et Glěbo,* non ita multo post a Russis catholicis sanctorum catalogo adscriptus. Actorum syllogen exhibet Martinov *An. gr. slav.* ad h. d., citatis etiam genuinis fontibus russis, unde plenior notitia hauriri potest.

Neque repetendum hoc loco non est, quod ante aliquot dies jam animadvertimus in *s. Olga* p. 209, Russos nimirum a Graecis cum ecclesia Romana unitis fidem catholicam accepisse. Qua de re Card. Lewicki in *literis encyclicis* d. d. 10. Martii 1841 *Cesserat,* inquit, *jam a 100 annis schisma Photii, quum generalis Russiae conversio sub s. Volodimiro contingeret; longe ante 1053, quo Michael Caerularius schisma instauravit. Sed Russi multo adhuc tempore perseverarunt in obedientia Romanae ecclesiae; immo ex literis Gregorii VII. an. 1075 ad Demetrium (seu Izaslaum) Russorum regem ejusque uxorem datis manifestum est, hos misisse filium suum, ut regnum sub Petri Apostoli protectione ponerent*[1]). Quod idem et con-

[1]) Epist. 75, l. 2, apud Migne, Patrol. lat. tom. 148, p. 424.

firmatum vide Brevi Apostolico ad eundem d. d. 17. Jul. ejusdem anni, ac supra memorato p. 31.

ιϛ'. 16. *Τοῦ ἁγίου Ἀθηνογένους ἱερομάρτυρος καὶ τῶν δέκα μαθητῶν αὐτοῦ.*

Slav. *Svjatago svjaščenomučenika Atinogena i desjati učenik jego*; rumen. *S. santîtulu mart. Atinogenu sî cu 10 invetiatieli ali lui.*

Sebaste in Armenia ss. martyrum Athenogenis episcopi et decem discipulorum ejus, sub Diocletiano imperatore (Mart. Rom. h. d.). De eo commentarium criticum habent Bollandiani Jul. t. 4, pp. 216—219, prae caeteris legi dignum.

ιζ'. 17. *Τῶν ἁγίων καὶ θεοφόρων χλ' πατέρων τῶν ἐν Χαλκηδόνι τῆς δ' συνόδου κ. τ. λ. καὶ Μαρίνης μεγαλομάρτυρος.*

Sanctorum 630 Patrum synodi Chalcedonensis oecumenicae quartae [1]).

Cum concilio Chalcedonensi anni 451 etiam tria praecedentia (Nicaen. I. anni 325, CPolitan. I. anni 381 et Ephesin. I. anni 431) in graecos fastos relata leguntur, ita tamen, ut Chalcedonense primum locum obtineat, quia ejus causa simul omnium festum celebrari coepit. Hujus celebritatis instituendae occasionem paucis declarat Vita *s. Theodosii coenobiarchae,* cujus labores pro fide catholica adversus Acephalos exantlatos jam supra memoravimus ad d. 11. Januarii p. 66. Quum nimirum Anastasius Augustus concilium Chalcedonense abrogatum vellet, ejusque *Acta authentica ex altari ablata conscidisset atque igni tradidisset* [2]) anno 492;

πάντων ἀμηχανούντων καὶ ἀπορούντων, . . . τότε δὴ τότε δῆλον καθίσταται, ὁποῖα οὖν	*quumque* [3]) *omnes essent plane consilii inopes et dubii quid agerent, . . . tunc evadit*

[1]) Festum hoc mobile in priori parte ponimus, quod illustrandae memoriae s. Theodosii egregie conducat.

[2]) Ita Nic. Callist. l. 16, c. 26, apud Migne, Patr. gr. tom. 147, pp. 167—168.

[3]) Videsis Metaphrast. in hoc sancto, apud Migne, Patr. gr. tom. 114, pp. 521—524, et Acta SS. Januar. tom. 1. pp. 694—695.

καὶ τὸ γῆρας, ὅταν ζήλῳ ῥωννύηται, πρὸς τοὺς ὑπὲρ τοῦ καλοῦ κινδύνους νεανιεύεται· γραμμάτων καὶ θεσπισμάτων ὀλιγωρήσας, ἀπειλῶν τε μυρίων, ὄχλων τε . . . καὶ στρατιωτῶν (τοῦ βασιλέως) . . . λέοντος ὑποδὺς ὅρμημα, ὁ κοινὸς πατὴρ καὶ στρατηγὸς Θεοδόσιος, καὶ εἰς τὸ τοῦ Θεοῦ ἱερὸν εἰσελθών, ἐπ᾽ ὀκρίβαντός τε ἀναβάς, οὗ τὰς ἀναγνώσεις τοὺς ἱερεῖς ποιεῖν σύνηθες, τῇ χειρὶ σιγὴν τῷ πλήθει σημήνας καὶ τὴν φωνὴν ἐπάρας· Εἴ τις, ἔφη, τὰς τέσσαρας ἁγίας συνόδους μὴ ἐπίσης τοῖς τέσσαρσιν εὐαγγελίοις ἡγοῖτο, ἀνάθεμα ἔστω. Ταῦτα εἰπὼν καὶ ὥσπερ ἄγγελος καταπλήξας τὸ πλῆθος, πάντων τε τὴν φωνὴν ἀφελὼν τῷ μεγέθει τοῦ θαύματος, σιγῇ διὰ μέσων αὐτῶν σιγώντων ἐχώρει καθαπερεὶ καθευδόντων καὶ ὄναρ βλέπειν οἰομένων, οὐχ ὡς ἀληθῶς τὸ γενόμενον. Καὶ τοῦτο μὲν τοιοῦτο τοῦ ἀνδρὸς στρατήγημα, ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ τὰς εἰρημένας ἁγίας συνόδους ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἐξ ἐκείνου τάττειν ἐνόμισαν.

manifestum, qualis etiam senectus, quando zelo confirmatur, se fortiter et juveniliter gerit adversus ea, quae pro bono et honesto suscipiuntur pericula; contemptis enim scriptis et decretis et minis innumerabilibus et turbis et militibus (Augusti), . . . *leonis suscipiens impetum communis Pater ac dux Theodosius, quum Dei templum esset ingressus et suggestum conscendisset, in quo solent legere sacerdotes, manu populo significans silentium vocemque attollens:* Si quis, *inquit,* quatuor sanctas synodos non tanti esse existimat, quanti quatuor evangelia, anathema sit. *Haec quum dixisset, et tanquam angelus populum in admirationem adduxisset, et vocem omnibus ademisset prae miraculi magnitudine, silentio procedit per medium eorum tacentium et tanquam dormientium et existimantium se somnium videre, non autem vere id quod fiebat. Et fuit hoc quidem viri stratagema:* ex quo dictas quoque sanctas synodos in sacris diptychis collocare statuerunt;

idque, ut coelo tactus periit Anastasius, statim perficiendum curarunt anno 518, quo Justinus imperium suscepit.

Ea autem in festi hujus institutione mens fuit ecclesiae graecae, ut Deo gratiae agerentur, quod numine suo ad rectam

fidem tuendam episcoporum animos in conciliis erexisset et confirmasset. *Exinde igitur,* verba sunt Menologii Basil. ad d. 25. h., *Ecclesia Dei memoriam synodi recolens, Deum glorificat* (*ἔκτοτε οὖν ἑορτάζουσα ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία τὴν τοιαύτην ἀνάμνησιν, δοξάζει τὸν Θεόν*):

Ex quo inscripta sacris fastis erant quatuor haec concilia, novam eamque plane singularem venerationem in universo imperio habere coeperunt: cujus rei duos testes omni exceptione majores adduxisse sufficiat. *Justinianus Augustus* quum in epistola *Γινώσκεις*, *Cognoscere*, ad Epiphanium patriarcham CP. [1]) data

[1]) Inscribitur epistola: *Epiphanio sanctissimo et beatissimo archiepiscopo regiae hujus urbis et* oecumenico *patriarchae.* Simili ratione patriarchas *οἰκουμενικούς* appellatos legimus sanctos *Joannem II.* an. 518 et *Mennam* an. 536 (apud Hardouin. Conc. tom. 2, pp. 1234 et 1318), eundemque titulum totidem verbis ex Justin. Cod. cit. refert Facundus Hermianen. *pro defens. trium cap.* l. 2, c. 2 (apud Migne, Patr. lat. tom. 67, p. 561), auctor Justiniano aequalis: ut adeo ex his locis *προληπτικῶς* animadverti ad d. 2. Sept. possit, *s. Joannem (IV) jejunatorem* (582—595), qui ibidem colitur, non primum in hanc nomenclaturam invasisse. Eam autem primitus non fuisse vim tituli *οἰκουμενικοῦ*, ut episcopi CPolitani eo patriarchae seu *principes universae Ecclesiae* renuntiarentur, ex ipsis verbis imperatoris patet, quibus catholicam veritatem primatus Romani Pontificis clare profitetur; ait enim:

Οὐδὲν παντελῶς ἐναλλάττοντες ἢ παρεξελθόντες τῆς μέχρι νῦν σὺν Θεῷ κρατούσης ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως (καθὰ καὶ ἡ σὴ γινώσκει μακαριότης), ἀλλὰ διὰ πάντων φυλάττοντες τὴν κατάστασιν τῆς ἑνώσεως τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν τῆς πρὸς τὸν ἁγιώτατον πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης καὶ πατριάρχην, πρὸς ὃν καὶ τὰ ὅμοια τούτοις γεγράφαμεν· οὔτε γὰρ ἀνεχόμεθά τι τῶν εἰς ἐκκλησιαστικὴν ὁρώντων κατάστασιν, μὴ καὶ τῇ αὐτοῦ ἀναφέρεσθαι μακαρότητι, ὡς κεφαλῇ οὔσῃ πάντων τῶν ὁσιωτάτων τοῦ Θεοῦ ἱερῶν, καὶ ἐπειδὴ ὁσάκις ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν αἱρετικοὶ ἀνεφύησαν, τῇ γνώμῃ καὶ ὀρθῇ κρίσει τοῦ ἐκείνου σεβασμίου θρόνου κατηργήθησαν.

Nullo quovis modo immutamus aut praetergredimur eum, qui nunc usque coadjuvante Deo servatus est, ecclesiasticum statum (quemadmodum et tua novit sanctitas), sed in omnibus servato statu unitatis sanctissimarum ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romae et patriarcha, ad quem similia hisce perscripsimus; nec enim patimur, ut quicquam eorum, quae ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referatur Beatitudinem; quum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum: vel eo maxime quod quoties in his locis haeretici pullularunt, et sententia et recto judicio illius venerabilis Sedis coërciti sunt.

Is ergo initio sensus fuisse videtur tituli *οἰκουμενικοῦ*, ut *ἀρχιεπίσκοπος τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως*, *archiepiscopus dominatricis hujus*

anno 533 professionem *de necessitate servandae unitatis sanctissimarum ecclesiarum cum ipso ss. Papa veteris Romae, omnium sanctissimorum Dei sacerdotum capite*, praemisisset, eamque *hac de causa maxime* probasset, *quod quoties haeretici pullularunt, et sententia et judicio illius venerabilis sedis coërciti sint,* de quatuor synodis haec subdit § 5:

Μηδεὶς τοίνυν μάτην ἡμᾶς παραξάτω ἐλπίδι ματαίᾳ κρατούμενος, ὅτι ἡμεῖς ἐναντίον τῶν εἰρημένων δ′ συνόδων ἐπράξαμεν, ἢ πράξομεν, ἢ πραχθῆναι παρά τισι συγχωρήσομεν, ἢ περιαιρεθῆναι τὴν τῶν αὐτῶν ἁγίων δ′ συνόδων ὁσίαν μνήμην ἐκ τῶν εἰρημένων τῆς ἐκκλησίας διπτύχων ἀνεξόμεθα.

Nullus itaque frustra nos turbet spe vana innixus, quasi nos contrarium a supradictis quatuor conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibusdam permittamus, aut aboleri eorundem sanctorum quatuor conciliorum piam memoriam ex dictis Ecclesiae diptychis sustineamus [1]).

Accedit *s. Gregorii M.* testimonium initio pontificatus sui ad omnes patriarchas scribentis l. 1, epist. 25: *Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor: Nicaenum, . . . CPolitanum, . . . Ephesinum, . . . Chalcedonense . . . tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide sanctae fidei structura consurgit* [2]).

Festi rationem autem post saeculum VIII. immutatam fuisse recte notat Morcelli *K. E. CP.* h. d.; nam in Menolog. Bas. suos conciliis plerisque dies attributos videmus: Nicaeni primi memoria agitur d. 29. Maji, Chalcedonensis unius hodie, Nicaeni secundi d. 12. Oct.

In antiquis Menaeis contra haec rubrica legitur ad diem 16. Julii: *Sciendum est, quod post horum* (s. Athenogenis et sociorum) *memoriam, h. e., post 16. hujus, primo occurrente die dominico celebramus officium ss. Patrum 630, qui convenerant Chalcedone, Nicaeae 318, in regia urbe 150, Ephesi 200; in quinta synodo 160, et in sexta tandem 700; quod si contingat diem 16. h. incidere in diem dominicum, in eo ipso celebratur praesens officium. Ἔστι δὲ ἡ ἀκολουθία αὕτη ποίημα τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ΚΠ κυρίου Φιλοθέου, ἀκμάσαντος περὶ τὰ μέσα τοῦ ιδ′. αἰῶνος; hoc officium autem opus est Philothei sanctissimi patriarchae CP.* [3]). . . . In aliis libris litur-

---

urbis, ut inscriptio epistolae habet, in nova illa amplissima dioecesi CPolitana unus omnium patriarcha agnosceretur, quemadmodum alii suos intra fines patriarchae jure utebantur: quamquam et hoc sensu acceptus merito est a Sede Apostolica improbatus, quemadmodum eventus postea docuit.

[1]) Habetur l. 7, Cod. lib. 1, tit. 1, *de summa trinitate et fide catholica.*

[2]) C. *Sicut Sancti* 2. Dist. 15. Apud Migne, Patr. lat. tom. 77, p. 478.

[3]) Quamvis Allatius *de libris ecclesiast. Graec.,* dissert. 2. aliique plures Philotheum merito sugillent, non solum schismatis titulo, sed

gicis notatum legimus: *quotiescunque dies 16. inciderit in feriam IV., hoc festum celebrari die dominico praecedenti, si vero incidat in feriam V., tunc fieri dominica sequenti.*

S. Marina, latinis *Margarita*, virgo et Martyr[1]) Antiochiae in Pisidia, in Martyrol. Rom. refertur 20. hujus, quo die et Acta olim nota illustrantur a Bollandianis Julii tom. 5, pp. 24—45.

Accuratiorem editionem fecit Usener, *Acta s. Marinae et s. Christophori.* Bonn, 1886. De ea consulesis *Bibliothec. hagiogr. gr.* p. 84.

ιη'. 18. *Αἰμιλιανοῦ καὶ Ὑακίνθου μαρτύρων.*

Dorostori in Mysia (nunc Dobrugia) *s. Aemiliani martyris, qui tempore Juliani apostatae sub Capitolino praeside in fornacem injectus martyrii palmam accepit* an. 362 (Martyr. Rom. h. d.). Acta Bollandiani ad leges critices exigunt Julii tom. 4, pp. 370—376.

Amastride in Paphlagonia sancti Hyacinthi martyris, qui sub Castritio praeside multa passus quievit in carcere. Ita Martyr. Rom. ad diem praecedentem, ad quem etiam prolixam laudationem graeco-latinam cum doctis commentariis vulgant Bollandiani tom. cit. pp. 221—231.

ιθ'. 19. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δίου καὶ τῆς ὁσίας Μακρίνης, ἀδελφῆς τοῦ Μεγάλου Βασιλείου.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Dia i prepodobnyja Makriny, sestry velikago Vasilia;* rumen. *Cuv. nostru par. Die şî cuv. Macrin'a, sor'a Marelui Vasiliu.*

---

etiam haereseos in Gregorio Palama laudatae, ne tamen ejus opera omnia in laudem sanctorum variorum et locupletationem sacrorum hymnorum composita exsecranda putemus, facit ejusdem ad unionem Romanam accessio an. 1367, patriarchatus sui anno quinto. Cfr. Ryaeum Bolland. in *acoluthia officii graeci,* praefixa Julii tomo 2, p. 5, ac vide etiam quae ipsi notavimus supra in s. Alexio Kioviensi ad d. 12. Febr.. p. 100.

[2]) Sedulo distinguenda est ab altera *Marina,* virgine religiosa, quae sub virili monachi habitu *Marinus* dicta, occurrit in Vitis Patrum (Migne Patr. lat., t. 73, pp. 691—694). Ejus acta syriaca primus vulgavit Bedjan, *Acta mart. et SS.* t. 1. pp. 366—371.

S. Dius archimandrita CPolitanus, thaumaturgus, celebris monasterii, quod in urbe regia exstitit suo nomine insignitum, fundator, claruit circa an. 433. De eo est sylloge historica in Actis SS. tom. cit. pp. 631—634.

S. Macrina († 380), *soror sanctorum Basilii M. et Gregorii Nysseni*, quorum hic ejus praeclaras laudes fuse descripsit, ob quas etiam, notante Papebrochio *metric. Graecor.* ad h. d., Martyrologio Romano inscripta fuit. Vitam ex s. Gregorio Nysseno habes in Actis SS. tom. cit., pp. 589—604 et apud Migne, Patr. gr. tom. 46, pp. 959—1000. In Kalendariis italo-graecis habet *festum duplex secundae classis cum Octava: μεγαλ. β'. σὺν ἑορτῇ ὀκταημέρῳ.*

κ'. 20. *Ἡ πυρφόρος ἀνάβασις εἰς οὐρανοὺς τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου Ἡλίου τοῦ Θεσβίτου.*

Sancti gloriosi prophetae Eliae Thesbitae igneus (proprie *ignifer) in coelos ascensus.* Caetera Horologia festum compendio sic annuntiant: Slav. *Svjatago slavnago proroka Ilii Thesvitjanina;* rumen. *S. marituhu profetu Elia;* arab. *Ilijâs en-nebî;* syriac. *Mâr Elîjâ N'bîjâ.*

Res gestas, raptum, praesentem statum, cultum, futurum regressum circa finem mundi caeteraque omnia ad *s. Eliam* spectantia late prosequuntur Bollandiani Julii tom. 5, pp. 4—22.

κα'. 21. *Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Συμεὼν τοῦ διὰ Χριστὸν Σαλοῦ καὶ Ἰωάννου τοῦ συνασκητοῦ αὐτοῦ.*

Slav. *Prepodobnych otec našich Simeona Christa radi iurodivago, i Ioanna spostnika jego;* rumen. *Cuv. par. nostri Simeone celu ce s'a facutu nebunu preintru Christosu, sî Joane celu ce a sichastritu impreuna cu densulu.*

In ecclesia orientali plures sancti floruerunt, qui, ut vitae sanctioris famam gloriamque mirabilium factorum de se sparsam abolerent, neve ex ea insolescerent et salutis jacturam facerent, stultitiam simularunt ac quaedam paradoxa atque ab usu vitae communis remota admiserunt, ea de causa cognomento *Σαλός* compellati: a syriaca voce *salos,* quae, testante

Asseman. ad h. d., tantundem valet, quod *simplex, stultus, fatuus.* Sic sub affectato stultitiae velo coelestem suam sapientiam occultasse leguntur in Actis SS. *s. Theodorus Salus* Febr. tom. 3, p. 514; *s. Thomas Salus,* monachus Antiochiae Syriae saeculo sexto, Maji tom. 5, pp. 427—428; *s. Andreas Salus CP.* saeculo decimo, Maji tom. 6. ad calcem pp. 8*—103* et inde relat. apud Migne, Patr. gr. tom. 111, pp. 621—888. Inter hos sanctos *διὰ Χριστὸν Σαλοὺς* eminet *Symeon* noster *stultus propter Christum factus* [1]), *cujus altam sapientiam tamen Deus magnis miraculis declaravit* Martyrol. Rom. ad 1. Julii). De Symeone ejusque *in vita ascetica socio Joanne* haec e synaxario Menol. Basil. enotamus: *Illi Emesa urbe oriundi, Justino imperante, claruerunt* (saec. sexto). *Quum autem ad sanctam civitatem abiissent, et vivificum lignum adorassent, non amplius ad propria reversi sunt, sed ad monasterium s. Gerasimi digressi monachi facti sunt: et monasterium egressi, eremum petierunt, omnem exercitationem austeritatemque per annos quadraginta excogitantes. Postea Joannes quidem in eremo remansit, Simeon vero in sanctam civitatem regressus stultitiamque simulans multa in hac simulatione miracula patravit (καὶ ὑποκριθεὶς μωρίαν, πολλὰ θαύματα ἐν τῇ προσποιήσει ταύτῃ εἰργάσατο).*

Res gestas *s. Symeonis Sali* et, quas iisdem simul intexuit auctor, *s. Joannis, ejus* in anachoresi *collegae,* invenies in Actis SS. Julii tom. 1, pp. 114—151, juncto tomo 5, p. 164. Cfr. etiam *„Zeitschrift für k. Theologie“,* 1894, p. 272.

κβ'. 22. *Τῆς ἁγίας μυροφόρου καὶ ἰσαποστόλου Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς.*

Slav. *Svjatyja myronosicy i ravnoapostolnyja Marii Magdaliny;* rumen. *Sânt'a portatoria de miru sî intocm'a cu Apostolii Mari'a Magdalin'a.*

S. Maria Magdalena unguentifera ad sepulchrum Domini et *aequanda apostolis,* quibus Christi resurrectionem

---

[1]) Cognomen hoc Alt insulse interpretatur *„Der Tänzer um Christi willen“* (Kirchenjahr, p. 192).

missa fuit nuntiatum, in utriusque ecclesiae fastis hodie memoratur. Graeci eam distinguunt tum a *Maria, Marthae ac Lazari sorore,* tum a *Maria, muliere peccatrice;* Latini contra trium hanc foeminarum diversitatem respuentes hodiernam *Magdalenam* tanquam eandem cum *Maria Bethanica* et cum *muliere* illa *peccatrice* colunt. Praeclarum de hac controversia commentarium Bollandiani scripserunt tom. cit. pp. 188—225, trium mulierum unitatem rationibus ad persuadendum perquam accommodatis stabiliendo, quem integrum legisse haud parum intersit.

De transitu Sanctae nostrae in Gallias, de reliquiis ac cultu ejus inter Aquenses jam videnda est disputatio cl. Duchesne: *La Légende de sainte Marie-Madeleine,* Toulouse, 1893. Insignis lucubratio, cujus merita in lucem proferunt Bollandiani in *Analectis,* t. 12. pp. 296—297.

κγ'. 23. *Ἡ ἀνακομιδὴ Φωκᾶ ἱερομάρτυρος καὶ Ἰεζεκιὴλ τοῦ προφήτου· καὶ Τροφίμου, Θεοφίλου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς μαρτύρων.*

Relatio reliquiarum hieromartyris Phocae. De variis sanctis homonymis non leviter intricatis Bollandiani agunt ad 14. hujus, quo hodiernus hoc encomio celebratur in Martyr. Rom.: *Synope in Ponto s. Phocae martyris, ejusdem civitatis episcopi, qui sub Trajano imperatore carcerem, vincula, ferrum ignemque pro Christo superans evolavit in coelum,* initio saeculi secundi: *cujus reliquiae Viennam in Gallia delatae in basilica ss. Apostolorum conditae sunt.* Quae hoc die consignatur *translatio reliquiarum ἀπὸ Πόντου, e Ponto,* ut s. Joan. Chrysostom. testatur *Homil. in s. Phocam,* in urbem regiam, referenda Montfauconii sententia est ad an. 403 vel 404 (apud Migne, Patr. gr. t. 50, p. 799).

S. Ezechiel, quum tempore captivitatis Babylonicae per annos, ut minimum, 22 *prophetasset in Chaldaea, passus est, quia adversa populo ventura praedicabat (τὰ ἐσόμενα κατὰ τοῦ λαοῦ σημαίνων),* ut s. Athanasius refert *Orat. de Incarnat. Verbi, n. 37* [1]). Quae de martyrii genere et sepul-

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 25, pp. 159—160.

turae loco ex apocryphis scriptis afferri solent, Bollandianis April. tom. 1, pp. 848—849 merito haud satis certa videntur.

Qui eodem hoc die fastis graecis latinisque inscripti leguntur *ss. Trophimus, Theophilus, et socii martyres, sub Diocletiano imperatore lapidibus caesi et igne incensi, demum gladio percussi, martyrio coronati sunt* (Martyrol. Rom. h. d.). Illustre eorum certamen ex tabulis ecclesiasticis describunt Bollandiani ad h. d. pp. 385—386.

κδ'. 24. Χριστίνης μεγαλομάρτυρος.

S. Christina, virgo et martyr tam Latinis, quam Graecis notissima, in Martyrol. Rom. h. d. longiori elogio celebratur, quod synaxario Menolog. Bas. pp. 555—558 fere in omnibus consentit. Verum Acta, unde desumpta encomia haec sunt, adeo fabulosa censent Bollandiani ad h. d., ut in accurato eorundem examine candide fateantur n. 68, parum solidae verosimilitudinis elici ex ipsis posse. Dolendum profecto, *s. Christinae* contigisse, quod pluribus aliis insignibus et in utraque Ecclesia cultissimis virginibus ac martyribus, puta *Barbarae, Margaritae* et *Catharinae,* accidisse videmus, ut nobilis earum passio nimirum Actis describatur ex ingenti farragine rerum mirabilium consarcinatis, et quoad pleraque omnia adjuncta sua fabulosis, ut adeo difficillimum sit, aliquid certae veritatis ex iis prudenter ratiocinando eruere.

A Ruthenis hoc die celebrantur duo juvenes principes et fratres, sancti Wladimiri filii, *Borisus* et *Glěbus, in s. baptismo* Romanus et David *appellati (svjatych mučenik Borisa i Glěba, narečennych v svjatom Kreščennii Romana i Davida),* a fratre suo Sviatopolco crudeliter perempti anno 1015. Vitae compendium cum fontibus dat Martinov *ad h. d.* in *memoriis slavicis.* Synodus Zamosciana anno 1720 celebrata et a Benedicto PP. XIII. approbata festum horum sanctorum tum die praesenti, quo obitus [1]), tum die 2. Maji, quo translatio eorundem colitur, inter festa de praecepto connumeravit et ita in Lithuania celebrari jussit. Cfr. superius notata p. 36.

[1]) Occisus est *s. Borisus* ipso hoc 24. Julii, *s. Glěbus* autem 5. Septemb.

Libris eccles. Cryptoferratensibus hodie etiam inscriptum est festum *τοῦ θεράποντος τοῦ Χριστοῦ Φαντίνου*, cujus Acta exornant Bollandiani Jul. t. 5, pp. 547—568.

κε'. 25. *Ἡ Κοίμησις τῆς ἁγίας Ἄννης, τῆς μητρὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.*

Dormitio s. Annae, matris sanctissimae Deiparae; slav. *Uspenije svjatyja Annij, matere presvjatyja Bogorodicij;* rumen. *Adormirea stei Ane mam'a Nascatoriei de Domnedieu.*

Latini s. Annam colunt die sequenti. Praeclara sunt, quae de ejus vita, cultu, miraculis late disserunt Bollandiani Julii tom 6, pp. 233—297. Ex iis contra neotericos haec enotasse juverit: *1.* nomina parentum sanctissimae Deiparae *Joachim* et *Anna* a primis temporibus Ecclesiae fuisse cognita proindeque tamquam germana retinenda esse [1]; 2. eorundem festum apud Graecos antiquius esse, quam apud Latinos, quum CPoli Annae saeculo VI. Justinianus templum dicasse legatur [2], Romae vero eidem demum saeculo VIII. vertente a Leone PP. III. honos sanctorum delatus perhibeatur [3]; *3.* S. Annam fuisse monogamam et Deiparam illius unigenitam.

Recentiora invenies in *Kirchenlexikon,* t. 6, p. 1471, ed. 2: et in *Biblioth. hag. gr.* sub vv. *Joachim* et *Anna,* pp. 9, et 58.

Sanctae Annae hodie conjunctae leguntur *Olympias* et *Eupraxia,* sanctae in fastis graecis celebres.

S. Olympias, vidua et diaconissa CPolitana, nobilissimo genere orta, claruit temporibus s. Joannis Chrysostomi. Qualis quantave fuerit foemina haec et quo sanctitatis fastigio sublimata, ex septemdecim epistolis ejusdem sancti ad eam datis [4] facile potest intelligi; iis enim quasi quibusdam coloribus ejus egregiae laudes panduntur, quum praesertim haec vitans schismaticos, inhaerens catholicis Joannis partibus, ejus causa ad

[1] Janseniani Pistorienses in Kalendario suo ad 26. Julii apposuerunt *Festum ss. parentum B. M. V.,* nominibus ipsis praetermissis.

[2] Procop. *De aedif.* l. 1, c. 3.

[3] Lib. Pontific. *Leo PP. III.* Migne, Patr. lat. tom. 128, p. 1219.

[4] Sub inscriptione: *Τῇ αἰδεσιμωτάτῃ καὶ θεοφιλεστάτῃ διακόνῳ Ὀλυμπιάδι,* exstant apud Migne, Patr. gr. tom. 52, pp. 543—623.

tribunal usque perducta, bonis mulctata aliisque gravissimis aerumnis confecta sit, ut ex antiquis scriptoribus annotat Baron. in Martyr. Rom. d. 17. Dec., quo a Latinis colitur s. Olympias. Res gestas e recentioribus prae caeteris describit Tillemont. *Mémoires ecclés.* tom. 11, pp. 416—440.

S. Eupraxia seu *Euphrasia* virgo, ex urbe CPoli oriunda et Theodosii senioris consanguinea, in monasterio Thebaidis claruit sub eodem imperatore. Acta cum commentariis habes apud Bolland. ad 13. Martii pp. 260—270, quo die latinis fastis inscripta legitur.

In Cod. syr. Vatic. N. 69. ad d. 29. Julii signatur memoria *Eupraxiae* et *Hilariae*, filiarum regum *(b'nath malkê)*. Die 27. Novembr. autem refertur *„Hilaria, filia Zenonis imperatoris victoris, quae sub nomine Joannis Eunuchi claruit“*.

κϛ'. 26. *Ἑρμολάου ἱερομάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ· καὶ Παρασκευῆς ὁσιομάρτυρος· καὶ Συμεὼν τοῦ εἰς τὴν μάνδραν.*

Nicomediae s. Hermolai presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est; sanctorum quoque Hermippi et Hermocratis fratrum, qui post multas poenas sibi illatas a Maximiano capitali sententia ob confessionem fidei puniti sunt. Ita Martyr. Rom. die sequenti, quo eorundem res gestae brevi compendio describuntur in Actis SS. Jul. tom. 6, pp. 426—429. — Hermolaum ex numero sanctorum *ἀναργύρων* esse, supra animadvertimus p. 89.

Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Παρασκευῆς; slav. *Sv. prepodobnomučenicy Paraschevi;* rumen. *St'a cuveniosa mart. Paraschevi.*

Non minus quinque *ss. Parascevias* distinguunt hagiographi: *1. Siculam,* quae hodie colitur; *2. Ternobiensem* (14. Oct.), *3. Iconiensem* (28. Oct.); *4. Polocensem* (item 28. Oct.) et *5. Romanam* (Martyrol. Rom. ad 20. Mart.).

S. Parasceve, Sicula, παρθενόμαρτυρ in Graecorum fastis *notissima,* ex Menaeorum relatione ex Italia oriunda, et *feria sexta* nata ideoque in baptismo *Παρασκευή* appellata, post multas res praeclare gestas martyrio coronata est, forte sub

Antonino imperatore. De ea agunt Bollandiani tribus in locis, ac *primo* quidem in Metrico Graecorum ad h. d., ubi eam a Latinis *Veneram* ac *Venerandam* dici animadvertit Papebrochius, quod feria sexta ut Graecis παρασκευή sic Latinis dies *Veneris* nuncupetur[1]; *deinde* in praetermissis ad ipsum hunc diem, ubi parum credibilem historiam ejus certaminis ex Menaeis sistit Sollerius; *ad extremum* in praetermissis ad 28. Julii, quo loco nugatoria ac fabulosa rhapsodia, a nonnullis vitae loco exhibita, plane rejicitur.

Summam historiae seu verius pii dramatis ex Menaeis graecis et ex Breviariis Siculis et Gallis habes in lectionibus secundi Nocturni officii, quod editum est Catanae an. 1781 sub hoc titulo: *Officium proprium in festo s. Venerae, Virginis et Martyris, principalis patronae totius Acis, ab omnibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ibi ad horas canonicas tenentur, ex novo indulto recitandum. Duplex primae classis cum Octava. Typis Joachim Puleji, expensis Reverendi cleri civ. Acis s. Antonii.* Quum Papa tamen *vivae vocis oraculo* voluisset, ut nomen *Venerae* mutaretur in *Venerandam*, prout sancta inscripta legitur in Martyr. Rom. ad d. 14. Novembris, Rmus. episcopus Jacensis seu Acis Regalis, D. Gerland. M. Genuardi, officium in meliorem formam redactum Sacrae Rit. Congregationi approbandum obtulit[2]; verum Patres Ritibus tuendis praepositi nondum censuerunt ejus preces esse admittendas. In novo hoc officio encomium Martyrologii ad Primam legitur ejusmodi: *Aci Xinophoniae, in Sicilia, festum nativitatis sanctae Venerandae, virginis et martyris, civis et principalis patronae urbis et totius Acis, quae, ut Graecorum Euchologia et latina testantur monumenta, nobili orta genere, a teneris annis christianam religionem mirifice coluit, atque functis vita parentibus, quae possidebat, pauperibus distribuit, et acta Christi caritate, exivit praedicans verbum Dei, multas Siciliae peragrans civitates, quas excusso idolorum cultu, e gentilitatis tenebris, in quibus delitescebant, ad fidem Christi convertit.*

---

[1]) Ex eadem ratione Ruthenis est *Pjatanka, Pjatnica* et Serbis *Petka.*

[2]) Prodiit Aci Regali ex typographia episcopali Vincentii Strano Meli, 1874.

Exteras deinde provincias percurrens quam plurimos ethnicorum ad catholicam religionem vocavit. Tandem in Gallia, sub Antonino imperatore et Asclepiade praeside, multis magna constantia toleratis tormentis, martyrio coronata ad sponsum feliciter migravit.

S. Symeon senior, stylites, in pluribus Kalendariis hodie notatus est sub titulo *τοῦ εἰς τὴν μάνδραν* vel *τοῦ ἐν μάνδρᾳ*; cujus festi ratio repetenda est ex encaeniis templi, quod Sancto *ἐπέκεινα τοῦ Ἀνάπλου, ultra Anaplum,* CP. suburbium, dedicatum erat.

Μάνδρα proprie est *stabulum, caula, pecudum receptaculum,* ac metaphora inde sumpta accipitur pro *coenobio,* quia *μοναστήριον* est, verba sunt Metaphrastis in *Theodosio coenobiarcha* n. 23, *σηκὸς τῶν πνευματικῶν προβάτων, caula ovium spiritualium* (Migne, Patr. gr. t. 114, p. 496). Hinc *praepositus monasterii ἀρχιμανδρίτης,* veluti *ἄρχων τῆς μάνδρας,* vocatus est.

De statione s. Symeonis autem sumitur vocabulum *μάνδρα,* quod *χῶρος τῆς ἀσκήσεως αὐτοῦ* angustis limitibus esset circumscriptus ipseque in eo tamquam in septo clausus; per annos 47 enim intra illos limites *in montis vertice asperiori disciplina se exercuit,* nec pedem inde unquam extulit. A loco denique translatum nomen legitur ad aedem ibidem exstructam; uti Evagrius testatur saeculo sexto, quum omnia loca haec ipse invisisset [1]).

κζ'. 27. *Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος καὶ ἰαματικοῦ Παντελεήμονος.*

Slav. *Svjatago velikomučenika i cělitela Panteleimona;* rumen. *S. marele mart. sî vindecatoriulu Panteleimonu.*

Sanctus hic *magnus martyr et medicus ἀνάργυρος Pantaleon,* Graecis, nomine divinitus mutato, *Panteleemon,* Nicomediae in Bithynia multis gloriosis certaminibus sub Maximiano palmam adeptus, totoque Oriente atque Occidente celeberrimus, hodie refertur in fastis ecclesiasticis.

---

[1]) Hist. eccl. l. 1, c. 14, apud Migne, Patrol. gr. tom. 86, pp. 2459—2460.

In Kalendariis orientalibus variis nominibus inscriptus legitur, ut ecce: *Asia, Pantoleon, Pantaleo, Pantill, Patlan, Batalan.* Eum, notante Boschio, socio Bolland., in Actis Graeci *Παντολέοντα* nominant, quum ea narrant, quae sancto martyri acciderunt ante revelationem ultimam, qua illud nomen, altero substituto, antiquatum creditur. Ipsi quippe tunc declaratum divinitus fuit, eum non amplius *Pantoleonem,* sed *φερωνύμως Panteleemonem* esse vocandum, quod *plurimi per te consequentur misericordiam, πλεῖστοι ἐλέους διὰ σὲ τεύξονται* [1]).

Tillemontius quidem Acta ejus omnia rejecit ut fabulosa [2]), verum plane dignus lectione est commentarius, quo ea Bolland. exornant Jul. tom. 6, pp. 397—426.

κη'. 28. *Προχόρου, Νικάνορος, Τίμωνος καὶ Παρμενᾶ τῶν ἀποστόλων καὶ διακόνων.*

Quatuor hi sunt ex septem primis *diaconis,* post ss. *Stephanum et Philippum* in Actis Apostolorum (6, 5) nominati, quos Latini aliis diebus honorant: *Nicanorem* 10. Januarii, *Parmenam* 23. Januarii, *Prochorum* 9. Aprilis, *Timonem* 19. Aprilis; *Nicolaus* vero nullibi memoratur, studio fortasse praeteritus, quod Nicolaitarum haeresim ab eo adinventam putaverint veteres: quod tamen, ut verbis Papebrochii, *metric. gr.* ad h. d., utamur, refugit animus credere absque certiore probatione. Bollandiani de hodiernis diaconis agunt diebus, quibus inscribuntur Martyrologio Romano: 10. et 23. Januarii, 9. et 19. Aprilis.

κθ'. 29. *Καλλινίκου μάρτυρος καὶ Θεοδότης καὶ τῶν τριῶν τέκνων αὐτῆς μαρτύρων.*

Gangrae in Paphlagonia s. Callinici martyris, qui virgis ferreis verberatus aliisque suppliciis cruciatus, tandem in fornacem injectus spiritum Deo reddidit (Martyr. Rom. h. d.): cui elogio in substantia consonant synaxaria graeca. Acta latina illustrant Bollandiani Julii tom. 7, pp. 50—53; textum

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 115, p. 476.
[2]) Mémoires ecclés. tom. 5, p. 642.

graecum invenies in operibus Metaphrastis apud Migne, Patr. gr. tom. 115, pp. 477—488.

Quae praeterea hoc die in Menaeis memoratur s. *Theodota cum tribus filiis martyribus* Nicaeae sub Diocletiano, in fastis nostris signatur 2. Augusti, quo die et in Actis SS. Augusti tom. 1, pp. 147—154 exhibentur.

In Kal. syr. vat. msc. N. 69 hodie referuntur *Laudes* (Qullasa) *s. Jacobi Doctoris,* sc. Sarugensis († 521), de quo videatur Assem. *B. o.* t. I, pp. 283—340.

λ'. 30. *Σίλλα καὶ Σιλουανοῦ τῶν ἐκ τῶν ο' ἀποστόλων καὶ Ἰωάννου τοῦ στρατιώτου.*

In Macedonia beati Silae, qui quum esset de primis fratribus et ab Apostolis ad ecclesias gentium una cum Paulo et Barnaba destinatus (Act. 15—18), *praedicationis officium gratia Dei plenus instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans postmodum requievit.* Ita Martyr. Rom. ad 13. Julii, quo die etiam Bollandiani ejus res gestas ex sacris literis colligunt Julii tom. 3, pp. 452—453.

Hodiernum *Silam* eundem esse cum *Silvano,* qui ponitur in inscriptione epistolae ad Thessalonicenses, s. Hieronymus testatur ep. 18. ad Damasum in fine haec scribens[1]): *Sciendum, Silam collegam Pauli lingua hebraea apostolum dici, qui cum eo nonnullas epistolas scribit; et vitiose Silvanus legitur pro Sila, quum Silvanum in Apostolorum Actis non legamus.* Unum hunc Silam a Graecis perperam in duos dividi, post s. Hieronymum gravibus argumentis iidem Bollandiani planum faciunt tum l. c., tum in praetermissis ad h. d. 30. Julii, p. 139.

Sancti Joannis, militis animo et factis clari sub Juliano apostata, elogia habes in Actis SS. Julii tom. 7, pp. 159—160.

λα'. 31. *Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου (ἢ τοῦ νέου) Εὐδοκίμου.*

Slav. *Svjatago i pravednago Eudokima;* rumen. *S. sî dereptulu Eudochimu.*

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 22, p. 376.

S. Eudocimus, virtutibus in vita et miraculis post mortem clarus, duplici cognomento *justi* et *junioris* appellatus, decessit anno circiter 843. Acta SS. dant Vitam latinam h. d.: graecam recens vulgavit Loparev, Petropoli, 1893. Ejus initium hoc est: *Εὐδοκίμου τοῦ κατὰ Θεὸν φερωνύμως εὐδοκιμήσαντος ὁ βίος, Eudocimi, qui convenienter suo nomini* [2]) *ex Deo laudem est assecutus, Vita.*

In Menaeis hodie etiam signatur: *ἡ ἀνάμνησις τῶν ἐγκαινίων τοῦ σεβασμίου οἴκου τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, τοῦ ἐν Βλαχέρναις, ἔνθα ἀπόκειται ἡ ἁγία σορός.* Hanc *s. loculi depositionem in Blachernis* in Kalendario CP. jam relatam vidimus supra pp. 201—202, ad diem 2. h. m.

Προεόρτια τῆς προελεύσεως τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ.

Slav. *Predprazdenstvo proischoždenija čestnago i životvorjaščago kresta;* rumen. *Preserbarea scoterii onoratei sî de vietia facotoriei cruci.*

In Menaeis impressis hujus diei appellatio sic declaratur: *προεόρτια τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, ἤτοι ἡ ἐξέλευσις αὐτοῦ ἐκ τοῦ βασιλικοῦ παλατίου εἰς τὴν πόλιν.*

Profesto hoc die processionis pretiosae et vivificae crucis lignum sanctae crucis *e palatio imperatoris* CPolitano *prolatum (ἐξέλευσις)*, in magnam ecclesiam s. Sophiae translatum est *(εἴσοδος)*, ut crastino die ibidem *adoranda* proponeretur, ad depellendos scilicet ingruentes per aestatem morbos, uti ex libris liturgicis notant Bollandiani in praetermissis ad 30. et 31. Julii.

---

[2]) De vi ac ratione *τοῦ φερωνύμως* diximus supra in *s. Leone* ad 20. Febr. p. 108. Est autem *εὐδόκιμος probatus, laudatus, splendidus, admirandus.*

AUGUSTUS.

Μὴν Αὔγουστος; mensis Augustus; slav. *mĕsjac August;* rumen. *lun'a lui Augustu;* arab. *Ab.*

Augustus a loco, quem a Martio obtinet, olim *Sextilis* dictus, in Octavii Caesaris honorem *Augusti* nomen adeptus est, quia eo mense primum consulatum inierat, ter triumphator in Urbem ingressus fuerat, Aegyptum in ditionem populi Romani redegerat finemque imposuerat bellis, ut est in ipso senatus consulto hac de re lato apud Macrob. Sat. l. 1, 12. Duos menses Julium atque Augustum *de honoribus hominum Julii Caesaris et Augusti Caesaris nuncupatos* memorat s. Augustinus tum *De Doctrina christ.* l. 2, c. 21 [1]) tum *Contra Faust. Manich.* l. 18, c. 5 [2]).

α'. 1. *Ἡ πρόοδος τῶν τιμίων ξύλων τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τῶν ἁγίων Μακκαβαίων. Ἄρχεται ἡ νηστεία τῆς Θεοτόκου.*

Processio venerabilium lignorum venerandae et vivificatricis crucis; slav. *Proischoždenije čestnych drev čestnago i životvoriaščago kresta;* rumen. *Scoterea onorateloru lemne a onoratei sî de vietia facatoriei cruci.*

In Kalendario CP. saeculi octavi a Morcellio edito huic celebritati agendae assignatus legitur dies antecedens, h. e. ultimus Julii. De ritu in processione *(ἐν προόδῳ)* atque in ipsa *adoratione crucis* servando Menaea ad finem Matutini praescribunt:

Εἶτα γίνεται εἴσοδος, καὶ γίνεται ἡ προσκύνησις τοῦ τιμίου σταυροῦ κατὰ τὸν τύπον τῆς τρίτης κυριακῆς τῶν νηστειῶν.

Postea fit ingressus et peragitur adoratio crucis pretiosae juxta modum Dominicae tertiae jejuniorum.

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 34, p. 51.
[2]) Ibid. tom. 42, p. 346.

Festi causam afferri jam vidimus hesterno die, ut morbi hoc mense quam aliis frequentiores in urbe regia sedarentur. Institutam in Russia festivitatem dicunt saeculo duodecimo, regnante *Andrea Bogolubski,* h. e., *Dei amante,* anno, ut videtur, 1164, in gratam memoriam victoriae de inimicis (Bulgaris) reportatae, addita etiam solenni aquae benedictione, quae hodieque peragitur. Videsis Martinov, *An. gr. sl.* ad h. d.

Μνήμη τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων τῶν Μακκαβαίων· καὶ τῆς μητρὸς αὐτῶν Σαλομονῆς· καὶ τοῦ διδασκάλου αὐτῶν Ἐλεαζάρου.

Slav. *Pamjat svjatych sedmi mučenik Makkavei, i matere ich Salomonii, i učitela ich Eleazara;* rumen. *Amentirea ss. siepte martori Macavei, sî a mamei loru Solomoni, sî a dascalului loru Eleazaru;* arab. *dzikr esch-schuhadâ el-Makkâbijjîn;* syriac. *'îdâ da Sch'mûnî v'dab'nêh.*

In Menaeis graecis memorantur *ss. Machabaei* sub nominibus propriis: *Ἀβείμ, Ἀντωνίου, Γουρία, Ἐλεαζάρου, Εὐσεβωνᾶ, Ἀχείμ, Μαρκέλλου.*

De *sanctis Machabaeis martyribus* Antiochiae in Syria ad hunc diem in antiquissimis etiam Kalendariis relatis (ut in syriaco a Wright edito) post Baronium *Not. ad Martyr. R.* h. d. late agunt Bollandiani Augusti tom. 1, p. 5—15, eorundem celeberrimum juxta ac vetustissimum cultum in universa Ecclesia multis Patrum testimoniis illustrantes martyriique Acta ex ipsis sacris literis exscribentes. Nomen *matris eorum,* Graecis *Σαλομονή,* Syris *Sch'mûni,* quod neque in sacris literis expressum neque ab antiquis Patribus traditum est, libri rituales Graecorum referunt.

Ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας ἀρχόμεθα τῆς νηστείας τῆς Θεοτόκου. Ab hoc die incipimus jejunium Deiparae. Ita Horolog. magn. h. d.

Observat ecclesia graeca[1]) praeter Quadragesimam Paschae alia *tria jejunia* majora, quae et *Quadragesimas* apellant: *primum*

[1]) Varia olim variorum fuisse jejunia docent Balsamon tum in *responso ad 53. quaest. Marci Alexandrini* (apud Migne, Patr. gr. tom. 138, pp. 1001—1002), tum in epistola propria *de jejuniis* ibid. pp. 1335—1360, et Gregorius protosyncellus *in apologia pro concil. Florent. ad-*

a Deipara nominatum, quod initium ducit a die 1. Augusti et desinit 14. inclusive ejusdem mensis; *alterum* a Nativitate Christi appellatum, quod dies 40 complectitur a die 15. Novemb. ad d. 24. Decemb. computatos; *tertium* denique a ss. Apostolis Petro et Paulo dictum, quod tempus a Dominica omnium sanctorum (Dom. I. post Pentecost.) ad d. 28. Junii involvit. Ejus in altera hujus commentarii parte inter festa conceptiva mentio fiet, quum a varietate festorum mobilium pendeat.

De *jejunio gloriosissimae Deiparae (περὶ τῆς νηστείας τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου)* exstat tractatus Anastasii, archiepiscopi Caesareae in Palaestina, qui claruit circa an. 1090, apud Migne, Patr. gr. tom. 127, pp. 519—532. In eo legimus pp. 525—526: *Jejunium, quod praecedit sanctissimae Deiparae dormitionem, a sanctis patribus divinisque patriarchis traditum est, et honorifice illud servant cunctae urbes ac regiones orthodoxorum, praesertim magna felixque civitas CPolis magnaque ecclesia. Verum postea aetate domini Leonis philosophi et imperatoris*[1]*), adinvento festo Transfigurationis, quum ille constituisset, ut id celebraretur, per hosce dies, jejunii inquam, occasionem ceperunt quidam voluptatis studiosi, et quasi honore persequerentur solemnitatem Servatoris, eo die carne vescebantur. Quod sapientissimus imperator lege lata prohibuit; unde integrum jejunium quindecim dierum a cunctis servatur et jejunatur pure (ὅλη ἡ νηστεία τῶν δεκαπέντε ἡμερῶν φυλάττεται παρὰ πᾶσι καὶ καθαρῶς νηστεύεται).*

Caeterum trium horum jejuniorum tempore prohibitus non est usus vini, olei et piscium praeter ferias IV. et VI., quibus *Alleluja* cantatur et *μετάνοιαι* seu *corporis prostrationes* praescribuntur; quibus diebus festis vero vinum, oleum, pisces concedantur, etiamsi in ferias IV. et VI. incidant, Horologium magn. indicat solita rubrica *κατάλυσις οἴνου καὶ ἐλαίου, κατάλυσις ἰχθύος*, ut dictum est supra p. 62.

β'. 2. Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων τοῦ ἁγίου πρωτομάρτυρος καὶ ἀρχιδιακόνου Στεφάνου.

Translatio reliquiarum s. Stephani protomartyris et archidiaconi; slav. *Prenesenije moščej svjatago pervomučenika i archidiakona Stefana;* rumen. *Aducerea mosteloru s. antaniului mart., sî archidiaconu Stefanu.*

---

versus Marc. Ephesin. apud L. Allat. *De utriusque ecclesiae consensione* l. 3, c. 12, ubi et de tribus majoribus jejuniis postea communiter receptis refertur haec Joan. Citrii sententia: *τὰς τρεῖς τιμῶμεν καὶ ἀσπαζόμεθα τεσσαρακοστάς*, *tres Quadragesimas veneramur et amplectimur.*

[1]) Opera Leonis Augusti (886—911), cognomento *τοῦ Φιλοσόφου* sive *τοῦ Σοφωτάτου* exhibet Migne, Patr. gr. tom. 107.

De s. *Stephano* nomen *μάρτυρος*, *testis*, primum usurpavit s. *Paulus* in concione ad Hebraeos habita Act. 22, 20, ubi, converso ad Jesum sermone, ait: *Καὶ ὅτε ἐξεχεῖτο τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς καὶ συνευδοκῶν*, *et quum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam et consentiebam.* Patribus est[1]) *ἀπαρχὴ τῶν μαρτύρων*, *primitiae martyrum*; *ἡ κορυφὴ τῶν μαρτύρων*, *vertex martyrum*; *ὁ τῶν μαρτύρων ἔξαρχος*, *martyrum princeps*; *ἀρχιστράτηγος τῶν καλλινίκων μαρτύρων*, *triumphatorum martyrum dux*; *ὁ πρῶτος ἀνοίξας τὰς τοῦ μαρτυρίου θύρας*, *qui primus martyrii fores aperuit*; *πρῶτος τῷ χορῷ τῶν μαρτύρων ὁδοποιήσας τὴν εἴσοδον*, *qui primus choro martyrum aditum patefecit*; *ὁ πρῶτος τῆς μαρτυρικῆς φάλαγγος*, *phalangis martyrum antesignanus*; et simpliciter *πρωτόμαρτυρ* et *πρωτόμαρτυς*, quo nomine eum etiam Ecclesia passim vocat, quod caeteris martyribus exemplo praeiverit. A genere certaminis Graecis etiam dicitur *λιθοβόλειτα* et *λιθοβόληθος*, *lapidibus petitus atque obrutus.*

In Martyrologio Rom. annuntiatur ad diem sequentem *Hierosolymis inventio corporis beatissimi Stephani protomartyris, et sanctorum Gamalielis, Nicodemi et Abibonis, sicut Luciano presbytero divinitus revelatum est Honorii principis tempore*, die 3. Decembris anni 415. Authenticam ipsius Luciani relationem latine redditam vulgavit Baronius in *Annal.* ad eundem an. 415. Fabula igitur est, quae in Menaeis et in Menolog. Basil. narratur, de translatione reliquiarum sub Constantino Magno (*τῇ παρουσίᾳ τοῦ ἐν ἁγίοις Κωνσταντίνου τοῦ χριστιανικωτάτου καὶ πρώτου ἐν βασιλεῦσιν*: Men.); inventae enim sunt centum prope annis post mortem ejus. Postea vero ex sacris illis pignoribus particulas quasdam CPolim asportatas tradunt scriptores[2]); quare annua translationis festivitas Kalendario inscripta reperitur idque ad 2. (apud occidentales ad 3.) Augusti, quod ipse hic dies antiquitus fuisset sancto protomartyri sacer[3]).

[1]) Multa de his epithetis testimonia ex Patribus collecta vide apud Suicerum in *Thesauro eccles.* sub nomine *Στέφανος*, n. 4.

[2]) Cfr. Theodor. Lector. *Hist. eccles.* l. 2, n. 64, apud Migne, Patrol. gr. tom. 86, pp. 215—216.

[3]) Longe ante inventionem s. Stephani hunc (vel sequentem) diem

De *inventione et translatione reliquiarum s. Stephani* post Baron. erudite scripserunt Bollandiani eodem hoc die, Asseman. *Kal.* ad h. d., Morcelli *Kal. E. CP.* ad d. 27. Dec. et Lagrange, *Saint Étienne et son sanctuaire à Jérusalem*, Paris, 1894. Cfr. etiam *Analecta Bolland.* 1895. pp. 117—118.

γ'. 3. Ἰσαακίου, Δαλμάτου καὶ Φαύστου τῶν ὁσίων.

Hegumeni monasterii *Dalmati*, omnium quae CPoli exstiterunt celeberrimi, successive fuerunt *Isaacius*, de quo diximus supra ad d. 30. Maji, p. 167, *Dalmatius* seu *Dalmatus*, fidei catholicae defensione celebris, ut annotat Baronius in *Martyr. Rom.* d. 5. Decemb., cujus Acta cum epistolis ab eo ad synodum Ephesinam et a synodo ad ipsum datis illustrant Bollandiani tom. cit. pp. 214—225; *Faustus*, sancti Dalmati filius, qui et ipse cum patre *celeberrimus apud imperatorem senatumque evasit, ac plurima miracula ad Dei gloriam patravit* (Menol. Basil. h. d.). Caetera de spectatissimorum horum virorum laudibus complexi sunt Bollandiani duobus locis jam indicatis.

δ'. 4. Τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων τῶν ἐν Ἐφέσῳ (κοιμηθέντων) καὶ τῆς μάρτυρος Ἴας καὶ τῶν σὺν αὐτῇ.

Septem sanctorum puerorum (qui) *Ephesi* (dormierunt); slav. *Svjatych sedmi otrokov, iže v Ephesě;* rumen. *Ss. siepte coconi celi dein Efesu*; Latinis vulgo *septem dormientes* appellati et 27. Julii honorati, ad quem diem Bollandiani Acta accuratius expendentes pp. 375—397, ostendunt, eosdem et *pueros* fuisse et *martyres* medio saeculo tertio, confictam vero

---

in ejus honorem fuisse dicatum, postmodum autem solemniorem redditum ex commemoratione praedictae inventionis, haud immerito existimat Geronius in *Notis ad Baronii Martyrologium;* etenim ex antiquis Martyrologiis (apud Migne, Patr. lat. tom. 94, pp. 996—997) constat, olim jam die 3. Augusti celebrem ejus memoriam Anconae fuisse *ob lapidem, quo idem in cubito percussus est, quemque tulit aliquis ex fidelibus, qui lapidationi interfuerunt et, in Italiam delatum, Deo jubente, Anconae reliquit,* ut est apud s. Augustin. *serm. 323.* apud Migne, Patr. lat. tom. 38, pp. 1445—1446.

post saeculum septimum esse totam historiam de longo illo somno, cui se dedisse feruntur, in spelunca prope Ephesum abditi, quo tempore Decius in Christianos saeviebat, qui demum somnus casu excussus esset Theodosii junioris aetate, aperta forte spelunca, in quam ducentos ante annos confugegerant. Rationem nominis *dormientium* post Baronium in *Notis ad Martyr. Rom.* ad d. 27. Jul. aliosque Morcelli *K. E. CP.* ad d. 2. Aug. deducit tum ex usu loquendi sacrarum literarum, quo mors *somnus,* et qui pie et religiose vita functus est, *dormiens* appellatur, tum ex more christiano, quo conditoria martyrum, qui beatissima maxime in pace quiescunt, *κοιμητήρια* a *dormiendo* nomen obtinuerunt; inde vero famam ortam esse docet, septem hosce martyres sub Theodosio juniore experrectos, rursum omnes in hominum lucem venisse, quod sub illius principatu corpora eorum integra reperta essent et in templum translata omnium se oculis prodidissent.

In Perside ss. martyrum Iae et sociarum, quae cum novem millibus christianis captivis *sub Sapore diversis poenis afflictae martyrium subierunt* anno 362 (Martyr. Rom. h. d.). Quod Bollandiani olim conjectura statuerant tom. cit. pp. 330 seqq., sanctam *Iam* eandem esse cum *s. Eudocia*, cujus *reliquiarum translatio* hodie in Menaeis annuntiatur, Assemanii argumentis ex Actis syriacis petitis confirmarunt *Act. Martyr. oriental.* tom. 1, pp. 131 seqq. juncto *Kal. E. U.* h. d. Quin et in ipsis karšun et syr. CC. vat. 19 et 77 martyr graeco suo nomine *Eudocia* signatur. Interpretationem germanicam Actorum dat Pius Zingerle, *Martergeschichte der sogenannten* „gefangenen heil. Märtyrer", in sylloge versionum infra citanda ad 1. Sept., a p. 109 ad p. 116.

ε΄. 5. *Εὐσιγνίου μάρτυρος.*

Antiochiae s. Eusignii militis, qui annum agens 110, quum Constantini Magni fidem, sub quo militaverat, Juliano apostatae exprobraret, eumque ut patriae pietatis desertorem redargueret, ab eodem jussus est capite caedi (Martyr. Rom. h. d.). Actorum examen instituunt Bolland. Aug. tom. 2, pp. 70—72.

Quem ex Menaeis Kalendaria slavica hodie referunt *Fabium Papam*, Latini *Fabianum* appellamus, ac martyrii lauream adeptum an. 250 colimus die 20. Januarii. Lectu dignum de eo commentarium eo die habent Acta SS.

ς'. 6. *Ἡ ἁγία Μεταμόρφωσις τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

S. Transfiguratio Domini et Dei et Salvatoris N. J. Ch.; slav. *Svjatoje Preobraženije Gospoda i Boga i Spasa našego Isusa Christa;* rumen. *Scaimbarea la facia a Domnului nostru Isusu Christosu;* arab. *Tadschallî rabb'nâ Jesû'el-Mesîch;* syriac. *'îdâ d'geljânê d'mâran.*

Antiquissimam in Oriente diei hujus solemnitatem produnt orationes Patrum enumeratae ab Asseman. *K. U. E.* h. d. Eam serius in Occidente institutam fuisse, post Sollierium *ad Usuard.* probat Morcelli ad eundem hunc diem. Ipsa porro festi celebritas in ecclesia graeca magna admodum est, quum per octo dies integros protrahatur, praecedentibus etiam *προεορτίοις* seu pridianis solemnibus, prout in ipso Horologio ad diem 5. praescribit rubrica Vigiliae.

Περὶ τοῦ ἐν Θαβωρίῳ θείου φωτός, *de lumine divino in monte Thabor* discipulis ostenso, quod catholicis semper fuit increatae et invisibilis gloriae ac majestatis Dei visibile et creatum signum, gravissima est inter Graecos quaestio, praesertim ex quo illud increatum, aeternum adeoque ipsum naturale Dei lumen fuisse, et tamen in se et secundum se corporeis Apostolorum oculis patuisse Gregorius Palamas [1]) contendit; ut nimirum ejus exemplo impium *ἡσυχαστῶν* sive *ὀμφαλοψύχων* errorem defenderet, qui in exercitationibus suis, appresso ad pectus capite, contortisque ad umbilicum oculis ac suppresso spiritu, coelestem quamdam, increatam, divinam, et nihilominus ipsis corporeis oculis conspicuam lucem videre se, inexhausta voluptate affici ardoremque s. Spiritus concipere ac per nares efflare dicebant.

Rem paucis describit Leo Allatius, *De ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione* l. 2, c. 17, n. 2, ubi ait [2]):

Ὀμφαλόψυχοι, *umbilicanimi*, ita dicti sunt a modo, quo preces suas Deo effundebant, non tam recens nato, sed multo ante a

---

[1]) *Φῶς ἄκτιστον καὶ αἰώνιον, οὐ κτιστῇ τινι δυνάμει, ἀλλ' ἀποῤῥήτως, εἰ καὶ ὀφθαλμοῖς, ὁρᾶται.* Ita Gregorius passim.

[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 150, pp. 899—900.

Simeone Xerocerci monasterii abbate invento, et monachis, qui se *ἡσυχασιάς*, *Quiescentes* seu *Quietistas* a *quiete* et animo imperturbato nuncupabant[1]), scripto etiam tradito. Is in opere, quod *De sobrietate et attentione* scripsit, haec praecipit:

Καθίσας ἐν μιᾷ γωνίᾳ κατὰ μόνας πρόσεξαι ποιῆσαι ὃ λέγω σοι. Κλεῖσον τὴν θύραν, καὶ ἔπαρον τὸν νοῦν σου ἀπὸ παντὸς ματαίου, ἤγουν προσκαίρου. Εἶτα ἐρείσας τῷ στήθει σὸν πώγωνα, κινῶν τὸν αἰσθητὸν ὀφθαλμὸν σὺν ὅλῳ νοΐ ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας, ἤγουν κατὰ τὸν ὀμφαλόν, ἄγξον καὶ τὴν τῆς ῥινὸς τοῦ πνεύματος ὁλκήν, τοῦ μὴ ἀδεῶς πνεῖν. Ἐρεύνησον ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις εὑρεῖν τὸν τόπον τῆς καρδίας, ἔνθα ἐμφιλοχωρεῖν πεφύκασι πᾶσαι αἱ ψυχικαὶ δυνάμεις. Καὶ πρῶτον μὲν σκότος εὑρήσεις καί πάχος ἀνένδοτον· ἐπιμένοντος δὲ σοῦ καὶ τούτου τοῦ ἔργου νυκτὸς καὶ ἡμέρας ποιουμένου, εὑρήσεις, ὢ τοῦ θαύματος! ἄληκτον εὐφροσύνην. Ἅμα γὰρ εὕρῃ ὁ νοῦς τὸν τόπον τῆς καρδίας, βλέπει παρευθὺς ἃ οὐδέποτε ἠπίστατο. Βλέπει γὰρ τὸν μεταξὺ τῆς καρδίας ἀέρα, καὶ ἑαυτὸν φωτεινὸν ὅλον καὶ διακρίσεως ἔμπλεον.

Attende ut facias, quod tibi dico; clausis foribus sedeas in uno aliquo angulo seorsim, mentemque tuam abstrahas ab omni vanitate, omni re fragili et caduca. Deinde mentum tuum pectori innexum inhaereat, moveasque sensibilem oculum cum tota mente tua in medio ventris, in umbilicum scilicet: quin etiam constringe attractionem spiritus narium, ut non facile spires; et inquire intus in visceribus, ut reperias locum cordis, ubi animi facultates morari solent. Et primum quidem invenies tenebras et crassitudinem minime cedentem: ubi vero perstiteris ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, o rem admirandam! percipies laetitiam, quae nullo puncto temporis intermittit. Quam primum enim mens locum cordis repererit, statim aspicit, quae nunquam sciebat. Siquidem viso aëre, qui inter spatium cordis exstat, se ipsa totam lucidam et discernendam praebet.

Vides, ita pergit Allatius, eos in medium ventrem, umbilicum nempe, oculos dirigere ibique facultates animae commorantes intueri! Id etiam Palamas plurimis locis confirmat, ut adversus eum Demetrius Cydonius[2]) probat. Quare recte *ὀμφαλόψυχοι*, *umbilicanimi*[3]), dicti sunt, quod in umbilico animam illiusque facultates quaererent et invenirent, tum demum lumine implerentur. Si petas ab ipsis, lumen illud, quo ita dispositi homines circumfundebantur, quid esset, post multas verborum ambages respondent, esse gloriam Deitatis increatam; et eam tamen humano

---

[1]) Veniunt etiam nomine *τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων*, *sacrae indulgentium quietudini*, quemadmodum haec appellatio latine redditur ibid. pp. 1101—1202.

[2]) De Demetrio Cydonio ejusque libris contra Gregorium Palamam editis consule Rmum. Stein loco mox adducendo pp. 552—554.

[3]) Germanice *Nabelseelen, Nabelschauer.*

visui subjici. Ad quae confirmanda lumen, quod in Transfiguratione Domini apparuit, adducitur [1]).

Assertam ab *ἡσυχαστῶν* divinitatem atque aeternitatem luminis Thaborii, oculis corporeis tamen visi, unico hoc argumento doctores catholici invicte refutarunt: Quidquid est, id aut Deus est, aut creatura. Si Deus, non ergo oculis corporeis conspici potest; si creatura, non ergo increatum. Iidem vero catholice admiserunt, visum quidem in monte Thabor esse lumen divinum et increatum, sed non in se ac secundum se; quum sic oculis corporeis aspectabile non sit, sed in alio, nempe in lumine creato; sicut Spiritus sanctus descendens super Christum tempore baptismi visus est non in se, sed in alio, h. e., in specie columbae; quidquid enim discipulorum oculis apparuit, id divinae illius et increatae et inaspectabilis gloriae creata quaedam imago erat, quae cum Transfiguratione coepta incepit et cum finita desiit, quemadmodum recte est vereque animadversum a Jac. Gretsero in prolixa annotatione in Joan. Cantacuzen. *Histor.* l. 2, cc. 39 et 40. apud Migne, Patr. gr. tom. 153, p. 688.

Universam Palamitarum haeresim [2]) ac multa alia, si non aperte haeretica, certe incredibiliter absurda eorundem dogmata more suo erudite exagitat Petavius, *Theolog. dogmat.* l. 1, cc. 12 et 13.

---

[1]) Hinc dictum Gregorii Palamae:

ὅτι τὸ κατὰ τὴν ἐν Θαβωρίῳ θείαν τοῦ Χριστοῦ Μεταμόρφωσιν δεσποτικὸν φῶς οὐ κτίσμα· καὶ ὅτι εἶδον αὐτὸ οἱ ἀπόστολοι· καὶ ὅτι χρὴ πρὸς τὴν μετοχὴν μάλιστα σπεύδειν πάντας τοῦ θείου φωτὸς ἐκείνου.

quod lumen dominicum in divina Christi Transfiguratione in monte Thabor ostensum creatura non est; et quod Apostoli illud viderunt; et quod ad illius divinae lucis participationem omnes festinare debent. Ibid. p. 841.

[2]) Quoniam

ὁ τοιοῦτος ἔχθιστος ἄνθρωπος, ὁ ἀρχηγὸς τῆς κακίας ἐξωλέστατος Παλαμᾶς, ὁ ἀρχηγὸς καὶ προστάτης τῶν βλασφημιῶν (ὃν καὶ μόνον ἐνθυμηθέντες καθαγνίσασθαι χρὴ ψυχὴν ὁμοῦ καὶ διάνοιαν), μετὰ τῆς ἑταιρίας αὐτοῦ καταψηφισθείς, ἐκκήρυκτος καὶ ἐκκλησίας Θεοῦ καὶ ἱερωσύνης,

hic nequissimus homo, auctor impietatis perditissimus Palamas, auctor et propugnator blasphemiarum (cujus vel sola recordatione animus simul et mens expianda est), cum factione sua condemnatus, ab Ecclesia Dei proscriptus et sacerdotio spoliatus (ita tomus condemnationis in synodo CP. anni 1345 sub Joanne Caleca patriarcha editus, apud Migne, Patr. gr. tom. 150, pp. 877—891),

quoniam, inquam, diffamatissimus hic homo a recentioribus schismaticis Graecis Russisque praecipuo quodam cultu ecclesiastico velut eximius sanctus honoratur, synodus Zamoscena Ruthenorum catholicorum an. 1720

Ex recentioribus theologis Hesychastarum fata ac controversias, praeter caeteros, late exornat Rmus. Stein, *Studien über die Hesychasten des vierzehnten Jahrhunderts* in „Oesterreichische Vierteljahresschrift für kath. Theologie", Viennae 1873, pp. 239—296, 321—389, 481—561; et *„Hesychasten"* in „Kirchenlexikon" t. 5, pp. 1959—1968, edit. 2. Consuli quoque poterunt, quae ipsi in Gregorium Palamam ejusque cultum apud Russos animadvertimus in „Zeitschrift für kath. Theologie" 1894, pp. 273—275.

Apud Armenos *Transfigurationis* dies *(Vartavár,* h. e., *Rosa-flamma)* quinque primariis festis *Daghavár* dictis accensetur translataque solemnitas est in Dominicam septimam post Pentecosten. Ex ritu festorum *Daghavár* proprio ad ejus celebritatam tria pertinent: 1. praecedens hebdomas jejunii primae classis, 2. sequens octava et 3. triduum festivum; *Daghavári* dies altera semper est festum praeceptum et *Merelotz* defunctorum, tamen sine officio particulari.

ζ'. 7. *Δομετίου ὁσιομάρτυρος· καὶ ἀνάμνησις τῆς καταλύσεως τῶν Περσῶν καὶ τῶν Ἀβάρων ἐν Βλαχέρναις· καὶ τῆς εὐσεβοῦς βασιλίσσης Πουλχερίας.*

Nisibi in Mesopotamia s. Dometii monachi Persae, qui cum duobus discipulis sub Juliano apostata lapidatus est (Martyr. Rom. h. d.).

De *s. Dometio* plura invenies apud Asseman. *K. E. U.* et in Actis SS. August., utrobique ipso hoc die.

Memoria caedis Persarum et Abarorum in Blachernis atque inde *liberationis a Barbaris (ἐπελεύσεως Βαρβάρων)* urbisque divino auxilio servatae anno 626 sub Heraclio imp. ad hunc diem inscripta est Kalendariis CPolitanis. Rem fusius expositam vide in Chronico paschali apud Migne, Patr. gr. tom. 92, pp. 1007—1016.

In *Anno ecclesiastico graeco-slavo* animadvertit Martinov ad hoc festum, auctorem celeberrimi codicis slavici Ostromirani τὸ *Ἀβάρων* seu *Βαρβάρων* cum sancta *Barbara*

---

merito suarum partium esse duxit, hoc de eo Decretum edere tit. 17. *de reliquiis, miraculis et veneratione sanctorum: Gregorium Palamam non solum uti sanctum coli aut festo die celebrari, verum etiam eum in nostra ecclesia nominari deinceps prohibet sancta synodus sub poenis contra schismaticos praescriptis* (Collect. Lacens. tom. 2, p. 65).

confundendo Russis hodie *memoriam sanctae Barbarae in Vlachernis* recolendam proposuisse!

S. Pulcheriam imperatricem cum Menologio Basil. pluribus aliis Kalendariis hodie fasti Ruthenorum catholicorum hoc ferme titulo referunt: *Blagověrnyja caricy Pulcherii, Pulcheriae Augustae, religione et pietate insignis,* ut encomium reddit Martyrologium Rom. ad 10. Sept., qui dies et in Menaeis graecis ejus honori dicatus est. In Menol. Basil. autem cum s. *Irena, Augusta et ipsa,* occurrit (*μνήμη τῶν εὐσεβῶν βασιλισσῶν Πουλχερίας καὶ Εἰρήνης*), atque in Menaeis praeterea cum *Marciano Augusto* die 17. Febr. ita enuntiatur: *Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τῶν ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ γενομένων βασιλέων Μαρκιανοῦ καὶ Πουλχερίας. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ; eodem die, memoria piae recordationis imperatorum Marciani et Pulcheriae. Peragitur autem eorum synaxis in magna ecclesia.*

De *s. Pulcheria* praeclaro commentario fusius a Stiltingo, socio Bollandiano, actum scias Septemb. tom. 3, pp. 503—540, cujus syllogen, ex lectionibus Breviarii Rom. ad d. 10. Sept., cum paucis quibusdam sub manu natis annotationibus pro exercitationibus academicis hic exhibuisse juverit.

Aelia Pulcheria Augusta, patre, avo, fratre, atque viro Romanorum imperatoribus maxime nobilis[1]), profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et catholico dogmate circa Incarnationis mysterium et divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret[2]), commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent, essetque constans opinio, unius puellulae virtute ac sapientia, quae instare atque ingruere videbantur, pericula discussa, et felicitatem imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix eam vivendi formam induxit, ut illa jam non aula imperatorum, sed asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flacillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut quibus aetate non multum praestabat, eorum

---

[1]) *S. Pulcheria* filia fuit Arcadii imperatoris, neptis Theodosii Magni ac soror Theodosii II. seu Junioris.

[2]) Dum Arcadius obiit d. 1. Maji an. 408, s. Pulcheria agebat annum circiter duodecimum, Theodosius octavum.

moderatrix ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae se suamque virginitatem Deo devoverunt; utque Augusta virgo ea quae decreverat amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro et pretiosis lapidibus sacram mensam in ecclesia Constantinopolitana pro virginitate sua et fratris imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae haec eadem inscripsit[1]).

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat; qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi vereque christiani principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsecutus[2]). Post diuturnam cum fratre concordiam, turbis malevolorum fraude atque obtrectatione in aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam aliquamdiu se continuit; quum vero felicitas imperii una cum ea exularet, a fratre accersita[3]), ubi deesse vidit, qui praelia Domini pugnaret, Debboram imitata, fide ac religione armata processit, et missis in omnem partem epistolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres concilii Chalcedonensis una omnium voce atque praeconio custodem fidei, pacis conciliatricem, expultricem haereticorum, piam, orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc imperatorem novum Constantinum) consalutarent; cuique sanctus Leo totius Romanae ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox et nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi et palmam contulerat, et coronam[4]).

Atque hae tantae curarum moles, quas praesertim in Ephesino ac Chalcedonensi conciliis, Romanorum Pontificum auctoritate convocatis[5]), necessario susceperat, nihilo illam ad caetera

---

[1]) Hanc mensam Sozomenus *Hist. eccl.* l. 9, c. 1, *admirabile donarium* vocat, *operum quae spectantur longe pulcherrimum: ἐκ χρυσοῦ καὶ λίθων τιμίων θαυμάσιόν τι χρῆμα, θεαμάτων κάλλιστον.* Apud Migne, Patr. gr. tom. 67, pp. 1593—1596.

[2]) Annos nata fere 18 imperatrix renuntiata, imperium ipsa recte administravit fratremque ad pietatem instituit.

[3]) Ad aulam rediit sancta anno, ut videtur, 449 exeunte, postquam biennio circiter ab ea abfuit.

[4]) Quando s. Pulcheria ab aula recesserat, ingens damnum passa est Ecclesia a tumultuoso concilio seu latrocinio Ephesino an. 449, ubi Eutyches fuit absolutus et s. Flavianus condemnatus.

[5]) Huc praeter alia spectant tum verba Marciani Augusti, in ep. ad s. Leonem PP.: *„tale propositum habemus, quatenus omni impio errore sublato, per convocandam synodum* Te auctore *(σοῦ αὐθεντοῦντος;)*

christianae pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidue coelestium rerum contemplatione, sacrorum librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat; psalmos de nocte surgens una cum regiae familiae principibus decantabat; Dei ac Sanctorum (quorum et colloquio non semel dignata est) cultrix eximia; quae etiam summopere semper contendit, ut erga eorum reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit; voluit namque summa sapientiae suae dispositione divina providentia, ut per virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur: quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem; cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, reditibus locupletavit. In placanda divina justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari, quos et materna quadam caritate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit haeredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari religionis studio, rebusque omnibus imperio dignissimum, ipsa evexerat ad imperium, sibique hanc ipsam ob causam, salva quam Deo voverat virginitate, conjugem delegerat [1]). Obiit anno quadringentesimo quinqua-

---

maxima pax fiat; tum preces s. Pulcheriae eidem s. Leoni oblatae, ut episcopi in concilio *de catholica confessione, sicut fides et christiana pietas exigit* Te auctore decernant *(σοῦ αὐθεντοῦντος ὁρίσωσιν).* Apud Hardouin, t. 2, p. 43. Verum ea de re plura videre potes apud Van Everbroeck in „Archiv für kath. Kirchenrecht", 1857, tom. 2, pp. 555—565 et 675—688.

[1]) Matrimonium hoc sanctae Pulcheriae adjecto pacto de servanda virginitate cum plerisque auctoribus s. Theophanes in *Chronographia* sic narrat: *Caeterum beata Pulcheria, nondum ulli imperatoris* (Theodosii) *morte* (an. 450) *manifestata, Marcianum, virum prudentia et honestate morum celebrem, aetate jam provectum et ad negotia gerenda idoneum, ad se accersitum alloquitur:*

Ἐπειδὴ ὁ βασιλεὺς ἐτελεύτησεν, ἐγὼ δέ σε ἐξελεξάμην ἐκ πάσης τῆς συγκλήτου, ὡς ἐνάρετον· δός μοι λόγον, ὅτι φυλάττεις τὴν παρθενίαν μου, ἣν τῷ Θεῷ ἀνεθέμην, καὶ ἀναγορεύσω σε βασιλέα.

Quandoquidem decessit imperator, ego Te ex omni senatu ceu virtute praestantissimum elegi. Da fidem, virginitatem meam, quam Deo consecravi, Te servaturum inviolatam: et imperatorem renuntiabo.

Illo sese ita facturum pollicito, patriarcham et senatum Pulcheria convocat, et Marcianum Romanorum imperatorem declarandum curat. Apud Migne, Patr. gr. tom. 108, pp. 266—268.

gesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque sanctorum Patrum caeterorumque ejus aevi scriptorum laudibus celebrata.

η'. 8. *Αἰμιλιανοῦ ἐπισκόπου Κυζίκου τοῦ ὁμολογητοῦ.*

Cyzici in Hellesponto s. Aemiliani episcopi, qui pro sacrarum imaginum cultu a Leone Armeno *imperatore multa passus demum in exilio vitam finivit.* (Martyr. Rom. h. d.).

Ejus est notissimum illud pro auctoritate ecclesiastica effatum, quod cum sanctis *Nicephoro* patriarcha (2. Junii), *Niceta* hegumeno (3. April.), *Michaele* Synadarum episcopo (23. Maji) ac reliqua *caterva electorum Patrum, sanctorum, aequalium angelis, divinam speciem praeferentium,* coram Augusto stans protulit an. 815[1]):

Εἰ ζήτημα ἐκκλησιαστικόν ἐστιν, ὡς ἔφης, ὦ βασιλεῦ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ζητήσθω, ὡς ἔθος ἐστίν· καὶ γὰρ ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς τὰ ἐκκλησιαστικὰ ζητήματα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ζητεῖται, καὶ οὐκ ἐν τοῖς βασιλείοις.

Si quaestio ecclesiastica, imperator, haec est, ut dixisti: in ecclesia inquiratur, ut mos est. Altius enim et a principio ipso ecclesiasticae quaestiones in ecclesia, non in palatiis regiis, inquiruntur.

Nonnullis Kalendariis latinis hodie inscriptum est festum celeberrimorum *quatuordecim Auxiliatorum,* vulgo *Die vierzehn Nothhelfer,* quorum cultus ad similitudinem venerationis *τῶν θαυματουργῶν ἀναργύρων* accedit. Suos etiam singulis dies attributos reperimus, scilicet:

S. Blasio d. 3. Febr.
S. Georgio d. 23. April.
S. Erasmo d. 2. Jun.
S. Vito d. 15. Jun.
S. Achacio d. 22. Jun.
S. Margarethae d. 20. Jul.
S. Christophoro d. 25. Jul.
S. Pantaleoni d. 27. Jul.
S. Cyriaco d. 8. Aug.
S. Aegidio d. 1. Sept.
S. Eustachio d. 20. Sept.
S. Dionysio d. 9. Oct.
S. Catharinae d. 25. Nov.
S. Barbarae d. 4. Decemb.

De iis et Missam habent antiqua Missalia et plures libri, germanici maxime, Vitarum compendia dant. Sed cuncta haec, quae ad sanctos Auxiliatores eorumque venerationem pertinent, insigni commentario accurate explicat Weber in *Kirchenlexikon,* t. 9, pp. 515—522, edit. 2.

θ'. 9. *Ματθία τοῦ ἀποστόλου· καὶ Κωνσταντίνου ἀρχιεπισκόπου τῆς βασιλίδος πόλεως.*

S. Mathias, apostolus, *primum quidem unus ex septuaginta,* uti synaxaria graeca habent, apud Latinos colitur 24. Fe-

[1]) Exstat in *Vita s. Nicetae* in Actis SS. April. tom. 1, latine: p. 262, graece: ad calcem pp. XXIV—XXV. — Cum s. Aemiliano consentit s. Theodorus Studita infra audiendus ad d. 11. Novemb.

bruarii, ad quem diem de eo pluribus agunt Bollandiani. Syri eum hodie cum Graecis honorant.

Quae de festo s. Mathiae ejusque vigilia in jure sacro exstat Decretalis Alexandri PP. III. C. *Quaesivit* 14. *de verb. signif.* (V, 40), illustrata a nobis est in *computo ecclesiastico,* p. 56.

Memoria s. *Constantini, archiepiscopi regiae urbis,* signatur in Menolog. Basil. E quatuor synonymis patriarchis est ordine primus, qui sedem CP. tenuit annis 674—676, in concilio CPolitano tertio actione 13. etiam laudatus. Quae ad ejus orthodoxiam et cultum pertinent, ea proprio commentario discussa invenies in Actis SS. ad diem 29. mensis praecedentis, Julii tom. 7, pp. 95—97, juncto Cupero *Hist. Chron. Patr. CP.* nn. 474—477; iis tamen accessio facta est non levis proposita a Morcellio *K. E. CP.* tom. 2, pp. 230—231 solutaque quaestione, cur apud CPolitanos serius coelestibus honoribus dignus sit habitus Constantinus noster. Ea in ipso fonte velim quaeras.

Vigilia s. Laurentii hodie signatur in Kalendario latino.

Cur prae caeteris martyribus s. *Laurentii* agantur *vigiliae* in ecclesia occidentali, id non alia de causa factum putamus, quam ex pristina illa fidelium observatione, qui propensiori studio ad corpus tanti martyris vigilare coeperunt, ut ejus Acta testantur. Cfr. Baron. ad h. d.

ι'. 10. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος καὶ ἀρχιδιακόνου Λαυρεντίου.*

Slav. *Svjatago mučenika i archidiakona Laurentia;* rumen. *S. mart. sî archidiaconu Laurentiu.*

Sanctum *Laurentium, archidiaconum* et *martyrem* Romae a. 258, in antiquissimis suis fastis Graeci Latinique hodie colunt.

Vitam post Bollandianos, Augusti tom. 2, pp. 485—532, accuratius depinxit Franciscus Pozzius, Romae 1756.

Praeter antiquiores illos Vitae scriptores lectione dignus est Münz, qui de s. Laurentio egregie exposuit apud Kraus, *Realencyclopädie,* t. 2, pp. 285—286.

ια΄. 11. *Εὔπλου τοῦ διακόνου καὶ μάρτυρος.*

S. Euplum, vel Euplium, *diaconum et martyrem* Catanae in Sicilia an. 304, Latini colimus die sequenti, ad quem et Acta cum commentariis habent Bollandiani tom. cit.

ιβ΄. 12. *Φωτίου καὶ Ἀνικήτου τῶν μαρτύρων.*

Nicomediae ss. martyrum Aniceti comitis et Photini ejus fratris[1]) *cum aliis pluribus sub Diocletiano* an. 305 vel 306 (Martyr. Rom. h. d.). Memoriam, virtutes, *gratiam sanitatum* horum *ἀναργύρων* illustrant Acta SS. tom. cit. pp. 705—709, ipso textu martyrii graece et latine exhibito.

ιγ΄. 13. *Ἡ μετάθεσις τοῦ λειψάνου τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ.*

Translatio reliquiarum S. P. N. Maximi confessoris (Menol. Basil.) hoc ipso illius natali die contigisse videtur. Laudes ejus et recte facta brevi compendio perstrinxit Martyrologium Rom., quod supra recitavimus p. 78.

Solito longius est synaxarium, quo celebratur in Menol. Basil. Ex eo enotasse juverit, sanctissimum virum orthodoxam suam fidem *de primatu Romani Pontificis* tum maxime testatam reliquisse,

Θείῳ ζήλῳ ὥσπερ ὑπὸ πυρὸς ἐξαφθείς, τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην κατέλαβε, καὶ πάπαν τὸν μακαριώτατον Μαρτῖνον, τοπικὴν ἀθροῖσαι σύνοδον, καὶ ἀναθεματίσαι τοὺς ἀρχηγοὺς τοῦ δυσσεβοῦς δόγματος τῶν μίαν ἐπὶ Χριστοῦ θέλησιν ληρῳδούντων παρέπεισεν.

quum divino zelo velut igne succensus antiquiorem Romam venit et Papae beatissimo Martino suasit an. 649, *ut peculiarem synodum congregaret atque duces in impio dogmate eorum, qui unam in Christo voluntatem somniabant, anathemate percelleret*[2]).

---

[1]) In fonte tamen non dicitur Aniceti *ἀδελφός*, *frater*, sed *ἀδελφιδοῦς* et *ἀνεψιός*, quae vocabula univoce significant *filium fratris vel sororis*.

[2]) Splendidior multoque majoris momenti est professio fidei de primatu Rom. Pontificis, „nomine omnium orientalium orthodoxorum sacerdotum et populorum“ in eodem concilio oblata a Stephano, episc. Dorensi, relata apud Hardouin, t. 3, pp. 711—716.

ιδ'. 14. *Μιχαίου τοῦ προφήτου καὶ ἱερομάρτυρος Μαρκέλλου ἐπισκόπου Ἀπαμείας.*

S. Michaeas propheta inscriptus est Martyr. Rom. ad d. 15. Januar. Legi merentur, quae de duobus prophetis synonymis in Menaeis et in Menol. Basil. imperite in unum Michaeam confusis ex Calmeto, Tostato aliisque interpretibus disputant Bollandiani August. tom. 3, pp. 147—149.

Apameae in Syria s. Marcelli episcopi et martyris, qui quum Jovis delubrum diruisset, a furentibus gentilibus occisus est anno circiter 389 (Martyr. Rom. h. d.). Acta iidem exornant tom. cit. pp. 151—156.

Quae in Kalendario nostro signata legitur *Vigilia (προεόρτια)*, apud Morcelli *K. E. CP.* dicitur *παννυχὶς τῆς Κοιμήσεως*, quorum vocabulorum rationes recolas ex p. 55.

ιε'. 15. *Ἡ Κοίμησις τῆς ὑπεραγίας ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

Dormitio sanctissimae gloriosae Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae; slav. *Uspenije presvjatyja slavnyja Vladijčicy našeja Bogorodicy i prisnoděvy Marii*; rumen. *Adormirea prea s. maritei Domnei nostre nascatorie de Domnedieu, sî pururea vergurei Marie*; arab. *Intiqâl sett'nâ Marjam*; syriac. *'îdâ d'schunâjâ dab'thûltâ Marjam lasch'majâ.*

Latinis jam festum *Assumptionis sanctissimae Deigenitricis V. M.* appellatur; nec tamen inusitata antiquitus in Occidente fuit appellatio *dormitionis* [1]), vel *pausationis sanctae Mariae* [2]), quemadmodum nec orientales latuit occidentalium *Assumptio*, quam dubium non est idem fuisse atque Graecorum *μετάστασιν*, in Menolog. Basil. et in Menaeis memoratam, Syrisque etiam et Arabibus usitatam.

Quamvis Graeci festum *Κοίμησιν* vocent, iidem nihilo tamen minus cum Latinis credunt, eodem die et obiisse et ad coelos reducta in corpus anima assumptam esse sanctissimam Deiparam, quemadmodum produnt orationes patrum, quas post Fabricium *Biblioth. gr.* tom. 9, p. 116, permultas

[1]) Cfr. Martyrolog. Bedae, Adonis et Usuardi.
[2]) Ita refertur in Kalendario J. Frontonis, p. 192.

enumerat *Biblioth. hagiogr. gr.*, pp. 80—82. Videnda etiam de eodem argumento est epistola Michaelis Glycae, auctoris saeculi, ut Allatius putat, quintidecimi, quam cum versione latina et doctis annotationibus primum vulgavit Morcelli *K. E. CP.* hoc die; nec recentiores Sergii archimandritae negligendae curae ad h. d. *de corporali in coelum Assumptione B. M. V.*, quam Graeci jam *τὴν εἰς οὐρανοὺς ἔνσωμον* sive *σύσσωμον μετάστασιν τῆς Θεοτόκου* appellant. Cfr. „Zeitschrift f. kath. Theologie, 1878, p. 213 et 1880, p. 646.

Pia fidelium traditio de obitu et assumptione ss. Deiparae, quam ex Juvenali, Hierosolymorum episcopo saeculi quinti, refert s. Joannes Damascenus, *Homil. 2. in Dormitionem B. V. Mariae*[1]), ut in synaxaria graeca, ita et in Breviarium Rom. ad d. 18. Aug. transiit. Est autem ejusmodi:

Τῇ μὲν ἁγίᾳ καὶ θεοπνεύστῳ γραφῇ οὐκ ἐμφέρεται τὰ κατὰ τὴν τελευτὴν τῆς ἁγίας Θεοτόκου Μαρίας· ἐξ ἀρχαίας δὲ καὶ ἀληθεστάτης παραδόσεως παρειλήφαμεν, ὅτι ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐνδόξου κοιμήσεως αὐτῆς, οἱ μὲν ἅγιοι σύμπαντες ἀπόστολοι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἐθνῶν τὴν οἰκουμένην διαθέοντες, ἐν καιροῦ ῥοπῇ μετάρσιοι συνήχθησαν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ πρὸς αὐτὴν οὖσιν, ὀπτασία αὐτοῖς ἀγγελικὴ γέγονε, καὶ θεία ὑμνῳδία ἠκούετο κρειττόνων Δυνάμεων. Καὶ οὕτω θείᾳ δόξῃ καὶ ἐπουρανίῳ εἰς χεῖρας Θεοῦ τὴν ἁγίαν παρέθετο ψυχὴν ἀῤῥήτῳ τινὶ λόγῳ.

Etsi, quae in sanctae Dei Genitricis morte contigerunt, sanctae ac divinitus inspiratae Scripturae paginis minime prodita sint[2]), *tamen ex antiqua et verissima traditione accepimus, quod gloriosae ipsius dormitionis tempore universi quidem sancti apostoli, qui orbem terrarum ob gentium salutem peragrabant, momento temporis in sublime elati, Hierosolymam convenerunt; cumque illic essent, eis visio apparuit angelica, et divina melodia audita est supernarum Potestatum. Et sic cum sancta et coelesti gloria animam sanctam Deo commendavit: ejus autem cor-*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 96, pp. 747—752.

[2]) Hinc censura concilii Romani an. 496 relata C. *Sancta Romana* 3, §. 55, Dist. 15: *Liber, qui appellatur Transitus sanctae Mariae, apocryphus.* De hoc libro antiquissimo cf. disquisitiones criticas Cl. Bickell in Tübing. theolog. Quartalschrift, 1866, p. 465—479.

*Τὸ δὲ θεοδόχον αὐτῆς σῶμα μετὰ ἀγγελικῆς καὶ ἀποστολικῆς ὑμνῳδίας ἐκκομισθὲν καὶ κηδευθὲν ἐν σορῷ τῇ ἐν Γεθσημμανῇ κατετέθη· ἐν ᾧ τόπῳ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἡ τῶν ἀγγέλων χοροστασία καὶ ὑμνῳδία διέμεινεν ἄπαυστος. Μετὰ δὲ τὴν τρίτην ἡμέραν τῆς ἀγγελικῆς ὑμνῳδίας παυσαμένης παρόντες οἱ ἀπόστολοι, ἑνὸς αὐτοῖς ἀπολειφθέντος Θωμᾶ, καὶ μετὰ τὴν τρίτην ἡμέραν ἐλθόντος, καὶ τὸ θεοδόχον σῶμα προσκυνῆσαι βουληθέντος, ἤνοιξαν τὴν σορόν. Καὶ τὸ μὲν σῶμα αὐτῆς τὸ πανύμνητον οὐδαμῶς εὑρεῖν ἠδυνήθησαν, μόνα δὲ αὐτῆς τὰ ἐντάφια κείμενα εὑρόντες, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν ἀφάτου εὐωδίας ἐμφυρηθέντες, ἠσφαλίσαντο τὴν σορόν. Καὶ τὸ τοῦ μυστηρίου τὸ θαῦμα ἐκπλαγέντες, τοῦτο μόνον εἶχον λογίζεσθαι, ὅτιπερ ὁ εὐδοκήσας κατ᾽ ἰδίαν ὑπόστασιν σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι ἐξ αὐτῆς, καὶ γεννηθῆναι σαρκὶ Θεὸς Λόγος καὶ Κύριος τῆς δόξης, καὶ μετὰ τὸν τόκον τὴν αὐτῆς ἄφθορον παρθενίαν διαφυλάξας, αὐτὸς εὐδόκησε καὶ μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποβίωσιν, τὸ ταύτης ἄχραντον καὶ ἀμίαντον σῶμα τῇ ἀφθαρσίᾳ τιμῆσαι, καὶ μεταθέσει πρὸ τῆς κοινῆς καὶ καθολικῆς ἀναστάσεως. *Παρῆσαν δὲ τότε σὺν τοῖς ἀποστόλοις, ὅ τε τι-*

*pus, quod Deum susceperat, cum angelico et apostolico cantu elatum in loculo Gethsemani depositum est: quo in loco angeli totos tres dies choros agere et canere non destiterunt. Post tres autem dies angelico cantu cessante, qui aderant Apostoli, quum unus Thomas, qui abfuerat, post diem tertium venisset, et quod Deum tulerat corpus adorare voluisset, tumulum aperuerunt. Ac laudatissimum quidem illius corpus nequaquam invenire potuerunt; quum autem jacentia lintea reperissent, atque inenarrabili, qui ex eis proficiscebatur, odore perfusi essent, loculum clauserunt. Tum mysterii obstupefacti oraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria virgine in persona propria carnem sumere, et hominem ex ea fieri et nasci, Deus Verbum Dominus gloriae, quique post partum incorruptam ejus servavit virginitatem, eidem placuit, et ipsius postquam migravit immaculatum corpus incorruptione et translatione ante communem et universalem resurrectionem honorare. *Aderant tunc cum apostolis sanctissimus apostolus et primus Ephesiorum episcopus Timotheus et Dionysius Areopagita, sicut magnus ipse Dio-*

μιώτατος Τιμόθεος ὁ ἀπόστολος καὶ τῆς Ἐφεσίων πρῶτος ἐπίσκοπος, καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καθὼς αὐτὸς ὁ μέγας Διονύσιος μαρτυρεῖ ἐν τοῖς περὶ τοῦ μακαρίου Ἱεροθέου καὶ αὐτοῦ τότε παρόντος, πρὸς τὸν ῥηθέντα ἀπόστολον Τιμόθεον πονηθεῖσι λόγοις, οὑτωσὶ λέγων· Ἐπεὶ καὶ παρ᾽ αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα καὶ αὐτός, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ σώματος συνεληλύθαμεν· παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας, ὡς ἕκαστος ἦν ἱκανός, τὴν ἀπειροδύναμον ἀγαθότητα τῆς θεαρχικῆς εὐσθενείας.

nysius testatur in his, quae de beato Hierotheo, qui ipse tunc aderat, ad praedictum apostolum Timotheum scripsit in haec verba: Quandoquidem apud ipsos etiam a Deo afflatos sacrorum antistites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sacris nostris fratribus ad contuendum corpus, quod vitae principium dedit ac Deum suscepit, convenissemus (aderat autem et Domini frater Jacobus et Petrus, supremus praestantissimusque Apostolorum vertex), tum viso corpore placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem divinae potentiae.

*Reliquam orationis partem (cum *ἀρχιτέλεια = Παρῆσαν-εὐσθενείας =*) insititium esse commentum recentioris interpolatoris, diligenter et acute probatum videsis apud Stiglmayr in *Programmate Feldkirchiensi* inferius afferendo ad dd. 3. et 4. Octobr.

Eadem haec Graecorum traditio et apud Armenos occurrit [1]) et in Occidente invenitur tum apud s. Gregorium Turonensem *Miraculorum* l. 1, c. 4, *de gloria martyrum* [2]), tum apud s. Thomam Aquin. *Commentar. inedit. in cap. 3. libri de divinis nominibus* [3]).

Quod Mauritius imperator (582—602) festo Assumptionis diem 15. Augusti definiverit (Nicephor. Callist. loco

[1]) Apud Mösinger, *Vita et martyrium S. Bartholomaei Ap.* p. 13.

[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 74, p. 708.

[3]) Cfr. Uccelli in Act. Neapol. *La scienza e fede*, 1878, pp. 285 seqq.

supra citato p. 92), intelligendum id esse de festi translatione a 18. Januarii[1]) ad ipsum hunc diem, post Baronium et Gretserum ostendit Benedictus PP. XIV. *De festis B. M. V.* n. 126; ante Mauritii enim tempora instituta solemnitas erat.

In pluribus Germaniae provinciis est usu receptum, ut sanctissimae Deigenitricis Assumptio in coelum statim a morte facta totis triginta diebus celebretur, de quo more legesis Gretserum in *Georg. Codin. de officiis CP.* l. 3, c. 10, apud Migne, Patr. gr. tom. 157, pp. 381—382.

De benedictione herbarum hodie variis in regionibus fieri solita (vulgo *Krautweihe, Krautwischweihe, Würzweihe)* ad excludendas praestigiatorum incantationes olim *in collectione* et conservatione *herbarum medicinalium*[2]) adhibitas, plura invenies apud Binterim, Denkwürdigkeiten, p. 1, tom. 5, c. 5, n. 9, ubi ostendit, eam a deleta gentilium consuetudine herbas quasdam cum vanis observationibus colligendi collectasque in domibus suspendendi profluxisse, falsa superstitione scilicet in veram pietatem mutata: quemadmodum de cereorum gestatione initio Februarii factum esse vidimus supra p. 92 et iterum de usu caryophyllorum animadvertimus p. 186.

Caeterum memorata haec herbarum benedictio similitudinem quamdam illius solemnitatis prae se ferre videtur, quam Moesinger in codice syriaco Vat. N. 68 et alibi ad ipsum hunc diem consignatam invenit sub appellatione *Obitus Deiparae, pro vitibus:* cui solemnitati et ipsi propinqua est vicinia alterius celebritatis apud Syros diei 15. Maji affixae sive sub titulo *Festum Deiparae ad aristas,* uti eodem Moesinger teste habent codices Vaticani 20 et 69, sive sub annuntiatione *Virginis Mariae propter custodiam seminum* al. *segetum,* quemadmodum effertur in *catalogo perpetuo festorum ecclesiae sanctae Chaldaeorum,* in libris liturgicis relato.

---

[1]) Pluribus vetustis Kalendariis Assumptionis festum ad hunc diem adscriptum vide in Actis SS. Januar. tom. 2, p. 545 et apud Binterim loco mox citando.

[2]) Cfr. Regino Prumien. *Eccles. discipl.* l. 2, c. 369, apud Migne, Patr. lat. tom. 132, p. 353.

Apud Armenos translatum est Assumptionis festum (*Verapochumn*) in diem dominicum occurrentem inter 12. et 18. Augusti. Venit autem numero praecipuarum anni festivitatum *Daghovár* dictarum, de quibus pauca quaedam notavimus supra ad d. 6. h m.

Celebris est in jure canonico solemnitas Assumptionis B. M. V., praesertim in Decretali *Alma mater* ult. de sententia excommunicat. in 6, ubi maximis solemnitatibus dominicis fere exaequatur; ac glossa considerans, tempore interdicti divina officia celebrari posse in festis Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes et Assumptionis, haec animadvertit in verbo *Assumptionis: Nota terminatam altercationem quaerentium, quod est solemnius festum, an festum Assumptionis, an festum Nativitatis Virginis gloriosae; habet enim Ecclesia, quod sit celebrius festum Assumptionis, ut hic vides.* Qua de re adeundus, qui de hoc festo omnium latissime scripsit, Benedict. XIV. l. c. n. 98—126.

ις'. 16. *Ἡ ἐξ Ἐδέσσης ἀνακομιδὴ τῆς ἀχειροποιήτου εἰκόνος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἤτοι τοῦ ἁγίου μανδηλίου· καὶ Διομήδους μάρτυρος.*

Translatio ex Edessa non manufactae imaginis D. N. J. Ch., id est, sancti sudarii; slav. *Prenesenije nerukotvorennago obraza Gospodnia našego Isusa Christa;* rumen. *Aducerea dein Edesu a iconei celei nefacute de mâna a Domnului nostru Isusu Christosu, adeca s. machrama.*

Ἀχειροποίητον generatim omne illud dicitur, quod manu humana factum non est, sive ipsa natura proveniat, sive supra naturam sit. Pressius vero sumitur pro imaginibus sacratissimum Christi Domini vultum exhibentibus, quas ipse linteis seu sudariis, admotu faciei suae, imprimere dignatus est.

Hic agitur de illa imagine, quam sua expressam ex facie Abgaro Edessae regi, ipsum ad se invitanti, Redemptor mundi misisse a compluribus gravissimis scriptoribus perhibetur apud Baronium *in Annal.* ad an. 31, n. 61, et Gretserum, *De imaginibus non manu factis,* quamque proinde concilium Ephesin. II., actione 5, ex Evagrio[1]) appellat: *τὴν θεό-*

[1]) *Hist. eccles.* l. 4, c. 27, apud Migne, Patr. gr. tom. 86, pp. 2748—2750.

τευκτον εἰκόνα, ἣν ἀνθρώπων χεῖρες οὐκ εἰργάσαντο, divinitus fabricatam imaginem, quam hominum manus non effinxerunt[1]).

Narrationem imaginis Edessenae CPolim translatae anno, ut videtur, 944 sub nomine Constantini Porphyrogeneti editam post alios vulgavit Migne, Patr. gr. tom. 113, pp. 421—454. Eandem historiam fusius prosequitur Baron. ad eundem an. nn. 5—16. Videndus etiam Gretseri *tract. jam. cit.*, quo de omnibus ad *ἀχειροποιήτους* (vulgo *acheropitas)* istiusmodi imagines spectantibus copiose disputatur[2]), consulique possunt quae ipsi notavimus in „Zeitschrift f. k. Theologie", 1893, pp. 135—136.

Quod hodiernum festum annuntiatur sub titulo *τοῦ ἁγίου μαντηλίου* seu *μανδηλίου, sacri sudarii seu mantilis,* id ansam praebuit pluribus hagiographis, proprium sanctum *Mandelium* inveniendi, quem Ferrarius imo et martyrem facit et in Asia lauream adeptum scribit!

S. Diomedes, medicus ἀνάργυρος et martyr Nicaeae in Bithynia sub Diocletiano, fastis latinis etiam hodie inscriptus illustratur a Bolland. August. tom. 3, pp. 266—270.

ιζ'. 17. *Μύρωνος ἱερομάρτυρος· καὶ Ἡλίου τοῦ ἐν Καλαβρίᾳ.*

In Achaia s. Myronis presbyteri et martyris, qui sub Decio imperatore (249—251) *et Antipatre praeside post multa tormenta Cyzici capite truncatus est* (Martyr. Rom. h. d.). Acta cum commentario habes apud Bolland. tom. cit. pp. 420—423.

S. Elias junior, monachus in Calabria, signatus in Menaeis cryptoferratensibus, claruit circa an. 903. Exstant res gestae in Actis SS. Aug. tom. 3, pp. 479—509.

ιη'. 18. *Φλώρου καὶ Λαύρου μαρτύρων.*

In Illyrico sanctorum (fratrum) *Flori et Lauri artis lapicidinae (λιθοξόοι τὴν τέχνην), qui consumptis martyrio eorum magistris Proculo et Maximo, sub Licione praeside post multa*

---

[1]) Apud Hardouin Conc. tom. 4, pp. 674—675.

[2]) Exstat opp. tom. 15, pp. 179—200, editionis Ratisbonensis an. 1741.

tormenta in profundum puteum sunt demersi saeculo secundo (Martyrol. Rom. h. d.). De iis agunt Bolland. tom. cit. pp. 520—524.

ιθ'. 19. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀνδρέου τοῦ στρατηλάτου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ δισχιλίων πεντακοσίων ἐννενήκοντα τριῶν.*

In Cilicia s. Andreae tribuni et sociorum militum 2593, *qui victoria de Persis divinitus adepta ad fidem Christi conversi, et hoc nomine accusati sub Maximiano imperatore in angustiis Tauri montis ab exercitu Seleuci praesidis trucidati sunt* (Martyr. Rom. h. d.). Totam martyrii historiam commentario illustrant Bolland. tom. cit. pp. 720—726.

κ'. 20. *Σαμουὴλ τοῦ προφήτου.*

De *s. Samuele propheta* et judice Bolland. late agunt Augusti tom. 4, pp. 6—16.

In regno Hungariae catholici omnes hoc die festum agunt *sancti Stephani, regis apostolici;* slav. *Sv. i ravnoapostola Stefana, carja Vengrij;* rumen. *S. sî intocm'a cu Apostolii Stefanu, rege alu Ungariei* [1]); apud Latinos jam diu clarus atque ad ipsum hunc diem Martyrologii tabulis insertus erat; in Graecorum fastis autem sero relatum esse constat ex Decreto, a regio locumtenentiali consilio, ut vocant, intimato die 23. Febr. an. 1787, Nro. 796. Gloriosissimi regis protocoronati Actis illustrandis, praeter caeteros hagiographos, egregiam operam navavit Stiltingus, socius Bollandianus, rebus plerisque erudite ingenioseque ad trutinam revocatis, Septemb. tom. 1, pp. 456—575. Ex iis summarium habes in Breviario Romano, quod, quia exercitationibus academicis eximie convenit, hic adscripsisse operae pretium fuerit.

Stephanus in Hungariam Christi fidem et regium nomen invexit. Regia corona a Romano Pontifice impetrata, ejusque jussu

[1]) In libris ecclesiasticis Ruthenorum et Rumenorum excusis appellationem festi non invenimus, eam tamen efferri sic posse arbitramur; nisi quis sanctum regem praeterea velit honorificis *τοῦ ἐνδόξου, μεγάλου καὶ θεοσέπτου* titulis ornatum.

in regem inunctus, regnum Sedi Apostolicae obtulit. Varia pietatis domicilia Romae, Jerosolymis, Constantinopoli, in Hungaria archiepiscopatum Strigoniensem, episcopatus decem, admirabili religione et munificentia fundavit. Par in pauperes amor et liberalitas, quos veluti Christum ipsum complectens, neminem a se moerentem ac vacuum unquam dimisit; quin ad eorum inopiam sublevandam, amplissimis facultatibus erogatis, domesticam quoque suppellectilem eximia benignitate frequenter distribuit: suis insuper manibus lavare pauperum pedes, noctu solus et ignotus nosocomia frequentare, decumbentibus inservire, ac caetera caritatis officia exhibere consuevit: quarum virtutum merito illius dextera, resoluto caetero corpore, incorrupta permansit.

Orandi studio noctes pene totas ducebat insomnes, atque in coelestium rerum contemplatione defixus, interdum extra sensus raptus, sublimis in aëra ferri visus fuit. Perduellium conspirationes ac validorum hostium impetus miro prorsus modo, non semel orationis praesidio, evitavit. Susceptum ex Ghisella Bavarica sancti Henrici imperatoris sorore, quam sibi matrimonio junxerat, Emericum filium tanta morum disciplina talique pietate enutrivit, quantum ejus postea sanctitas declaravit. Regni vero negotia ita disposuit, ut, accitis undique prudentissimis ac sanctissimis viris, nihil unquam sine illorum consilio moliretur. Humillimis interim precibus in cinere et cilicio Deum deprecans, ut universum Hungariae regnum, antequam e vita migraret, catholicum videre mereretur. Vere propter ingens dilatandae fidei studium illius gentis apostolus nuncupatus, facta a Romano Pontifice ipsi posterisque regibus praeferendae crucis potestate.

Dei Genitricem, quam ardentissime venerabatur, amplissimo in ejus honorem constructo templo, Hungariae Patronam instituit; ab eadem vicissim Virgine receptus in coelum (an. 1038) ipso suae Assumptionis die, quem Hungari, e sancti regis instituto, Magnae Dominae diem appellant. Sacrum ejus corpus suavissimo fragrans odore, liquore coelesti scatens inter multa et varia miracula, Romani Pontificis jussu nobiliorem in locum translatum est atque honorificentius conditum. Ejus autem Festum Innocentius Undecimus Pontifex Maximus quarto nonas Septembris, ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi primi Romanorum electi Imperatoris et Hungariae regis eadem die in Budae expugnatione ope divina e Turcis reportatam, celebrandum instituit.

κα'. 21. *Θαδδαίου τοῦ ἀποστόλου καὶ Βάσσης μάρτυρος.*

Distinctione facta inter *Thaddaeum*, Apostolum ex 12, et *Thaddaeum, unum ex 72 discipulis,* Edessenorum apostolum [1]), *quem s. Thomas divino quodam motu impulsus Edessam*

[1]) Cfr. notata supra ad d. 19. Junii.

misit, ut Christi doctrinam illis gentibus nuntiaret (κήρυκα καὶ εὐαγγελιστὴν τῆς περὶ τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίας), ambigendum non est, hunc posteriorem hodie a Graecis coli. Ipsam Thaddaei legationem et illius gentis conversionem ex Actis tabularii Edesseni breviter describit Euseb. *Hist. eccl.* l. 1, c. 13 [1]) et l. 2, c. 1 [2]). Plura de Edessenorum cultura et ecclesiae illius primordiis dat antiquus auctor Syrus, quem non ita pridem anglice versum Europaeorum consuetudini tradidit Phillips sub titulo *The Doctrine of Addai, the apostle, now first edited in a complete form in the original syriac, with an englisch translation and notes. London. Trübner. 1876.* Librum magna cum laude censet cl. D. Bickell, vir in literis orientalibus versatissimus, ejusque argumentum ita describit in Actis literariis Oenipontanis [3]), ut uno veluti in conspectu illud videre possis.

Apostoli nomen, quo *Thaddaeus* appellatur, latius hic sumi, animadversum jam est supra ad 4. Januarii.

Quoniam nominatim ecclesia armena originem suam ab hoc apostolo ducit, antiquam ejus traditionem hic paucis retulisse juverit. Ita ergo de ea scribit Rmus. Alexand. Balgy, *Hist. doctrinae catholicae inter Armenos,* c. 1, pp. 2 seqq.: *Armenorum gens inter alia divinae providentiae munera illud privilegii loco sibi merito vindicat, quod Regi regum ac Domino dominantium Jesu Christo, adhuc in terris versanti ac coelestem doctrinam praedicanti, tamquam opima spolia obtulerit, dum Illi regem obtulit, qui suavissimo ejus jugo coronatum caput inflecteret. Ut enim a veteribus accepimus, conversio Abagari, regis Edessenorum, auditione miraculorum Christi Domini inchoata, post Ejus passionem absoluta fuit ministerio s. Thaddaei ex septuaginta Christi discipulis, qui speciali missione accepta Edessam petiit, eumque cum uxore Helena et Sanduchta puella sacro regenerationis fonte purgavit.*

Conversio Abagari cum suis plurimisque Edessenorum incolis est factum historicum, quod saniori criticorum parti habetur exploratissimum. Ecclesia armena inter Sanctos veneratur Abagarum et Sanduchtam, una cum s. martyre Addeo, qui primus Edessenorum episcopus a s. Thaddaeo ordinatus fuerat, quo tempore s. Bartholomaeus coelestem doctrinam inter populos superioris Armeniae magno cum fructu disseminabat. Verum quidem est, Sanatrucem, filium Abagari,

---

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 121—122.

[2]) Ibid. pp. 135—138.

[3]) *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1877, pp. 296—304.

in idololatriam relapsum persecutionem in Christianos commovisse; at fidem ab Apostolis satam convellere e sua ditione non potuit; hinc tertio christiani nominis saeculo adhuc in urbibus Amidensi, Nisibena et Cascarensi publica templa visebantur. Per idem tempus s. Dionysius Alexandrinus cum Merugeno, Armenorum episcopo[1], *de lapsis in persecutione, qui ad saniorem mentem redierant, per epistolas egit.*

Sanctae Bassae et filiorum martyrum sub Maximiano res gestas plenius scribunt Bolland. tom. cit. pp. 417—422.

κβ'. 22. Ἀγαθονίκου καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.

Nicomediae passio sanctorum Agathonici, Zotici et sociorum martyrum sub Maximiano imperatore et Eutholomio praeside (Martyr. Rom. h. d.). Egregium eorum certamen pro fide exantlatum descriptum vide apud Bolland. h. d. junctis Analectis Bollandianis, tom. 2, pp. 99—115, et tom. 5, pp. 397—415. De clara s. Agathonici memoria apud CPolitanos lege Morcell. *K. E. CP.* h. d.

κγ'. 23. Λούπου μάρτυρος καὶ Εἰρηναίου ἱερομάρτυρος ἐπισκόπου Σιρμίου.

S. Luppi martyris, qui ex servili conditione Christi libertate donatus martyrii quoque corona dignatus est (Martyr. Rom. h. d.). Videtur fuisse servus *s. Demetrii*, de quo agetur infra ad d. 26. Octob. Plura invenies apud Bolland. tom. cit. pp. 593—595.

Fasti latini sanctum *Irenaeum episcopum Sirmii,* in Pannonia, *et martyrem* memorant 25. Martii, quo die et a Bolland. illustratur Martii tom. 3, pp. 553—555 junctis Actis graecis in Append. p. 19. In aliis Kalendariis aliis diebus refertur, ut 26. Mart., 27. April., 28. August., e quibus primo loco positus, h. e., 26. Mart. proprius esse videtur.

Graeci praeter ss. Luppum et Irenaeum hodie etiam colunt *s. Callinicum I.*, patriarcham CP. (693—705), de quo agunt Bollandiani tum in *Hist. chronol. patriarch. CP.* Augusti tomo 1. praefixa, tum ad h. d. tom. 4, pp. 644—647.

---

[1]) Orsi, *Storia eccl.* tom. 5, p. 353, edit. Venet.

κδ'. 24. Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εὐτυχοῦς, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.

Slav. *Svjatago svjaščennomučenika Eutycha, učenika svjatago Ioanna Bogoslova;* rumen. *S. santîtulu mart. Eutichiu, invetiatielulu s. Joane Teologulu.*

Sancti Eutychii discipuli beati Joannis Evangelistae, qui ob evangelii praedicationem in multis regionibus carceres, verbera et ignes perpessus, in pace tandem quievit (Martyr. Rom. h. d.). Cfr. Acta SS. h. d. pp. 651—755, quibus consonant Kalendaria syr. vatic. nn. 21 et 69.

κε'. 25. Ἡ ἐπάνοδος τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Βαρθολομαίου καὶ μνήμη τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τίτου.

Relatio reliquiarum s. Bartholomaei Apostoli et memoria s. Titi apostoli; slav. *Vozvraščenije moščej svjatago apostola Vartholomeja; i pamjat svjatago apostola Tita;* rumen. *Intorcerea mosteloru s. apostolu Bartolomeu, sî amentirea s. apostolu Titu.*

De s. *Bartholomaeo* ejusque reliquiis pererudite actum vide apud Bollandianos loco supra indicato p. 177. Iis nova accessio facta est non spernenda *Martyrio s. Bartholomaei Apostoli* ab Auchero, Mechitarista Veneto, ex antiquo *Homiliario* [1]) in tom. 9. magni sui operis *Vitae et martyria Sanctorum:* assumpto ac multis doctis annotationibus lingua armena illustrato, quod exinde Latine vertit Mösinger sub titulo supra adducto p. 178. Quum hic liber in paucorum adhuc manus pervenerit, ex eo extremum caput, quod prae caeteris a Breviario Romano discrepat, multis, qui illud non

[1]) Hujus operis indolem Aucherus sic explicat tom. 11, p. 2, p. 69: *S. Gregorius Magnus Vgajasar* (martyrum amator), *Catholicus Armenorum, saeculo undecimo, indefesso labore, praecipue ex graecis electis manuscriptis, antiquas et sinceras vitas ss. martyrum, quae apud nos desiderabantur, collegit et cum aliis sermonibus panegyricis Sanctorum et festorum Domini nostri, qui nondum a ss. interpretibus translati erant, dilucide et fideliter in linguam armenam convertit, quae omnia in unum grande volumen collecta postea* Homiliarium *appellata sunt.* Apud Mösinger, p. IV.

viderint, hic reperisse, perjucundum fuerit; praemittimus tamen Aucheri animadversionem, duos Apostolos Bartholomaeos esse distinguendos, alterum ex 12, alterum ex 70 discipulis. *Prior,* inquit, *cum Thoma primum in Indiam ad praedicandum evangelium venit, dein, ex Oriente reversus per multa loca in terram Armeniae se contulit ibique martyrio obiit et sepultus est in urbe Urbanos seu Urbanopoli, postea ex nomine Apostoli* Barm *dicta* [1]). *Bartholomaeus ex 70 autem cooperator fuit Philippi Apostoli, et postea cum eo Hierapoli crucifixus, sed a cruce liberatus cum sorore sua Mariamna in Lycaoniam se contulit* [2]).

Postquam igitur Martyrium narravit, *s. Bartholomaeum ex terra Parthorum et Medorum et Elamitarum, anno 29. regis Sanatrucii, ad Armenos transiisse, in sortem Thaddaei, juxta mandatum Spiritus sancti,* ita pergit: *Profectus venit in urbem Armenorum* Urbianos, *ibique omnes variis morbis et cruciatibus afflicti ad eum venerunt, et omnes sanavit et fonte baptismi illuminavit. Quod audiens* Ogohi, *soror regis Sanatrucii, qui erat filius sororis Abgari, clam ad eum venit et ipsa et omnes, qui cum ea erant, verbum vitae et fidei in Dominum nostrum Jesum Christum audiebat, et induens vestem virginitatis gloriam terrestrem abjecit et discipula Apostoli facta eum sequebatur. Quibus auditis rex magna ira inflammatus, quasi fera furibunda et sanguinem sitiens, tribunum Terentinum et milites ejus misit. Quum tribunus jussu regis ad eum venisset et Sanctum Dei vidisset, ejus misertus est, et hic coepit ei praedicare evangelium regni. Et Dominus aperuit mentem ejus, ut sermones Apostoli attenderet. Quem morbo leprae laborantem s. Apostolus sumpsit et nocte baptizavit. Et ecce, nubes lucida illi loco obumbravit et splendor ignis fontem purificantem circumdedit. Et factum est, quum Terentinus ex aqua exiret, cutis dura, quasi cortex arboris et quasi folia vitis, ab eo decidit et lumine quasi veste circumdatus est, et multi miraculum, quod factum erat, conspicati crediderunt in Dominum. Rex autem, ad quem fama hujus miraculi perferebatur, magis excandescens ira in-*

[1]) Apud Mösinger pp. 20. et 25.

[2]) Ibid. p. 27.

tolerabili subito alium ex nobilibus misit, ut statim eos trucidaret, et ne famam quidem eorum permanere pateretur. Qui s. Apostolum cum virgine et tribuno et aliis discipulis sumpsit et ad tribunal adduxit. Et sex viri s. Apostolum per unam circiter horam baculis nodosis percusserunt eumque mortuum putantes extra urbem ejecerunt. At s. Apostolus virtute et potentia Domini sui, in quo sperabat, adhuc in vivis erat. Tres circiter horas ita jacebat et magna multitudo ex urbe et omnibus locis finitimis eum circumstetit, elapsisque tribus horis movit manum, et apprehendentes elevarunt eum et surrexit et erectus sedit et elevatis in coelum manibus dixit: „Domine Deus, pater Domini mei Jesu Christi, ne derelinquas haereditatem istam per intercessionem Thaddaei et Thomae et Judae et per meam Bartholomaei, qui curam nostram in hac terra posuimus, nec sinas eam ab hoste conculcari, sed incolis ejus gratiam et misericordiam praebe, ut a cultu deorum falsorum convertantur, quia in vano et impio errore ex ignorantia et fidei defectu versantur. Da eis pastorem et ducem, ut te solum verum Deum et quem misisti, Jesum Christum, agnoscant; me autem suscipe, mi Domine, et fideles tuo praesidio conserva.“ Quae cum dixisset, locus ille commotus est, et ecce globus lucidus descendit et quievit super Sanctum, qui oculis in coelum conversis spiritum tradidit, et odor bonus diffusus est. Cui s. Thaddaeus in corporali specie obviam venit, et simul eo perrexerunt, unde Sanctus Dei Thaddaeus venerat. Et timor apprehendit omnes et illo die crediderunt animae duo millia hominum et omnes Deum de eis, quae facta erant, glorificarunt et lux quasi globus super corpus ejus duodecim diebus permansit.

Beatam autem Ogohi *et tribunum et alios multos cum eis gladio occidit. Quod conspicati corpus s. Apostoli et corpora reliquorum martyrum in illo loco sepelierunt in honorem sanctissimae Trinitatis. Et quum motus terrae factus esset, audierunt surdi et sanati sunt et caeci visu recepto viderunt et muti loquuti et omnes a quibuslibet cruciatibus sanati sunt, qui in Dominum nostrum Jesum Christum per s. Apostolum Bartholomaeum crediderunt. Et fideles unanimes elevatis manibus uno ore glorificabant Dominum nostrum*

Jesum Christum, cui et Patri et Spiritui sancto sit gloria, potentia et honor, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Ad quae Aucherus haec animadvertit: Hic finem habet antiqua narratio Homiliarii nostri, quae, nisi ab ipso Choronensi, certe facta videtur a quodam ex s. interpretibus, a viro literarum antiquarum perito, qui partim ex translatis Graecis, forsitan et Syriacis fontibus, partim ex additamentis fide dignarum traditionum terrae Armeniae historiam suam composuit.

Obitus s. Bartholomaei Apostoli, ut in Martyrologio exponitur, evenit anno tricesimo regis Sanatrucii i. e. anno Domini *sexagesimo septimo,* uno anno post obitum s. Apostolorum Petri et Pauli Romae et circiter *vigesimo anno* post mortem s. Thaddaei et sanctae Santucho in Armenia. Thaddaeus in provincia Jartaz occisus est, ubi tunc Sanatrucius prope urbem magnam *Albak* versabatur. Bartholomaeus autem obiit in urbe Areobanos seu *Urbanos,* quae ab Albak paulum distare et prope *Salamast* et *Jormi* in Armenia majori sita dicitur, ubi Sanatrucius forsitan tamquam in urbe sua regia hyemali versabatur, aut haec urbs in Armenia inferiori erat, in partibus Mesopotamiae, ubi tunc Sanatrucius in urbe sua Nisibi, quam restauraverat, palatium habebat. Praetereo alios, qui Areobanos aut Albak cum Albana aut Alnan confundentes, in hac regione obitum s. Apostoli evenisse censent, quamvis et hi omnes unanimiter eum in Armenia decessisse affirment.

Ex dictis elucet, ecclesiam Armenorum jure haberi germanam duorum ss. Apostolorum filiam, Bartholomaei, qui unus erat ex Duodecim, et Thaddaei, qui unus erat ex Septuaginta, et episcopos Armenorum successores i. e. tenentes cathedram ss. Bartholomaei et Thaddaei et vocari et esse. Licet enim s. Illuminator noster in urbe Caesareae episcopus ordinatus esset, tamen in cathedra sedit ss. Apostolorum i. e. in haereditate eorum, quae est terra Armeniae, ubi ab origine constituta Christiana religio numquam cessavit, nec in urbe Edessae, quae post illuminationem continuo fideles in gremio suo habebat, nec in Armenia majori, ubi Christiani dispersi in singulis locis tempore persecutionum vivebant, quorum multi a rege Armenorum Chosroë, patre Tiridatis, martyrium passi sunt, ut Choronensis memoriae tradidit. At sub rege Tiridate Deus illuminator toti terrae Armenorum excitavit beatum sacerdotem Gregorium Parthum (i. e. Gregorium illuminatorem ex Parthis oriundum), quasi a Deo donatum vivum semen reliquiarum ss. Thaddaei et Bartholomaei et per spiritum suum Apostolicum cathedrae ss. Apostolorum dignum haeredem. Haec Aucherus.

Multa et praeclara in eandem sententiam habet Rmus. Alexand. Balgy, archiepiscop. Acriden. ex Congregat. Mechitar. Viennensi, in praestantissimo opere, cui titulus *Historia doctrinae catholicae inter Armenos unionisque eorum cum ecclesia Romana in concilio Florentino,* Viennae, typ. Mechitarist., 1878, pp. 3—8.

Sancti Titi discipuli s. Pauli, episcopi Cretensium, memoriam celebrant Latini die 4. Januar et 6. Febr. Consuli de eo possunt Acta SS. Januar. tom. 1, pp. 163—164 et Morcelli *K. E. CP.* ad hunc diem.

κς'. 26. *Ἀδριανοῦ καὶ Ναταλίας μαρτύρων.*

Martyrologio Rom. diversis diebus inscribuntur *Adrianus* et *Natalia* ejus uxor, martyres Nicomediae sub Diocletiano, et *Adrianus* quidem ad d. 8. Septembris, *Natalia* vero ad d. 1. Decembris. Utriusque res gestas persequuntur Bolland. Septemb. tom. 3, pp. 209—255.

κζ'. 27. *Ποιμένος τοῦ ὁσίου, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Λιβερίου Πάπα Ῥώμης, καὶ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ὁσίου, ἐπισκόπου Κορδούβης.*

S. Poemenis, Anachoretae in Monte Scethi Lybiae medio saeculo quinto, vitam graeco-latinam cum commentario et apophthegmatibus ex vitis Patrum collectis habent Bolland. Augusti tom. 6. pp. 25—43. In cod. syr. vat. msc. N. 69 annuntiatur: „*S. Poemenis abbatis, principis* (riša) *monachorum eremi*".

Memoria *s. Liberii* Papae et confessoris sacris latinis, graecis, copticis et syriacis fastis inscripta est, copticis tamen d. 9. Octob., latinis vero d. 23. Sept., ubi et Stiltingus de eo praestantem commentarium dat in Actis SS. ejusdem mensis tom. 6. pp. 572—622. Obiit an. 366.

Magnum ac celeberrimum *Hosium,* episcopum Cordubensem, sanctorum catalogo quidem non adscripserunt Latini, maximis laudibus tamen celebrant. Cfr. Baron. in *Annal.* ad an. 357. Cum s. Liberio synaxarium habet tum in Menologio Basil. tum in Menaeis, in quibus tamen mendose scribitur *Κονδρούβης* pro *Κορδούβης*.

κη'. 28. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μωϋσέως τοῦ Αἰθίοπος.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Moysea Murina;* rumen. *Cuv. par. nostru Moise Arapulu.*

Sancti Moysis Aethiopis, qui ex insigni latrone insignis anachoreta in eadem regione Thebaidis, *multos latrones con-*

vertit et secum duxit ad monasterium (Martyr. Rom. h. d.). Obiit saeculo circiter quarto exeunte. Praeclaros commentarios de sancto hoc eremita cum Actis dant Bolland. tom. cit. pp. 199—212 [1]).

Diem hunc magni Augustini memoriae sacrum habent Latini, quos sequuntur Italo-graeci et Rutheni catholici in Galicia; et isti quidem solemnitatem sic efferunt: *τοῦ ἁγίου ἱεράρχου Αὐγουστίνου, διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας, sancti praesulis Augustini, doctoris Ecclesiae;* apud hos autem titulus legitur: *iže vo svjatych otca našego Augustina, episkopa Ypponijskago, sancti patris nostri Augustini, episcopi Hipponensis.* Virum sanctissimum, non magis scriptis quam rebus gestis clarum, norunt eruditi omnes ex historia ecclesiastica. *Multis pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus ad praemia migravit in coelum* (Martyr. Rom.) anno 430, dum vocaretur ad concilium oecumenicum Ephesinum Theodosii imperatoris legatione.

κθ'. 29. *Ἡ ἀποτομὴ τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου.*

Abscissio venerandi capitis sancti, gloriosi prophetae, praecursoris et baptistae Joannis; slav. *Usěknovenije čestnyja glavy čestnago, slavnago proroka, predteči i krestitela Joanna;* rumen. *Taliarea capului onoratului maritului profetu premergatoriu, sî botezatoriu Joane.*

Decollatio sancti Joannis Baptistae, quem Herodes circa festum Paschae decollari praecepit; quae tamen hoc die solemniter colitur, quando ejus venerandum caput secundo inventum fuit Emesae in Syria, *quod postea Romam translatum*

---

[1]) Extremum caput Palladii *Lausiacae historiae* huc pertinens, corruptum et ab interprete ex parte praeteritum (apud Migne, Patr. lat. tom. 34, pp. 1069—1070), Cotelerius ita restituit ac vertit in *Notis in Pratum spirituale Joannis Moschi* (Eccles. gr. monumenta, tom. 2, p. 660): *αὕτη ἡ ἔνθεος τῆς ἀσκήσεως πολιτεία τοῦ ἀκαταγωνίστου ἀθλητοῦ Μωϋσέως, τοῦ τῷ γένει Αἰθίοπος, τὴν δὲ ψυχὴν αἰθήσαντος θείᾳ χάριτι, haec est divina religiosaque vita invicti athletae Mosis, qui genere fuit Aethiops, animam autem suam divina gratia inflammavit;* ubi *Αἰθίοψ* et *αἰθήσαντος* eleganter et apte sibi mutuo respondent.

in ecclesia sancti Silvestri ad Campum Martium summa populi devotione asservatur (Mart. Rom. h. d.). De venerando capite Romam allato pluribus agit Baronius in *Notis ad Mart. Rom.* ad h. d. Alia de sancto praecursore vide notata a nobis ad 24. Febr. et 24. Junii nec hic repetenda. Iis tamen jungi debent plures veterum sermones recens editi atque in *Bibliotheca hagiographica graeca* ex ordine recensiti pp. 60—61.

De aliis s. Joannis reliquiis post diligentes Papebrochii curas in Actis SS. Jun. tom. 5, pp. 658—685 ultimus late egit Paciaud. *De cultu s. J. Bapt.*, Dissert. 6.

De divi Baptistae lipsanis Edessae asservatis testimonium s. Ephraemi, *Carm. Nisib.* n. 33, p. 129. jcta. p. 53. text. syriac., cum aliis multis ad antiquam Syrorum ecclesiam pertinentibus, profertur a viro non minoris pietatis quam eruditionis, utriusque autem eximiae, cl. Domino Bickell, amico vere benevolo, qui illud primum e codicibus Musaei britannici edidit.

De rationibus jejunii hujus diei, ex adjunctis caedis s. Joannis petitis, haec habet Typic. CPolitanum: *Ἐν τῇ ἀποτομῇ τοῦ προδρόμου δεῖ νηστεύειν πάντας τοὺς εὐσεβεῖς, πρὸς ἀνατροπὴν καὶ ἀναίρεσιν τοῦ μισητοῦ καὶ πλήρους ἀνοσιουργήματος συμποσίου τοῦ βιοθανοῦς Ἡρόδου· καὶ γὰρ ἀποτέλεσμα αὐτοῦ ὑπῆρξεν ὁ τοῦ τῶν προφητῶν ἁπάντων Μείζονος φόνος (Τυπικὸν ἐκκλησιαστικὸν κατὰ τὴν τάξιν τῆς τοῦ Χριστοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, ἐν ΚΠ.* 1874, *σελ.* 207).

λ΄. 30. *Τῶν ἁγγ. ἀρχιεπισκόπων ΚΠ. Ἀλεξάνδρου, Ἰωάννου καὶ Παύλου τοῦ Νέου.*

CPoli sancti Alexandri episcopi, gloriosi senis, cujus orationis virtute Arius divino judicio damnatus crepuit medius et effusa sunt viscera ejus an. 336 (Martyr. Rom. d. 28. h.).

Praeter alios complures scriptores a Baronio et Bollandianis ad 28. h. citatos legi de divino hoc judicio possunt s. Athanasius *ad Serapionem de morte Arii* [1]) et s. Gregor. Nazianz. orat. 36 *de cathedra CPolitana non affectata* [2]). Caetera de Alexandro invenies in Actis SS. Augusti tom. 6, pp. 195—198.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 25, pp. 679—690.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 36, pp. 265—266.

S. Joannes, hujus nominis *tertius*, qui et *scholasticus* dictus est a professione, quod aliquando causidicus seu advocatus fuisset, patriarcha CP. ab anno 565 ad 572, contra Baronium, Raderum et Cuperum egregie defenditur a Morcellio *K. E. CP.* ad d. 31. Augusti.

„*Sancti pontifices Alexander et Joannes*“ etiam in Cod. syr. vatic. nn. 20 et 21. h. d. memorantur; *Paulus junior* autem die sequenti.

S. Paulus, qui *junior* appellatus est et *tertius* quoque vocatur, patriarcha CP. ab anno 686 ad 693, ab eodem Morcellio refertur l. c. Ejus memoria iteratur ad 2. Sept.

Simul hoc die officium habent tres patriarchae ob aliquam, ut Papebrochius *Ephemerid. Mosc. figurat.* ad 30. h. censet, communem tribus translationem.

λα'. 31. *Ἡ κατάθεσις τῆς τιμίας ζώνης τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.*

Depositio venerandae zonae sanctissimae Deiparae; slav. *Položenije čestnago pojasa presvjatyja Bogorodicy*; rumen. *Punerea onoratului bràu a prea santei Nascatorie de Domnedieu.*

Pretiosae zonae B. M. V. primum ab Arcadio Hierosolymis CPolim allatae et deinde a s. Pulcheria in novo templo Chalcopratiano a se condito repositae solemnis memoria hodie celebratur. Quod in Menaeis additur: *καὶ ἀνάμνησις τοῦ γεγονότος θαύματος διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς τιμίας ζώνης, et commemoratio miraculi facti per impositionem zonae*, id refertur ad uxorem Leonis imperatoris, cognomento *sapientis*, sanitati restitutam, quum sacrum cingulum *per manum tunc temporis patriarchae super eam explicaretur*, ut habet Menol. Basil.

SEPTEMBER.

Μὴν Σεπτέμβριος; mensis September; slav. *mĕsjac Septemvrij;* rumen. *lun'a lui Septembre;* arab. *Elul.*

Quatuor menses *September, October, November, December,* nomen habent a loco, quem a Martio obtinent, ut est apud Varronem et s. Augustinum *locis jam adductis* p. 44. Et quamvis *er* sive *ber* nihil nisi terminatio esse videatur, non desunt tamen, qui nomen etymologica ratione resolvendum putent in voces *septem, octo, novem, decem* et *imber,* eo quod Septembrem, Octobrem, Novembrem et Decembrem ab *imbre* vocatos putent; his mensibus quippe notato intervallo pluviam, ad vindemiam et serendum pernecessariam, prisca aetas sibi promittebat. Consule Forcellin. *Lexicon,* verbo *December.*

α'. 1. *Ἀρχὴ τῆς Ἰνδίκτου ἤτοι τοῦ νέου ἔτους· καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρός ἡμῶν Συμεὼν τοῦ Στυλίτου καὶ ἀρχιμανδρίτου (καὶ τῆς ὁσίας Μάρθας μητρὸς αὐτοῦ)· καὶ ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῶν Μιασηνῶν· καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀειθαλᾶ· καὶ τῶν ἁγίων τεσσαράκοντα γυναικῶν καὶ Ἀμμοῦν διακόνου καὶ διδασκάλου αὐτῶν· καὶ μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Καλλίστης, Εὐόδου καὶ Ἑρμογένους τῶν αὐταδέλφων· καὶ μνήμη Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ· καὶ ἡ ἀνάμνησις τοῦ μεγάλου ἐμπρησμοῦ.*

Slav. *Načalo indikta sirĕč novago lĕta, i pamjat prepodobnago otca našego Symeona Stolpnika i matere jego Marthy, i sobor presvjatyja Bogorodicy iže v Miasniĕch, i svjatago mučenika Aithala, i svjatych mučenic sorok žen i svjatago Ammuna diakona i učitela ich, i svjatych mučenik*

Kallisty, Evoda i Ermogena, i pamjat prepodobnago Isusa syna Navina; rumen. *Inceputulu indictului adeca alu anului nou, sî amentirea prea cuveniosului parentelui nostru Simeone Stilitulu sî archimandritulu sî a mamei lui Marthei, sî adunarea prea s. Nascatorie de Domnedieu cé dein Miasine, sî a santului martoru Aital'a, sî a santeloru 40 de mulieri martore, sî a santului Ammunu diaconulu dascalulu loru, sî amentirea ss. mm. Callistu, Evodu sî Ermogenu frati buni, sî amentirea dereptului Isusu filiulu lui Navi, sî amentirea arderei mari.*

Initium indictionis sive anni novi. Anni ecclesiastici atque inde Kalendariorum sacrorum initium apud Graecos esse a mense Septembri, supra jam monuimus p. 44. Quum de *indictione* fusius egerimus in *Computo ecclesiastico,* pp. 89—92, tria haec breviter notasse sufficiat:

Indictionis vocabulum a functionibus tributariis seu ab *indicendo* tributo manasse constans fere est opinio; *indictiones* enim nihil aliud sunt, quam annonae seu tributa, quorum canon quotannis *indicebatur.*

Chronographis *indictio* est spatium 15 annorum in se revolutorum, seu orbis 15 annorum vel potius totidem indictionum, cujusmodi partitione tempora numerari computarique a Verona capta an. 312 Constantinus instituisse putatur. Cfr. Maffei *Histor. Veronen.* l. 7.

Triplex distingui solet *indictio: CPolitana,* quae a 1. Sept. incipit; *Caesarea* seu *Constantiniana,* quae a 28. Septemb., et *Pontificia* seu *Romana,* quae a 1. Januar. consurgit.

Initium indictionis tamquam diem festum celebrant Graeci; duplicem ejus rationem, alteram a *principio temporis,* alteram *ab initio praedicationis Jesu* ductam, Menolog. Basil. sic describit synaxario primo pp. 21—22:

Τὴν ἴνδικτον ἑορτάζει ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία, ἀπὸ τῶν ἀρχαίων παραλαβοῦσα, διὰ τὸ νομίζεσθαι ἀρχὴν εἶναι τοῦ χρόνου ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας, ἐπειδὴ ἴνδικτον λέγουσιν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸν

Indictionis festum diem celebrat Dei Ecclesia, traditione a majoribus accepta, quod ab hac die existimarent esse temporis principium, quum indictionem Romani dicant principium et finem. Est igitur

ὁρισμόν. Ἔστιν οὖν καὶ ἡ πρώτη ἡμέρα τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς ὁρισμὸς καὶ ἀρχὴ τοῦ ὅλου ἔτους — Ἐπεὶ δὲ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν βουληθεὶς ἐπευλογῆσαι τὴν ἀρχὴν τοῦ χρόνου, μᾶλλον δὲ ὅλον τὸν χρόνον, ὃν αὐτὸς πρὸ τῶν αἰώνων ἐποίησεν, εἰσῆλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων· καὶ ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐου τοῦ προφήτου. Καὶ ἀνοίξας αὐτὸ εὗρε τὸν τόπον ὅπου ἦν γεγραμμένον· Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με· εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς, ἀπέσταλκέ με· κηρῦξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν· καλέσαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. Καὶ ἀποδοὺς τὸ βιβλίον τῷ ὑπηρέτῃ ἐκάθισεν. Ἔκτοτε ἐχαρίσατο ἡμῖν τοῖς Χριστιανοῖς τὴν ἁγίαν ἑορτὴν ταύτην, ἣν καὶ προθύμως ἑορτάζοντες εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ.

dies primus Septembris anni totius principium et finis. — Sed postquam Christus Deus noster volens benedicere principium temporis, potius totum tempus quod ipse ante saecula fecerat, ingressus est synagogam Judaeorum, traditusque est ei liber Isaiae prophetae eoque aperto invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propterea unxit me, evangelizare pauperibus misit me, praedicare captivis remissionem, et caecis visum, vocare annum Domini acceptabilem. *Et reddens librum ministro, sedit; ex eo tempore nobis Christianis sacratam hanc celebritatem largitus est, quam alacri animo peragentes, gratias eidem habemus.*

His consona habent Menaea ad ipsum hunc diem.

Initium illud praedicationis dominicae Latini in antiquis suis fastis retulerunt in diem 1. Maji, quod Jesus sub id tempus praedicare coepisse legatur, *quum scilicet regiones albae jam ad messem essent* (Joan. 4, 35). Caeterum videri de hac quaestione possunt, quae disputat Florentinius in *notis ad Martyr. s. Hieronym.* ad 1. Maji.

Synaxis Deiparae Miasenorum agitur, verba sunt Menaeorum h. d.*, *ob prodigiosam et sanctam imaginem Deiparae (διὰ τὴν παραδοξοποιὸν καὶ ἁγίαν εἰκόνα τῆς Θεοτόκου), quae in Gazuri lacum, apud Monasterium Miasenorum,* non procul ab urbe Melitene in Armenia situm, *ingruentibus iconomachis* (tempore Leonis Isauri, 717—741), *projecta, longo*

post tempore (imperante s. Theodora, † 867), *intacta (ἄσπιλον), sic volente Deo, recepta est.* Consule quae de hoc festo accurate scripsit Martinov ad h. d. junctis Kal. syr. vat. mscr. NN. 20 et 37, in quibus simpliciter signatur: *„commemoratio Deiparae.“*

Antiochiae s. Symeonis monachi, qui in columna stans multos annos vixit, unde et Stylitae cognomen accepit, cujus vita et conversatio exstitit admirabilis. Ita Martyrol. Rom. ad 5. Januarii, quo die ejus res gestas multis illustrant Bolland tom. 1, pp. 261—287. Legi etiam merentur, quae de stylitarum parente ex Cosma, antiquo auctore syriaco, disseruit Asseman. *Act. mart. oriental.* tom. 2, pp. 227 seqq., a quo memoriae traditur, *sanctum Symeonem, quum annos 9 in monasterio Teledensi exegisset, et 10 praeterea in Mandrae* [1]) *angulo, coepisse in columnis stare, brevioribus quidem per annos 7, altiori vero cubitorum 40 per annos 30, donec ad coelum evolavit die 2. Septemb. an. Christi 450.*

Ex Bollandianis atque ex Asseman. potiora Actorum capita breviter contracta summatim exposuit Pius Zingerle, edito germanice commentario lectu non injucundo: *Leben und Wirken des heil. Simeon Stylites.* Oeniponte Fel. Rauch. 1855. Ejus vitae rationem ultimus erudite descripsit Delehaye, *Les Stylites,* pp. 4—12.

Quum uterque s. Symeon stylites, senior et junior seu *Miromontanus* [2]), nactus matrem ὁμώνυμον fuerit, hodierna *Martha* sedulo distinguenda a matre junioris est, quam cieri vidimus ad d. 5. Julii, supra p. 204. Nostram omittunt quidem Menaea in ipso titulo, referunt tamen in synaxario.

Aithala diaconus anno Saporis Persarum regis 70, persecutionis 48 et ultimo [3]), una cum *Acepsima* episcopo et

[1]) Syriace *sjogto,* σηκός, *sepes, Gehege* sive *Umzäunung,* ut vocem interpretatur Zingerle. Sed tu relegas quae de ea scripsimus supra p. 225.

[2]) De eo actum est supra ad 24. Maji, pp. 164—165.

[3]) Variorum martyriorum sub Sapore II. ordinem chronologicum ex *Bibl.* suae *orient.* t. 1. dat Asseman. in *Kal. E. U.* ad 17. April., tom. 6, pp. 261—263, qui tamen erroneam sententiam de anno mortis S. Simeonis protulit. Mandatum generale persecutionis et demolitionis ecclesiarum a. 344 latum esse, nunc scimus e scriptore coaevo *Aphraate* (ed. Wright, p. 507).

Josepho presbytero pro Christo vitam profudit, teste s. Marutha in *Actis martyrum orientalium* apud Asseman. Bibliothec. oriental. tom. 1, pp. 193. seqq.

Martyrologio Rom. inscriptus legitur cum sociis martyribus ad 22. April. [1]), quo die et egregie exornatus est ab Henschenio, socio Bollandiano, April. tom. 3, pp. 19—29. Acta ex Syriaco in Germanicum pene ad verbum, eleganter tamen, convertit Pius Zingerle, *Echte Acten h. Märtyrer d. Morgenlandes* (p. 1, pp. 140—174). Oeniponte, Wagner, 1836.

Heracleae s. Ammonis diaconi et sanctarum quadraginta virginum, quas ille erudivit in fide, et sub Licinio tyranno ad martyrii gloriam secum perduxit. (Martyr. Rom. h. d.). Eorum memoriam plurimum posteritati commendant monumenta a Pinio illustrata in Actis SS. Septemb. tom. 1, pp. 156—157. In Menol. Basil. proprio synaxario celebrantur.

Passio sanctorum Evodii, Hermogenis et Callistae germanorum in Martyrologio Rom. ad diem sequentem memorata, ab Henschenio fusius describitur in Actis SS. April. tom. 3, pp. 262—263.

S. Josue Nave, dux Israelitarum, in Martyrologio Rom. socium habet *Gedeonem*. Quae ad Acta ejus et cultum pertinent, e divinis maxime libris atque ex antiquitatibus Josephi collecta exhibet accurateque illustrat Limpenus socius Bolland. Sept. tom. 1, pp. 6—77.

In graecis Kalendariis tandem consignata ad 1. Sept. est *μνήμη τοῦ μεγάλου ἐμπρησμοῦ memoria magni incendii,* quod hoc die ad vesperum CPoli excitatum est Leonis Magni principatu, anno, ut videtur, 462, ut nimirum et calamitatis mememoria apud posteros retineretur [2]) et, anniversaria supplicatione instituta periculum ejusmodi in futurum averteretur.

---

[1]) Editor Martyrologii Rom. omnes hos martyres *sequenti anno post obitum Simeonis* (17. April.), *annuo item die, quo passionis Dominicae memoria celebratur, gladio caesos* refert, quod eum scilicet *Acta syriaca martyrum orientalium* adhuc laterent.

[2]) Hujus incendii *miserabile et horrendum spectaculum* describit Evagrius *Histor. eccles.* l. 2, c. 13, apud Migne, Patr. gr. tom. 86, pp. 2539—2542.

β'. 2. *Μάμαντος μάρτυρος καὶ ἀρχιεπισκόπων ΚΠ. Ἰωάννου τοῦ νηστευτοῦ καὶ Παύλου τοῦ Νέου.*

Caesareae in Cappadocia natalis s. Mamantis martyris, qui a pueritia ad senectutem usque longum martyrium duxit, et tandem imperante Aureliano, sub Alexandro praeside illud feliciter consummavit: quem sancti patres Basilius [1]) *et Gregorius Nazianzenus* [2]) *summis laudibus celebrarunt* (Martyr. Rom. d. 17. Augusti). De Actis, cultu ac miraculis fusius agunt Bolland. Aug. tom. 3, pp. 423—446.

S. Joannes IV., a multis austeris continuatisque *jejuniis ὁ Νηστευτής, jejunator* (slav. *postnik,* rumen. *ajunatoriulu)* cognominatus, ex monacho patriarcha CP. factus an. 586, obiit mense Septemb. an. 595, ob gloriosum titulum *τοῦ οἰκουμενικοῦ*, dum viveret, a S. Gregorio M. et aliis deinceps acriter reprehensus, a Graecis tamen sanctorum numero adscriptus, imo et a multis Latinis ob peculiaria rerum CPolitanarum adjuncta excusatus. Ejus vindicias ultimus scripsit eruditissimus Morcelli *K. E. CP.* ad h. d., animadvertens etiam, quaestionem de graecanico Joannis cultu Romae institutam fuisse apud cardinales, qui de librorum orientalium editione cognoscunt; auditisque doctorum virorum sententiis, consensisse patres, nihil esse immutandum. Quae Joanni objicitur pertinacia in retinendo titulo *patriarchae oecumenici* [3]), ea vel ab ipso s. Gregorio M. quadantenus elevari videtur, quum ejus mortem commemorans in epist. ad Mauritium Augustum his utatur verbis: *Non enim parvae potuit esse mercedis, quod* Joanne sanctae memoriae *de hac luce subtracto ad ordinandum sacerdotem pietas vestra diu haesitavit* [4]). Eodem modo et s. Isidorus Hispalensis, aequalis eorum temporum, appellat *Joannem sanctae memoriae CPolitanum episcopum,* eumque a praeclaris virtutum exemplis magnopere commendat [5]).

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 31, pp. 590—600.

[2]) Orat. *in nov. dominic.* ibid. tom. 36, pp. 619—620.

[3]) Vide quae de ratione hujus tituli notavimus supra ad d. 17. Julii.

[4]) Lib. 7, ep. 6. Apud Migne, Patr. lat. tom. 77, pp. 859—860.

[5]) *De viris illustribus* c. 39. Apud Migne, Patr. lat. tom. 83, pp. 1101—1102.

Caeterum de hac controversia integri exstant tractatus, e quibus breviter enotata invenies apud Card. Hergenröther[1]), quaecunque ad rectam litis aestimationem pertinent.

Joannis nostri *de poenitentia* opuscula vulgavit Migne, Patr. gr. tom. 88, pp. 1886—1978. De veteri encomio Joannis nuper a Gelzer edito videatur *Bibliotheca hagiographica graeca,* p. 65.

Qui ultimo loco refertur *Paulus junior* Morcellii judicio est *Paulus III.,* qui regiae urbis pontificatum gessit ab an. 686 ad an. 693, ut dictum est supra p. 263.

γ'. 3. *Ἀνθίμου ἱερομάρτυρος καὶ Θεοκτίστου τοῦ ὁσίου.*

S. Anthimus, episcopus Nicomediae, sub Diocletiano passus an. 302, colitur a Latinis 27. Aprilis, ubi Acta graece et latine cum commentariis dederunt Bolland. April. tom. 3, pp. 487—491.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοκτίστου, συνασκητοῦ τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου.

Slav. *Prepodobnago našego otca Theoktista, spostnika velikago Euthymia;* rumen. *Cuv. par nostru Teoctistu celu deimpreuna ascetu cu marele Eutimiu.*

Sancti Theoctisti monachi et hegumeni, *magni Euthymii in ascesi collegae,* mentio injecta jam est supra ad d. 20. Januar. in vita s. Euthymii p. 78. Obiit anno 467, ut habent Acta SS. ad h. d., p. 659.

In Kalendario syriaco cod. Vatic. Nro. 37 hodie signatur *Immolatio Isaaci.*

In Kalendariis graecis denique annuntiatur h. d. *s. Basilissa,* virgo et martyr Nicomediae sub Diocletiano, de qua agunt Acta SS. Sept. tom. 1, pp. 609—610.

δ'. 4'. *Βαβύλα ἱερομάρτυρος καὶ Μωϋσέως θεόπτου, τοῦ νομοθέτου καὶ προφήτου.*

S. Babylas, archiepiscopus Antiochenus, martyr sub Decio imp., praeconiis s. Joannis Chrysostomi illustris[2]). Martyro-

[1]) Photius, Patriarch v. CP., l. 1, c. 7, pp. 178—190.

[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 50. pp. 525—572.

logio Rom. consignatus est cum sociis 24. Januarii, ad quem diem et Bolland. Acta sistunt ejusdem mensis tom. 3, pp. 183—195.

S. Moysis, Deum videntis; slav. *bogovidča;* rumen. *vediatoriulu de Domnedieu; legislatoris et prophetae* memoriam cum Graecis hoc eodem die agimus Latini. Ejus res gestas late persequuntur Bolland. Sept. tom. 2, pp. 6—177.

ε'. 5. *Ζαχαρίου τοῦ προφήτου.*

De *s. Zacharia,* sacerdote et *propheta*, patre Joannis Baptistae, Latinorum fasti agunt die 5. Novemb.

ς'. 6. *Ἡ ἀνάμνησις τοῦ γεγονότος ἐν Κολοσσαῖς ἤτοι ἐν Χώναις παρὰ τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαήλ.*

Slav. *Vospominanije byvšago čudese v Kolossajech, ježe jest v Choněch, ot Archistratiga Michaila;* rumen. *Amentirea minunii ce s'a facutu in Colase de s. Archangelu Michailu.*

Celebris est apud Graecos hodierna festivitas *commemorationis miraculi facti a principe militiae coelestis Michaele in urbe Colossensium,* quae postea dicta est *Chone*, in Phrygia Pacatiana, quod Menaea excusa breviter sic narrant: *Viri gentiles invidia tabescentes ob miracula, quae fiebant in templo archistrategi Michaelis, fluvium in vicinia manantem volebant contra templum vertere, ut et templum submergerent, et virum venerabilem Archippum, prope habitantem, perderent. Apparens vero solum divinus archistrategus, jubensque Archippum bono esse animo, petram virga percutit, transitum in ea faciens fluvio: ab eo tempore usque in praesentem diem transire cernitur infusus.* In Menolog. Basil. modo nonnihil diverso miraculum narratur pp. 33—34. — Acta graeco-latina cum commentariis criticis dant Bolland. Sept. tom. 8, pp. 38—49. Iis accessio facta est in Analectis Bolland. t. 8, pp. 285—328, quam cum Actis non sine utilitatis fructu conferes.

ζ'. 7. *Σώζοντος μάρτυρος.*

Pompeiopoli in Cilicia s. Sozontis martyris, qui sub Maximiano imp. in ignem injectus reddidit spiritum circa

an. 304 (Martyr. Rom. h. d.). Acta habes apud Bolland. Sept. tom. 3, pp. 14—19.

η'. 8. *Τὸ Γενέθλιον (Γενέσιον:* Kal. CP.*) τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

Nativitas sanctissimae Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae; slav. *Roždestvo presvjatyja Vladiječycy našeja Bogorodicy i prisnoděvy Marii;* rumen. *Nascerea prea sântei nostre Domne Nascatorie de Domnedieu sî pururea vergurei Marie;* arab. *Mîlâd sett'nâ Marjam;* syriac. *'îdâ dîlîdûthâh d'mârt Marjam.*

Hodiernum festum Romae celebratum jam fuisse sub finem saeculi 7, liquet ex Anastasio bibliothecario in *Sergio Papa*[1]), et confirmatur ex Pseudo-Alcuino *de divinis officiis* cap. 7[2]) aliisque vetustis scriptoribus apud Fronton. *Cal. Rom.* pp. 196—197. Eundem natalem diem ss. Deiparae saeculo 8. in urbe regia festum haberi solitum, ex luculento testimonio *Kalendarii E. CP.* a Morcellio editi constat; utrum vero multo antiquior fuerit ibidem haec solemnitas, ex homiliis, quae antiquorum patrum nomina inscripta habent, confici non potest, quum ex dictis supra ad 2. Febr. in comperto sit, parum titulis hujusmodi fidendum esse. Antiquis illis homiliis olim vulgatis nunc accedit sermo Isidori archiep. Thessalonicensis, editus a Ballerini, *Sylloge,* pp. 205—242.

θ'. 9. *Τῶν ἁγίων καὶ δικαίων θεοπατόρων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης· καὶ Σεβηριανοῦ μάρτυρος.*

Slav. *Svjatych i pravednych bogootec Ioakima i Anny;* rumen. *Ss. sî direptii parenti domnedieesci Ioachimu sî An'a.*

Canonem esse ritus ecclesiae graecae, ut sancti illi, qui potiorem partem in aliquo mysterio D. N. J. Ch. aut Deiparae habuerunt, eidem mysterio subjungantur, notavimus supra ad d. 3. Febr. Merito igitur Nativitatem B. M. V. excipit memoria *sanctorum et justorum Deipatrum, Joachim*

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 128, pp. 897—898.
[2]) Ibid. tom. 101, p. 1181.

et Anna, parentum ejus. De iis recole, quae scripsimus ad 25. Julii; et videsis quae de s. Joachim seorsim disputant Bolland. Martii tom. 3, pp. 77—80.

S. Severianus, martyr Sebastiae in Armenia minore, sub Licinio, Acta, Stiltingii sententia, sat accurata habet apud Bolland. Sept. tom. 3, pp. 355—364.

ι'. 10. *Μηνοδώρας, Μητροδώρας καὶ Νυμφοδώρας μαρτύρων· καὶ προσκύνησις τῶν τιμίων ξύλων πρὸ τῆς ὑψώσεως.*

Tres hae sorores, virgines et martyres in Bithynia, sub Galerio Maximiano, utriusque ecclesiae fastis ad h. d. insertae leguntur. Etiam cod. syr. vat. N. 77. earum refertur *Coronatio*. Res gestas ex Metaphraste vulgarunt Bolland. Sept. tom. 3, pp. 489—493.

Ecclesia CP. cum variis ecclesiis Orientis [1]) vivificae cruci adorandae quatriduum addixerat; festo *Exaltationis* enim tribus continuis diebus adoratio publica praemittebatur, de cujus ritu confer Morcelli ad dd. 10, 12, 13 et 14 h. m.

ια'. 11. *Θεοδώρας ὁσίας τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.*

Alexandriae s. Theodorae, quae quum incaute deliquisset, facti poenitens, mira abstinentia et patientia in habitu sancto incognita perseveravit usque ad mortem saeculo quinto (Martyr. Rom. h. d.). Longius elogium exstat in Menol. Basil., cui Acta quidem consonant, verum ea fabulosa prorsus esse demonstrant Bolland. tom. cit. pp. 788—791. Consulendae nunc sunt recentiores curae K. Wesselis, relata in *Bibliotheca hagiogr. gr.*, p. 126.

ιβ'. 12. *Αὐτονόμου ἱερομάρτυρος.*

In Bithynia s. Autonomi episcopi et martyris, qui ex Italia, Diocletiani persecutionem declinans, illuc profectus, quum plurimos convertisset ad fidem, a furentibus gentilibus, dum sacra mysteria perageret, ad altare mactatus, hostia Christi effectus est (Martyrol. Rom. h. d.). Res praeclare

---

[1]) Id antiqua Kalendaria syriaca et karšunica testantur, quae Moesinger e Codicibus Vaticanis descripsit.

gestas ex antiquis Actis accuratius describunt Bolland. Sept. tom. 4, pp. 14—20. Signatur etiam in Cod. syr. vat. N. 77.

ιγ'. 13. *Μνήμη τῶν ἐγκαινίων τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ἀναστάσεως καὶ Κορνηλίου τοῦ ἑκατοντάρχου.*

Memoria dedicationis templi sanctae Christi et Dei nostri resurrectionis (sancti sepulchri magis appellant Latini, quod ad sepulchrum D. N. J. Ch. esset aedificatum); slav. *Pamjat obnovlenij svjatago chrama Christa i Boga našego Voskresenija;* rumen. *Amentirea innoirii invierii lui Christosu Domnedieului nostru.*

Hodie recolitur dedicatio basilicae seu martyrii *Resurrectionis* celebrata an. 335, die 13. Septemb., sub Constantino M. et Macario episcopo Hierosolymitano, praesentibus episcopis, qui jussu imperatoris in sancta urbe convenerant post synodum Tyri eodem anno habitam. De ea prae caeteris fuse scribit Euseb. *Vita Constant.* l. 4, cc. 42—48 [1]).

Martyrii nomen ecclesiae Resurrectionis peculiariter attributum erat ab eodem Eusebio *ibid.* l. 3, cc. 8 et 11, jcto. *de laudibus Const.* c. 9, et a s. Cyrillo Hierosolym. *catech.* 14, n. 6 [2]), vel quod ad *monumentum* Christi Domini staret, vel quod in loco, ubi praeclaram confessionem testificatus fuit Salvator mundi (I. Tim. 6, 13), esset aedificata, vel denique, quod salutaris Domini Jesu Resurrectionis *testimonium* exhiberet.

Cornelius centurio (slav. *sotnik,* rumen. *centurionele)* in fastis ecclesiasticis refertur a Latinis ad 2. Febr. Acta habes apud Bolland. Febr. tom. 1, pp. 281—287.

ιδ'. 14. *Ἡ παγκόσμιος ὕψωσις τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ.*

Universalis Exaltatio venerandae et vivificae crucis; slav. *Vsemirnoje vozdviženije čestanago životvorjaščago kresta;* rumen. *Inaltiarea crucei onorate sî facatorie de vieța;* arab. *'îd eççalîb el-muqaddas;* syriac. *'îdâ da ç'lîbâ qaddîschâ.*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20. pp. 1189—2000.
[2]) Ibid. tom. 33, pp. 831—832.

Quamvis jam inde ab anno 326, quo vivifica crux a s. Helena fuit inventa, salutare hoc lignum aliqua ostensione publice ab episcopo adorandum propositum atque *inde quidam veluti Exaltationis typus expressus fuerat (καὶ ἐτυπώθη εἰς ὕψωσιν)*, ut Menolog. Basil. habet, hodiernum festum tamen proprie initium duxit Hierosolymis 14. Sept. an. 335, qui dies proximus fuit a dedicatione *μαρτυρίου τῆς Ἀναστάσεως*, quando nimirum sacrosancta crux omnibus, qui aderant, episcopis consentientibus solemniter exaltata est populoque ex ambone ostensa, ut eam rite adoraret. Quam ob causam Chronicon Paschale eandem dedicationem etiam appellat *τὰ ἐγκαίνια τῆς ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου σταυροῦ* additque: *ἐντεῦθεν ἤρξατο ἡ σταυροφανεία, hinc deinceps initium accepit festum apparitionis crucis* [1]), hodiernus scilicet festus dies. *Haec autem Exaltationis sanctae crucis solemnitas, quae hac die quotannis celebratur, postea illustrior haberi coepit ob memoriam insignis victoriae de Persis ab Heraclio relatae* an. 626 *ac venerandae crucis receptae et Hierosolymis repositae,* prout refert Breviar. Rom. h. d.

In pluribus Kalendariis syriacis mscr. vaticanis ad hunc diem etiam refertur *obitus s. Joannis Chrysostomi.* Quod sanctissimi archiepiscopi memoriae recolendae ipse hic dies tamen non est in Menologiis graecis tributus, id inde venisse putandum est, quod 14. Septembris jam a temporibus Constantini M. solemnitas s. crucis occupasset [2]), ex quo scilicet insignis particula sacrosanctae crucis a s. Helena in urbem CPolim erat illata [3]). Sed et alias orbis ecclesias antiquitus de vivificae crucis ligno particulas sibi comparasse, quas hoc die potissimum venerarentur, testis locupletissimus est s. Cyrillus Hierosolymitanus, qui *catech. 13.* n. 4. memorat [4]) *crucis lignum, quod per particulas ex hoc loco per*

---

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 92, pp. 713—714.

[2]) In vita s. Joannis Chrysostomi a Georgio episc. Alexandrino scripta *dies 14. Septemb. Exaltationis* inter eos, qui CPoli illius aetate festi habebantur, enuntiatus legitur. Cfr. Phot. *Bibliothec. Cod.* 96, apud Migne, Patr. gr. tom. 103, pp. 355—356.

[3]) *Μέρος δὲ ἡ βασιλὶς πρὸς Κωνσταντῖνον τὸν παῖδα διεκόμισεν.* Ita Sozomen. *Hist. eccles.* l. 2, c. 1. Ibid. tom. 67, p. 933.

[4]) Ibid. tom. 33, pp. 775—778.

universum jam orbem distributum est (*τοῦ σταυροῦ τὸ ξύλον, τὸ κατὰ μικρὸν ἐντεῦθεν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ λοιπὸν διαδοθέν*); ac *catech. 4,* n. 10. diserte scribit[1]) *crucis ligno universus jam orbis in partes secto repletus est* (*τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ πᾶσα λοιπὸν ἡ οἰκουμένη κατὰ μέρος ἐπληρώθη*); quae eadem ferme repetit *catech. 10,* n. 19; ibid. pp. 687—688. Quo etiam spectat, ut alia mittamus, insigne testimonium vetustissimi Kalendarii syriaci a Moesinger e cod. Vat. N. 69. eruti, in quo ad diem 25. Januarii consignatum est nomen *s. Achae eremitae, qui particulam ligni crucis nobis attulit.* Ejusmodi particulas autem *praecipuis hisce adorationum diebus* olim publica *σταυροφανείᾳ* solemniter honorari solitas fuisse, historia nos edocet[2]). Hinc Papebrochius non immerito scribit in *metrico gr.* 13. Nov. *celebritatem Natalis Chrysostomi ad eum diem differri, ne sanctae crucis potior festivitas impediatur.*

Causam jejunii hujus diei quod spectat, eam ex ipsius festi rationibus petitam habes Typic. CP. supra citat. p. 262 his verbis expressam: *Ἰστέον, ὅτι ἡ ἑορτὴ τῆς παγκοσμίου ὑψώσεως τοῦ τιμίου σταυροῦ μικτή ἐστι χαρᾶς καὶ λύπης· καὶ χαρᾶς μὲν διὰ τὴν εὕρεσιν τοῦ τῆς σωτηρίας ἡμῶν συμβόλου, τοῦ ζωηφόρου σταυροῦ· λύπης δὲ διὰ τὴν μνήμην τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ὧν ἔπαθεν ὁ Σωτὴρ τοῦ κόσμου τὸ ζωοποιὸν πάθος, σαρκὶ τῷ σταυρῷ προσηλωθείς· ὅθεν καὶ δίκαιόν ἐστιν, οἶμαι, νηστεύειν πάντας τοὺς ὀρθοδόξους ἐν ταύτῃ τῇ πανσέπτῳ ἡμέρᾳ· καὶ γὰρ τὰ δίκαια ἔχει τῆς τοῦ πάθους ἡμέρας, τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης παρασκευῆς* (*Τυπικ. ΚΠ. σελ.* 21.). Huic consona est rubrica antiqui Kalendarii syriaci a Moesinger e codice Vaticano N. 20 gr. enotata: *Hodie lex praecipit in omnibus ecclesiis, ne carnibus et lacticiniis vescantur propter . . . honorem crucis, cui omnes Christianos decet honorem deferre.*

---

[1]) Ibid. pp. 469—470.

[2]) Evagrius solemnitatem extraordinariae *σταυροπροσκυνήσεως μετὰ σταυροφορίας*, bello Persarum ingruente Apameae celebratam anno 450, describens, ait *Hist. eccles.* l. 4, c. 26, peractam illam fuisse, *ὥσπερ ἐν ταῖς κυρίαις τῶν προσκυνήσεων ἡμέραις εἴθιστο, sicut in praecipuis adorationum diebus fieri jam consueverat.* Ibid. tom. 86, pp. 2745—2746.

Armenis dies Exaltationis (*chatsch, crux,* et *chatsch-veratz, Exaltatio crucis, mez chatsch, magna crux)* e quinque primariis festis est, quae *Daghovár* appellant, celebraturque die dominico, qui propinquior est 14. Septemb., nempe a die 11. usque ad d. 17. cum ritu, quem festis *Daghovár* proprium esse diximus supra ad 6. Augusti.

In pluribus Codicibus Karšunicis vatic. h. l. inscribuntur: *Sabbatum post Exaltationem Crucis* et *Dominica post Exaltationem Crucis.*

ιε'. 15. *Νικήτα μεγαλομάρτυρος καὶ Φιλοθέου τοῦ θαυματουργοῦ.*

Sancti Nicetae Gothi, qui ab Athanarico rege ob catholicam fidem jussus est igne comburi (Martyr. Rom. h. d.) circa an. 372, Bollandianorum judicio Sept. tom. 5, p. 38, in hodierna Moldavia vel huic contermina Valachia aut Bessarabia, quae provinciae Athanarico tum parebant.

De *s. Philotheo* presbytero et *thaumaturgo,* in vico Myrmice Asiae minoris, forte saeculo 10, syllogen habes ex Menologiis aliisque fastis erutam in Actis SS. tom. cit. pp. 113—115.

ις'. 16. *Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Εὐφημίας, τῆς πανευφήμου.*

Slav. *Svjatyja velikomuč. Eufimii vsechvalnyja;* rumen. *S. sî a totu laudat'a marea mart. Eufimi'a.*

Celeberrimae hujus in utraque ecclesia virginis et martyris Chalcedonensis mentionem jam injecimus supra pp. 207—209 ad d. 11. Julii. Codices syr. et Karšun. hodie etiam signant ejusdem *martyrium* (20, 21) et *coronationem* (37, 77). Illustre certamen brevi compendio refert Martyr. Rom. h. d., multis vero describunt Acta SS. tom. cit. pp. 252—285, ubi Stiltingus contra Tillemontium ostendit, sanctae martyrium anno 303 aut 304 esse figendum.

Sanctam Ludmillam, viduam et martyrem ineunte saeculo 10, Bohemiae ducissam et patronam, hodie Latini honoramus officio proprio huic regno concesso. Eam et Graecoslavi in ecclesiae fastos retulerunt, quod illi, opera s. Methodii (fratris s. Cyrilli) in fide christiana instructae baptismum ritu graeco collatum credant. Sanctissimae martyris virtutes ac laudes

longiori commentario complexus est Suyskenius in Actis SS. tom. cit. pp. 339—363.

In fastis Ruthenorum catholicorum ad hunc diem legitur *V tojže den prazonujem pamjat svjatago sjaščennomučenika Iosaphata, archiepiskopa Polockago, eodem die celebramus memoriam sancti hieromartyris Josaphati, archiepiscopi Polocensis.*

Martyrem clarissimum non Rutheni solum, sed Latini etiam honorant, non quidem hoc die, quem apud Ruthenos invictissimi herois memoriae sacrum esse voluit synodus Zamoscena [1]), verum 14. Novembris, quo die Breviario insertus reperitur.

Quae ad vitam martyriumque s. Josaphati pertinent, paucis complexus est Martinov in *An. eccl. gr. sl.* ad 12. Nov., quibuscum plane consentiunt lectiones Breviarii Romani. Has, quia maxime idoneae sunt sanctissimi praesulis virtutibus illustrandis, ad unius omnium matris altricisque Ecclesiae catholicae decus et gloriam, hic adscripsisse ab instituto nostro alienum non fuerit.

Josaphat Kuncewitius nobilibus et catholicis parentibus Vladimiriae in Volhynia natus [2]), quum puerulus matrem de Christi passione loquentem audiret, jaculo a latere imaginis Jesu Crucifixi immisso, vulnus in corde suscepit. Dei amore incensus, adeo orationi aliisque piis operibus instare coepit, ut provectioribus adolescentibus exemplo et admirationi esset. Vicennis inter claustrales sancti Basilii alumnos monasticam regulam professus, mirum quos in evangelica perfectione progressus fecerit. Nudis pedibus, frigidissima licet saeviente regionis hieme, incedebat: carnes numquam, vinum nonnisi ex obedientia adhibuit, asperrimoque cilicio ad obitum usque corpus afflixit. Castitatis florem, quem ab adolescentia Virgini Deiparae voverat, inviolatum servavit. Virtutis doctrinaeque ejus brevi sic fama percrebuit, ut quamvis junior, Bytenii Monasterio praefectus sit: mox Vilnensis Archimandrita, ac demum Archiepiscopus Polocensis invitus quidem, sed catholicis gestientibus, fuerit renuntiatus [3]).

Hac dignitate auctus, nihil de priori vivendi ratione remittens, nonnisi divinum cultum et creditarum sibi ovium salutem cordi habuit. Catholicae unitatis ac veritatis strenuus propugnator, totis viribus adlaboravit ut schismaticos haereticosque ad com-

[1]) Vide supra p. 35.

[2]) Anno 1580.

[3]) Anno 1619.

munionem cum beati Petri sede reduceret. Summum Pontificem ejusque potestatis plenitudinem ab impudentissimis impiorum calumniis et erroribus qua concionibus, qua scriptis pietate ac doctrina refertis defendere numquam destitit. Episcopalem jurisdictionem et Ecclesiae bona a laicis usurpata vindicavit. Incredibile dictu est, quot haereticos in sinum matris Ecclesiae revocaverit. Unionis vero Graecae Ecclesiae cum Latina Josaphatum promotorem extitisse praeclarissimum, etiam pontificia oracula diserte testantur. Ad haec, et templi Dei decori instaurando, et sacrarum virginum exstruendis aedibus, aliisque piis operibus juvandis, mensae suae proventus ultro erogavit. In pauperes adeo effusus, ut cum olim inopiae cujusdam viduae sublevandae nihil occurreret, episcopale pallium seu Omophorion oppignorari jusserit.

Tot catholicae fidei incrementa perditissimorum hominum adeo excitaverunt odia, ut, conspiratione inita, Christi athletam ad necem quaererent; quam sibi imminere ipse in suo ad populum sermone praenuntiavit. Cum itaque Vitepscum pastoralis visitationis gratia profectus esset, illi archiepiscopales invadunt aedes; obvios quosque feriunt ac caedunt. Tum vir mitissimus quaerentibus sponte occurrit, eosque amice compellans, Filioli, inquit, quare familiares meos caeditis? Si quid contra me habetis, ecce adsum. Hinc impetu facto, eum verberibus contundunt, telis confodiunt, ac demum immani securi necatum in flumen projiciunt die duodecima Novembris anni sexcentesimi vicesimi tertii supra millesimum, aetatis ejus quadragesimi tertii. Corpus mirabili luce circumfusum ex imo fluminis alveo elatum est. Sanguis Martyris parricidis ipsis in primis profuit, qui fere omnes capitis damnati, ejurato schismate suum scelus detestati sunt. Cum tantus Praesul plurimis post obitum coruscaret miraculis, eum Urbanus Octavus Pontifex Maximus Beatorum honoribus decoravit [1]). Pius Nonus tertio kalendas Julias anni millesimi octingentesimi sexagesimi septimi, cum saecularia Apostolorum Principum solemnia celebrarentur, coram Patrum Cardinalium senatu, simulque adstantibus fere quingentis Patriarchis, Metropolitis et Episcopis cujuscumque ritus, qui ex toto terrarum orbe convenerant, hunc ecclesiasticae unitatis adsertorem, primum ex orientalibus, solemni ritu in Vaticana Basilica Sanctorum ordini accensuit. Cujus Officium ac Missam Leo Decimus tertius Summus Pontifex ad universam extendit Ecclesiam (an. 1882).

Fontes, unde eruta haec sunt, germanos plane, nominatim indicat Martinov l. c., qui si tibi non fuerint ad manum, de fortissimo martyre nostro etiam fuse a Spillmann

[1]) An. 1642.

actum scias in Actis literariis *Stimmen aus Maria-Laach,* 1877, tom. 12 [1]), quem utique adire facile poteris.

ιζ'. 17. *Τῆς ἁγίας μάρτυρος Σοφίας, καὶ τῶν τριῶν αὐτῆς θυγατέρων Πίστεως, Ἐλπίδος καὶ Ἀγάπης· καὶ Εὐλαμπίου μάρτυρος· καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου ρ' μαρτύρων (Πηλέως, Νείλου καὶ τῆς συνοδίας αὐτῶν) καὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ ν' μαρτύρων.*

Slav. *Svjatyja mučenicy Sofii i triech jeja dščerej Věry, Nadeždy i Liubbe;* rumen. *S. mart. Sofia sî trei fete ale ei Pistis, Elpid'a sî Agapi.*

Coluntur a Latinis die 1. Augusti, latinis nominibus, *Fides, Spes, Caritas, sorores, virgines* et *martyres Romae sub Hadriano,* ut habet Martyr. Rom. et *s. Sophia* seorsim die 30. Sept.; nihil autem minus notum quam harum martyrum historia; et doctissimus Sollerius, socius Bolland., qui de iisdem commentarium criticum scripsit ad d. 1. Aug., pp. 16—19, vix aliud praeter cultum, utique celebrem, invenit, ut adeo vel ipsa nomina appellativa potius, quam propria dicenda videantur, accepta videlicet a glorioso certamine, quo pro Christi *fide* tanta *spe* et *caritate* praeditae, duce *sapientia,* martyrii palmam sunt consecutae.

In cod. syr. vat. n. 21 annuntiatur *Coronatio martyrum Pistis, Elpis et Agape et matris eorum Sophiae.*

Sanctum Eulampium Kalendarii CP. non alium esse, atque *s. Charalampium,* die 10. Febr. relatum, aliis argumentis omissis, inde conficit Morcelli ad h. d., quod eodem ferme sensu usurpari *χαρά* possit atque *εὖ* ad *jucundum splendorem* significandum, de qua re diximus ad cit. 10. Febr.

In Menologio Basil. et in Martyrol. Rom. coluntur hodierni 150 martyres, sub Maximino passi circa an. 310, ad d. 19. Sept., ubi et Stiltingus brevem syllogen historicam ex Eusebio et Martyrologiis latinis et graecis vulgavit in Actis SS. ejusdem mensis tom. 6, pp. 21—23. Intrica-

[1]) *Joseph Velamin Rutski und der hl. Josaphat, die beiden Vorkämpfer der Union von Brest:* cursus an. 1877, tom. 1, pp. 61—76, 150—169, 395—410, 489—501. Friburgi, apud Herder.

tissimam, quae de his ss. martyribus movetur, quaestionem fuse pertractat Sergius archimandrita in suo *Mĕsjacoslov,* tom. 2, ad h. d. ac nodum Gordianum se tandem solvisse sibi blanditur.

ιη'. 18. *Εὐμενίου Γορτύνης τοῦ θαυματουργοῦ καὶ Ἀριάδνης μάρτυρος.*

De *s. Eumenio episcopo Gortynensi,* in Creta, et *thaumaturgo,* saeculo, ut videtur, septimo, commentariolum vulgavit Stiltingus in Actis SS. ad h. d. pp. 786—787; idemque *s. Ariadnes martyris* Prymnesiae, in Phrygia salutari, *sub Hadriano* (Martyrol. Rom.), certamen ac cultum ex antiquis monumentis colligit ad diem praecedentem, ibid. p. 469. Utramque disputationem ipse evolvas.

S. Eumenius etiam codicibus karšunicis vat. occurrit.

ιθ'. 19. *Τροφίμου, Σαββατίου*[1]) *καὶ Δορυμέδοντος τῶν μαρτύρων.*

Hi tres ss. martyres, diversis diebus et locis passi circa an. 278, hodie etiam in Martyr. Rom. conjunctim annuntiantur cum brevi elogio, quod ex Actis est concinnatum. Cfr. Bolland. Sept. tom. 6, pp. 9—20.

κ'. 20. *Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Εὐσταθίου, καὶ Θεοπίστης τῆς συμβίου αὐτοῦ, καὶ τῶν δύο υἱῶν αὐτῶν Ἀγαπίου καὶ Θεοπίστου.*

Romae passio ss. martyrum Eustachii et Theopistae uxoris ejus, cum duobus filiis Agapio et Theopisto, qui sub Hadriano imp. damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nil laesi, in bovem aeneum candentem inclusi, martyrium consummarunt exeunte saeculo primo (Martyr. Rom. h. d.). Fabulosa quidem horum martyrum Acta judicant Bollandiani, verum digni omnino lectu sunt commentarii, quibus et cultum antiquissimum vindicant et famosissimam s. Eustachii historiam illustrant t. c. pp. 106—137. Caeterum Acta graeca ipse videas in Analectis Bolland. t. 3, pp. 65—112.

---

[1]) Cod. syr. vat. N. 37 legit *Sebastianus.*

κα'. 21. *Κοδράτου τοῦ ἀποστόλου· καὶ Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.*

S. Codratus, Latinis *Quadratus,* Apostolorum discipulus, insignis scriptor ecclesiasticus et apologista christianorum, episcopus Atheniensis ineunte saeculo secundo, egregio encomio celebratur in Martyr. Rom. ad d. 26. Maji, ubi Bolland. quoque pluribus de eo agunt ejusdem mensis tom. 6, pp. 355—357. His autem accessio facta est non levis, Martyrologio eodem adversus Tillemontium vindicato in praetermissis ad ipsum hunc diem pp. 181—182.

S. Jonas propheta hodie et in fastis latinis ac syriacis memoratur. Longiorem commentarium historicum de eo scripsit Cleus in Actis SS. tom. cit. pp. 186—194.

In aliquibus Kalendariis hoc die etiam referuntur *s. Hypatius* episcopus et *Andreas* presbyter, martyres CPoli sub Leone Isaurico, quorum saevum martyrium breviter describitur in Martyr. Rom. et in Actis SS. ad 29. Aug.

κβ'. 22. *Φωκᾶ ἱερομάρτυρος.*

Sancti Phocae, Synopensis in Ponto *episcopi et martyris* sub Hadriano, Acta graece et latine dant Bolland. Julii t. 3, pp. 600—617; a Latinis enim colitur 14. Julii.

κγ'. 23. *Ἡ Σύλληψις τοῦ τιμίου, ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου.*

Conceptio venerandi, gloriosi prophetae, praecursoris et baptistae Joannis; slav. *Začatije čestnago i slavnago proroka, predteči i krestitela Gospodnja Ioanna;* rumen. *Inceperea onoratului maritului profetu in a-ânte mergatoriu sî botezatoriu Joane.*

Hodierna festivitas non solum in fastis ecclesiae graecae, sed etiam in vetustis omnibus martyrologiis latinis, ad diem sequentem tamen, consignata reperitur, non quod ipsa conceptio proponatur uti sancta *in se* et cultu religioso digna, sicuti proponitur immaculata virginis Deiparae conceptio, sed *propter mysteria ipsius diei,* quo vere sancta nativitas Joannis cum munere praecursoris eidem divinitus concesso annuntiata est Zachariae patri ejus ab angelo, quod et ipsis picturis ex-

pressum voluerunt Antiqui. Ex iis binas exhibet Paciaud. *de cultu s. Joannis B.,* alteram Menologii Basil., alteram Lectionarii saeculi 11. Haec sane Menologii Basil. imago est: ara in medio stat, quam lorica quaternis lateribus claudit, et fastigium columnis quatuor impositum tegit: ex adverso Zacharias veste indutus sacerdotali et thuribulum dextra librans thus adolet; angelus vero ad extimum arae latus Zachariam dextra intenta alloquitur hastamque puram sinistra gerit. Pictura Lectionarii item repraesentat Zachariam adstantem altari cum angelo, praenuntiante filium ipsi nasciturum. Quod idem festi objectum etiam expresse ac directe efferunt Syri *subârê da Z'charjâ,* h. e. *annuntiatio Zachariae* [1]).

Latini autem Conceptionis festum inde a saeculo 15. ideo omisisse videntur, quod vererentur, ne quis crederet, Joannem B. labis originalis fuisse expertem, quod singulare privilegium uni B. Virgini Deiparae concessum credimus.

Caetera ad hoc festum spectantia praeter alios docent Papebroch. Jul. tom. 5, pp. 603—605 jctis. ephemeridibus gr. mosch. ad h. d.; Paciaud. op. cit. dissertat. 3, cc. 1—2, pp. 72—81, et recentissime Sergius archimandrita, qui etiam putat, probabilissime illud celebratum jam fuisse saeculo quinto, parvi tamen habitum ideoque in pluribus Kalendariis Orientis antiquioribns, v. g. in Sinaitico Evangeliario anni 715, desiderari.

κδ'. 24. *Τῆς ἁγίας πρωτομάρτυρος καὶ ἰσαποστόλου Θέκλης.*

Slav. *Svjatyja pervomučenicy i ravnoapostolnyja Thekly;* rumen. *S. antânia mart. Tecl'a.*

Sanctam Theclam virginem, foeminarum *protomartyrem atque Apostolis aequalem* Latini honoravimus pridie hujus diei, recitata etiam lectione Breviarii, quae synaxario Menologii Basil. omnino respondet. Non solum *Actus Theclae et Pauli Apostoli,* quos concilium Rom. an. 496 improbavit

---

[1]) In Kalendario syriaco Cod. vat. N. 37. integra annuntiatio diei haec est: *Annuntiatio Zachariae, die 23. Sept. solaris, die vero 10. Octob. lunaris, et annuntiatio Elisabeth, matris Joannis B., et sanctarum mulierum, et Methusalem, qui vixit 969 an.*

c. *Sancta Romana* 3. § 49. Dist. 15, verum quaecunque ejus ad nos pervenerunt Acta, sublestae fidei merito haberi, ostendunt Bollandiani; quapropter, iis omnibus neglectis, vitam ex dictis ss. Patrum a Stiltingo contextam sistunt Sept. tom. 6, pp. 546—568, quamquam et hoc consilium Morcellio parum arridet ad h. d.

Licet *Thecla* morte incruenta obierit (Seleuciae in Isauria), *martyr* tamen habetur, quod plurima pro Christo certamina subierit, quin et *protomartyr* appellatur, quod praeclarissima constantiae exempla foeminis reliquerit *prima*.

κε΄. 25. *Εὐφροσύνης τῆς ὁσίας· καὶ ἀνάμνησις τῶν φόβων τοῦ μεγάλου σεισμοῦ καὶ τῆς τοῦ παιδὸς ἐν ἀέρι ἁρπαγῆς· καὶ λιτῆς τοῦ Κάμπου.*

S. Euphrosyna, virgo Alexandrina, filia Paphnutii, in Aegyptio aliquo monasterio sub virili habitu latuit, assumpto nomine *Smaragdi (ἐν ἀνδρικῷ σχήματι ἄγνωστος . . . καὶ Σμάραγδος μετονομασθεῖσα).* Obiit circa an. 470, Martyrologio Rom. inscripta ad d. 1. Januar. Acta latine dant Bolland. ad diem 11. Febr., quando solemnius a Carmelitis colitur; graece extant in Analectis Bol. t. 2, pp. 195—205.

Ad hunc diem refertur *memoria magni et terribilis terraemotus,* quo CPolis Theodosio juniore menses quatuor concussa est an. 446, *quando raptus in aëra puer* trisagion audivit: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri.* Res caeteroquin nota ex historia ecclesiastica [1]) in Menolog. Basil. celebratur proprio Synaxario.

Quum cives CPolitani tempore terraemotus, urbe relicta, in suburbii *Ἑβδόμου* loco, qui appellabatur *Campus,* sub tentoriis habitassent, institutum memoriae causa est, ut hoc die quotannis solemnis supplicatio ad eundem locum (*λιτὴ τοῦ Κάμπου, εἰς τὸν Κάμπον, ἐν τῷ Κάμπῳ*) haberetur, quod cum Chronico Paschali [2]) et s. Theophane *Chronograph. in Proclo* [3]) tradunt, qui de rebus Theodosii junioris et de

[1]) Cfr. Simplic. *Epist. ad Petrum Cnaphaeum* (Hardouin. Conc. t. 2, p. 822).

[2]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 92, pp. 983—984.

[3]) Ibid. tom. 108, pp. 245—248.

hymno trisagio primum instituto scripserunt. Videndus etiam de hujus processionis pompa sub Marciano Aug. Theodor. Lector. *Ecclesiast. hist.* l. 1, n. 6 [1]).

Sunt quidem, qui originem *τοῦ τρισαγίου ὕμνου*, si non cum Nicephoro Callist. *Hist. eccles.* l. 18, c. 51 ab ipsis Apostolis [2]), cum Le Quien *tractat. s. Joannis Damascen. de hymno trisagio* [3]) saltem ab antiquiore aliquo auctore repetant; in eo tamen ferme omnes consentiunt, eundem nonnisi sub s. Proclo CP. (434—447) in liturgiam receptum esse.

κϛʹ. 26. *Ἡ μετάστασις τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.*

Assumptio sancti Apostoli et Evangelistae Joannis, cognomento *Theologi;* slav. *Prestavlenije svjatago apostola i evangelista Ioanna Bogoslova;* rumen. *Mutarea s. maritu sî intru totu laudatu apostolu sî evangelistu Joane teologulu.*

Quamvis *μετάστασις* in titulo hodiernae festivitatis posita a multis jam pro morte s. Joannis sumatur, antiquis tamen significasse videtur assumptionem animae et corporis; plerique enim in ea erant sententia, s. Joannem Apostolum, in morte placido veluti somno compositum, revixisse et in coelos receptum esse, quemadmodum de s. Deigenitrice Maria credit Ecclesia; de qua controversia videri possunt auctores a Morcellio ad h. d. citati, legique meretur *Dormitio beati Joannis Apostoli* armenice versa saeculo quinto, nunc primum an. 1877 latine cum notis prodita Viennae a Catergian, Mechitarista, jetis etiam, si tamen lectione non videantur indignae, annotationibus criticis, quas nos ipsi in eandem materiam scripsimus in *Zeitschrift für kathol. Theologie,* 1878, pp. 210—213.

In Codicibus syr. et karšun. vat. promiscue signantur *Obitus* et *Translatio Apostoli Joannis theologi.*

In Menologio Basil. s. Joannes ad 30. Junii dicitur *vivus sepultus ac,* quum statim esset defunctus [4]), *translatus*

---

[1]) Ibid. tom. 86, pp. 169—170.

[2]) Ibid. tom. 147, pp. 433—434.

[3]) Ibid. tom. 95, pp. 18—62.

[4]) De errore eorum, qui crediderant, s. Joannem mortuum non esse, confersis Benedict. PP. XIV., De canonizat. SS. l. 1, c. 24.

seu assumptus *(ὁ ζῶν ταφεὶς μετατεθείς)*; et ad 8. Maji *sepultus, paulo post transferendus (μέλλων μετατεθῆναι ἐτάφη)*, ad hunc diem vero antiqua traditio de obitu et assumptione beati Apostoli sic refertur: *Magnus Apostolus et Evangelista Joannes . . . Ephesi, quum multos docuisset perque baptismum ad Christum adduxisset, translationem suam praenovit (προέγνω τὴν μετάστασιν αὐτοῦ). Dominico igitur die, quum fratres magna Dei opera docuisset, eisque, ut quae edocti a se fuerant, observarent, praecepisset, imperavit discipulo suo* [1]), *ut assumptis hominibus, et quae ad fodiendum opus essent, paratis instrumentis, se consequeretur: abiitque in quemdam locum, jussitque, egesta alte terra, fossam in crucis figuram effodere (ἐπέτρεψεν ὀρύξαι ὄρυγμα βαθὺ σταυροειδές). Mox oravit, et dixit: Pax vobis, fratres! Et in fovea sese composuit (ἀνεκλίθη ἐν τῷ ὀρύγματι). Eo operto* (cum pallio), *discipuli discesserunt. Verum paulo post regressi, visendi eum studio, nequaquam invenerunt (τότε καλύψαντες αὐτὸν οἱ μαθηταὶ ἀνεχώρησαν. Καὶ μετὰ τοῦτο ἐλθόντες ἰδεῖν αὐτὸν οὐχ εὗρον).*

In citata armenica *Dormitione,* quam Catergian fidelem versionem authenticae narrationis ecclesiae Ephesinae de obitu b. Joannis Apostoli credit, praeter alia haec adduntur: *Quum perfecissent foveam in circuitu juvenes illi, ut ipse voluerat, exuit Beatus sibi pallium, quod circum habebat, et in formam lecti extendebat illud in profunditate foveae illius, et veste tantum indutus stans sublevavit manus suas ita deprecans* (sequitur longior oratio)... *Deinde obsignans totum se dixit: Tu esto mecum Domine mi Jesu Christe; et stravit se in foveam, qua pallium* [2]) *suum extenderat, dixitque nobis: Pax vobiscum fratres! Nobis laetantibus simulque plangentibus commendavit animam suam beatus Joannes in manus Domini nostri Jesu Christi* [3]).

---

[1]) Is notissimus est *Prochorus*, armeniace *Biroz,* al. *Βῆρος*, qui juxta fontes apocryphos veluti secretarius fuit Apostoli.

[2]) Tunicam hanc s. Joannis Apostoli a s. Gregorio M. requisitam (lib. 3, epist. 3. apud Migne, Patr. lat. tom. 77, p. 605) atque in Basilica Constantiniana positam miraculis coruscasse, narrat in Vita ejusdem s. Gregorii Joannes diaconus, l. 3, cc. 57—59, ibid. tom. 75, pp. 168—169.

[3]) Cum hac narratione, quod summam historiae spectat, et alia ar-

Verum qui mortis ejus dies fuerit, Morcellii judicio l. c. definiri hucusque non potuit, quamvis spernenda Orientalium traditio non sit, juxta quam ipso hoc die obiit. Latinis, Armenis et antiquis Syris [1]) solemnitas sancti nostri est de numero *festorum concomitantium Natalitia Domini,* quod hic Apostolus *de numero comitum sit, quos habere debet sponsus* [2]): *quem Dominus non prae caeteris solum, sed et prae caeteris familiarius unum dilexit, et qui inter quatuor animalia aquilae comparatus de divinitate Christi et limpidius prae cunctis conspexit et in evangelii sui principiis scribendo contradidit* [3]).

Celebris apud Occidentales eo die est *haustus* sive *benedictio s. Joannis,* h. e., ritus benedicendi sibique mutuo offerrendi vinum, Germanis *St. Johannis Segen.* Ejus moris origo ex traditione petenda; quae s. Joannem pingit calicem manu tenentem, ex quo prospectat serpens: quod scilicet *bibens lethiferum haustum, Apostolus non solum evasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitae reparavit statum* [4]). Plura de hac benedictione habet Gretser. *de festis* l. 2, c. 4; de imagine vero Krüll apud Kraus, *Realencyclopaedie,* t. 2, p. 66.

Caeterum de imaginibus et picturis s. Joannis Ev., praesertim in ecclesia orientali, vir rerum graeco-slavicarum instructissimus, nobisque dum viveret amicissimus, J. E. Martinov, accurate exquisiteque egit in proprio commentario *„Iconographie de S. Jean l'Evangéliste",* qui primum editus in „Revue de l'art chrétien", II., tt. 10 et 11, inde vero extractus auctiori forma prodiit Atrebati 1879. Observatu digna sunt artificibus, quae auctor in ἐσχατοκολλίῳ diligenter disputat de genuinis rationibus, ob quas s. Joannes Ev. peculiaris patronus ab iis eligatur, qui picturam caeterasque elegantiores artes christianas colunt.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νείλου, τοῦ νεωτέρου Ἀββάδου T. H.

Venerabilis P. N. Nili, junioris, Abbatis ordinis nostri. Duplex secundae classis.

---

meniaca *„Dormitio s. Joannis Evangelistae et Theologi"* consentit, quam cl. Emine ex archivis russis erutam vulgavit in *„Revue orthodoxe",* Moscoviae, 1876.

[1]) Vide supra p. 148. Apud Syros Nestorianos cum caeteris tribus evangelistis colitur tertia feria sexta post Epiphaniam.

[2]) Durand. *Rational. divin. offic.* l. 7, c. 42.

[3]) Ita antiqua Martyrologia apud Migne, Patr. lat. tom. 94, p. 11, 43.

[4]) Cfr. Isidor. *De ortu et obitu Patrum,* c. 72, n. 128.; ibid. tom. 83, p. 151 et p. 1288.

Ex Menaeis monasterii Cryptae ferratae in agro Tusculano relatus in Martyrol. Rom. ad h. d. est *s. Nilus, junior,* primus ejusdem monasterii fundator, qui obiit an. 1005. Vitam a *s. Bartholomaeo,* ut idem Martyrol. habet d. 11. Nov., conscriptam graece et latine cum peregregiis commentariis vulgant Bolland. Sept. tom. 7, pp. 259—320.

Hoc et sequenti die antiquum Kalendarium syriacum Vaticanum N. 37 a Moesinger transscriptum mire consentit cum pluribus Kalendariis occidentalibus [1]) in referendis *ss. Chropsima* (Ripsime) *et sociis ejus,* in Armenia sub Tiridate passis, quarum Martyrologium Rom. meminit die 29. hujus mensis. Earum Acta ex Vita s. Gregorii Illuminatoris innotescent ultimo Septembris, quo die et in Menaeis synaxario celebrantur.

κζ'. 27. *Καλλιστράτου μάρτυρος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ.*

SS. Callistratus et socii milites 49 martyres, probabilius Byzantii in Thracia, sub Diocletiano, fastis nostri inscripti sunt ad diem hesternum, ubi et Acta illustrat Stiltingus Sept. tom. 7, pp. 174—179.

Kalendarium syriacum, quod heri memoravimus, hodie cum nonnullis latinis refert *s. Gajanam magistram ss. Ripsimes et sociarum ejus et duarum aliarum in Armenia.* Ea et Menaea annuntiant simpliciori tamen titulo: *Τῆς ἁγίας μάρτυρος Γαϊανῆς.*

κη'. 28. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Χαρίτωνος καὶ Βαροὺχ τοῦ προφήτου.*

Slav. *Prepodobnago otca našego i ispovědnika Charitona;* rumen. *Cuv. par. nostru sî marturisitoriulu Charitonu.*

Sanctum Charitonem, celeberrimum in eremo Hierosolymitana laurarum conditorem saeculo quarto, maximo consensu hodie referunt Graecorum Syrorumque libri liturgici.

Quam Chariton sub Constantino M. *lauram* incepit, posteri ob suam antiquitatem *veterem* cognominarunt, unde et sancto Joanni cognomen *τοῦ παλαιολαυρίτου* (19. April.)

[1]) Vide Bolland. in praetermissis ad h. d. Sept. tom. 7, p. 174.

factum. Vitam graeco-latinam commentariis auctam dant Bolland. tom. cit. pp. 568—582.

Baruch propheta e Menaeis excusis et Horologio magno in Kalendaria recentiora transiit.

Slavi nobiscum hodie colunt *s. Wenceslaum,* ducem Bohemiae et martyrem an. 829, quod eum non secus ac *s. Ludmillam,* de qua dictum est ad 16. h. m. et *s. Procopium* monasterii Sazaviae prope Pragam abbatem, ritus graeci fuisse contendant, de qua sententia cfr. Martinov ad h. d.

Caetera, quae ad Acta pertinent sancti Wenceslai, quae item ad cultum ejus et miracula, amplissimis commentariis illustrarunt Bolland. tom. cit. pp. 718—786.

κθ'. 29. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κυριακοῦ τοῦ ἀναχωρητοῦ.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Kyriaka otšelnika;* rumen. *Cuv. par nostru Chiriacu sichastrulu.*

Fuit s. Euthymii discipulus, sub nomine *Quiriaci,* Martyrologio Rom. etiam ad h. d. inscriptus. Impugnator Origenistarum acerrimus interfuit synodo CPolitanae an. 536 obiitque an. 555, aetatis 107. Res gestas scripsit Cyrillus, vitarum s. Euthymii (29. Januar.), et s. Sabae (5. Decemb.) auctor. Cfr. Acta SS. Sept. tom. 8, pp. 142—159. — Eum inferius in anno ecclesiastico Syrorum cognomine *Ruhana,* h. e., Spiritualis, appellari videbimus.

Kalendaria italo-graeca O. S. Basilii M. hodie ritu latino referunt festum

Τοῦ ἁγίου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, ἄκρου προασπιστοῦ τῆς Τάξεως Ἡμῶν. μεγ. α'.

Sancti principis coelestis militiae Michael, summi defensoris Ordinis Nostri. Duplex primae classis.

Memoranda tandem est Kalendarii mscr. syriaci vat. N. 37, a Moesinger exscripti, prorsus singularis festi Jacobitarum annuntiatio ad hunc diem: *80000 digitorum, quos amputaverunt Graeci Alexandriae benedicto populo Aegyptiorum eo, quod signum crucis unico digito formarant:* cui intelligendae aliquid luminis affundit Gretseri disputatio de controversiis inde exortis, quod monophysitae *unico duntaxat digito sese consignarent (ἑνὶ δακτύλῳ σφραγίζουσιν*

ἑαυτούς), *De sancta cruce* l. 4, c. 1. juncta Macricii *Historia Coptorum*, ex arabico in germanicum versa a Wüstenfeld, Goettingae, Dieter, 1845, p. 49. Per hanc crucis formam quippe Copti Jacobitae „semper contestati sunt *unam* naturam, *unam* voluntatem, *unam* operationem Dei incarnati": quemadmodum ex Actis ostendimus in „Zeitschrift für kath. Theologie", 1894, p. 287.

λ'. 30. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Γρηγορίου, ἐπισκόπου τῆς Μεγάλης Ἀρμενίας.*

Slav. *Svjatago svjaščennomučenika Grigoria, episkopa velikija Armenii;* rumen. *S. santîtulu mart. Gregoriu, episcopulu alu Armeniei mari.*

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, Μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων γυναικῶν Ῥιψιμίας, Γαϊανῆς καὶ ἑτέρων λβ' ὁσιομαρτύρων γυναικῶν καὶ παρθένων.

S. Gregorius, Magnae Armeniae episcopus et apostolus, ob gentes illius regionis ad fidem adductas ac baptizatas *Φωστήρ, Illuminator* (armen. *Lusaworitzch;* slav. *Prosvětitel;* rumen. *Luminatoriulu* sive *Illuminator)* cognominatus, temporibus Diocletiani a Tiridate, Armeniae rege, dire vexatus et ad praeclaram confessionem adactus, sub Constantino M. tandem *in pace quievit* inter 325 et 330 (Martyr. Rom. h. d.).

De s. Gregorio ac virginibus Ripsime et sociis fuse egit Stiltingus, socius Bollandianus, et Acta quae circumferuntur, diligenter, ut solet, examinavit Sept. t. 8, pp. 295—413, meritam inde sagacitatis sollertiaeque laudem vel ab ipsis recentioribus Armenarum rerum scriptoribus criticis consecutus [1]).

Qui non ita pridem magno numero variis in locis editi sunt commentarii de s. Gregorio nostro, videantur in *Analect. Bolland.*, 1895, pp. 121—122.

Eodem hoc die signatur in adducto jam Kalendario syr. Vat. *Festum baptismi Hog Armenorum ad flumen Euphratem et sanctimonialium, quae cum s. Gregorio ministrarunt.* Ubi quid sibi vellet τὸ *Hog Armenorum* quum non divinaremus,

[1]) Cfr. Alfred von Gutschmid, *Agathangelos* in Actis literariis *Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, 1877, fasc. 1, pp. 1 seqq. Lipsiae, Brockhaus.

gratias maximas olim ei promisimus, qui ejus sensum nobis indicasset [1]). Quidnam vero docti, interpretationes divinando tentantes, nobis responderint, inferius in *Anno eccl. Armenorum* dicemus t. 2.

Alias venerabiles traditiones ad s. Gregorium pertinentes memorat Stiltingus in *commentario praevio,* nn. 81—82, p. 311. Earum fontes armeni quum nobis sint inaccessi, ex gravissimo auctore istius nationis, in quo exquisita est universae Armenorum historiae scientia, hic adscribimus, quae de originibus ecclesiae armenae compendio tradit. Sic igitur Rmus. Balgy scribit capite 2. operis citati supra p. 254.

Alteri propagationi [2]) fidei christianae in Armenia, opera s. Gregorii Illuminatoris exeunte saeculo tertio et quarto ineunte effectae, longe ante praeluxerant virgines christianae numero triginta sex, quae quum Romano essent genere, *Ripsimianae* [3]) *Cajanae*que dictae sunt, a *Ripsima* inter eas virtute praestantissima ejusque institutrice *Cajana;* quae omnes ut virginitatem coelesti sponso illibatam servarent, caesariano gladio compulsae in Armeniam se receperunt, virginitatis fideique vexillum in his terris extulerunt earumque germina foecundarunt proprio cruore pro Christo prope Valarsapatam Armeniae metropolim, quae nunc est Ecimiazin. Harum virginum beatae passionis narratio lectorem erigit sancteque delectat; earumque memoriam omnis Armenorum natio etiamnum religiosissime colit. S. vero Gregorius Illuminator tanto erga easdem aestuabat devotionis affectu, ut loca, ubi martyrium subierant, templa Deo dedicaverit, sub earumque beatissimis auspiciis munus suum apostolicum et Armenorum conversionem collocaverit.

Idem Gregorius, a prima juventute christianis virtutibus ac disciplinis imbutus, Magni Basilii et utriusque Gregorii, Nazianzeni, inquam, et Nysseni, Caesareae Cappadociae magisterio usus, ac deinde ab occidentalibus, et fortasse in ipsa Roma, catholicae Ecclesiae mores edoctus, apostolatum gessit, cujus indoles utriusque ecclesiae spiritum referebat [4]).

---

[1]) Docte quidem, more suo, de voce disputat Paul. de Lagarde, *Armenische Studien,* nn. 1300—1301, p. 89; verum omnis festi hujus notitia desideratur. R. Payne-Smith praeter nudum titulum nihil prorsus affert in *Thesauro syriaco* s. v. *Hog.* Interpretationis beneficium igitur aliunde praestolari debuimus.

[2]) Primam religionis christianae propagationem describit capite praecedenti pp. 1—6. De ea breviter diximus supra p. 254.

[3]) Moys. Choren. *Hist. Arm.* l. 2, c. 86, 91; Lazar. Pharpen. *Hist.* ed. Veneta armena, 1793, p. 10.

[4]) Moys. Chorenens. *Hist. Arm.* l. 2, c. 80. Cfr. Elisae. *Hist. Vard.* ed. Ven. 1828, p. 123. — Cfr. S. Joan. Chrysostom. in *S. Illuminat.*

Fides igitur, quam ipse praedicaverat populis longe lateque inter Caspium et Ponticum mare, Caucasum Taurumque interjectis, erat fides catholica Romana, quam quisque luculentissime perspicere potest ex ejus catecheticis homiliis, quae adhuc supersunt [1]).

Quin ut Romanae ecclesiae Armeni fideles seu membrum capiti copularentur, ipse Gregorius Illuminator ad B. Petri successorem iter aggressus comite ipso Tiridate rege neophyto plebem nuper Christo acquisitam ipsi exhibuit [2]), ut fieret *unum ovile et unus pastor*. Haec omnia constant ex antiquissima et jugi traditione testibus coaevis vel fere coaevis innixa, et a s. Gregorii aevo ad nos usque deducta.

A summo Pontifice Silvestro peculiaribus benevolentiae signis exceptus, atque extraordinariis facultatibus auctus ad ecclesiae armenae sinum remeavit [3]). Ecclesia itaque armena, supra inconcussum Petri fundamentum aedificata adeo catholicae doctrinae tenaciter inhaerebat, ut eam Arianae haereseos saevissimus impetus, omnia undique vastans, nullo pacto subvertere vel commovere potuerit; atque in vivis adhuc agente M. Gregorio Illuminatore, dum illa pestis in excidium serperet christiani gregis, nullum quo se Armenis obtruderet aditum reperit. — Gregorius Sacrosancti Nicaeni concilii decreta et symbolum obsequentissime amplexatus promulgavit, nonnullis additis articulis, queis Nicaenae sanctiones munirentur, illustriores fierent, quae gregis sui incolumitati consulerent. Nostris etiam diebus consuetudo ab eodem M. apostolo inducta solemnis est, ut in mysteriorum celebratione, symboli recitatione completa, haec pericope ad majorem vim et perspicuitatem subjungatur: „*Nos itaque glorificamus eum, qui erat ante omnia saecula, adorantes SS. Trinitatem, et unicam divinitatem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nunc, etc.*“ (pp. 6—8.)

---

[1]) Agathangelus in *Hist. Arm.*

[2]) Idem *Hist. Arm.* Cfr. Faust. Byzant., auct. saec. IV., *Hist. Arm.* l. 3, c. 21; Elisae. *Hist. Vard.* p. 124.

[3]) Huc facit „*Epistola concordiae initae inter s. Silvestrum Papam et s. Gregorium Illuminatorum, Apostolum Armeniae*“, relata apud Azarian. in opere superius adducto p. 196.

OCTOBER.

Μὴν Ὀκτώβριος; mensis October; slav. *měsjac Oktovrij;* rumen. *lun'a lui Octobre;* arab. *Teschrîn el-evvel* (I).

October mensis, octavus a Martio, ex ordine nomen habet. Etenim Syllaba *ber* ad vocabuli formam et supplementum pertinet, non ad significationem, veluti *atrus* in *quinquatrus* et *tullium* in *meditullio.* Sic menses quintus et sextus etiam nominabantur temporis Ciceronis adhuc *Quinctilis* et *Sextilis,* quibus non tam commode subjungitur terminatio *ber.* Sunt tamen, qui cum Magn. Aurel. Cassiodoro *Variarum* lib. 1. epist. 35[1]) miram notationem quoque ex *imbribus* conficiant. Vide, quae de ratione et etymo vocis notavimus initio *Septembris* et iterum dicemus ad caput mensis sequentis.

In multis Kalendariis syriacis hujus mensis titulus est: *Teschrîn qadmâjâ. Risch schattâ d'Surjâjê: Teschrîn prior. Initium anni Syrorum.* Quadrimestre spatium autem, quod hinc ordimur, apud Syros et Melchitas in duas partes dividitur *(Teschrîn, Kânun),* quarum utraque duobus mensibus constat *(Teschrîn, Kânun prior;* syr. *qadmâjâ;* arab. *el-evvel; Teschrîn, Kânun posterior;* syr. *chrâjâ;* arab. *et-tsânî).*

α'. 1. *Ἀνανίου τοῦ ἀποστόλου· καὶ Ῥωμανοῦ τοῦ μελῳδοῦ.*

S. apostoli Ananiae, qui s. Paulum baptizavit, memoria est in Martyr. Rom. ad 25. Jan., ubi et Bollandiani Acta interpretantur Jan. tom. 3, pp. 227—229.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ῥωμανοῦ τοῦ μελῳδοῦ.

Slav. *Prepodobnago otca našego Romana sladkopěvca;* rumen. *Cuveniosulu nostru parente Romanu cantaretiulu.*

S. Romanus, patria Emesenus, Diaconus Ecclesiae *τῆς ἁγίας ἀναστάσεως τοῦ Θεοῦ* Beryti in Phoenicia, qui tamen diu

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 69, p. 532.

CPoli erat mansionarius templi ss. Deiparae, ob hymnorum ab ipso compositorum et copiam et elegantiam *Melodi* vel *ποιητοῦ τῶν κοντακίων*, *conditoris contaciorum,* titulo insignitus, floruit sub Anastasio I., Dicoro, (490—518).

Vitae syllogen ex Menologiis scripsit *Byeus* in Actis SS. Octob. tom. 1, pp. 56—59; alia dedit Card. Quirini, *Diatribe* 4, pp. 169—173. Ei tamen recens accessio facta est commentariis Card. Pitra *Hymnographie* et *Analecta,* quibus Ementissimus auctor pleraque est complexus, quae nostri poëtae scripta, virtutes, memoriam illustrant. Quibus omnibus nuperrime pauca quaedam adjecit Papadopulos-Kerameus in *Byzantin. Zeitschrift,* t. 2, pp. 599—605, quae ex praeceptis critices a Bollandianis examinata videsis in *Analectis.* t. 13, pp. 440—442. Caeterum quae de scriptis Romani theologum scire decet, more suo praeclare explicat Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 522—524.

Ruthenis fastis ad hunc diem inscriptum est solemnissimum festum *Patrocinii sanctissimae Dominae nostrae Deigenitricis et semper Virginis Mariae (Pokrov presvjatyja Vladičicy našeja Bogorodicy i prisnoděvy Marii),* Graecis tamen ignotum. De eo post Kulcinium egit Martinov in *An. eccl. gr. slav.* h. d., et copiosius in *Précis historiques,* 1858, mense Julio.

β'. 2. *Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Κυπριανοῦ καὶ τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἰουστίνης τῆς παρθένου.*

S. Cyprianus ex mago primum diaconus, mox presbyter per annos 16, denique episcopus Antiochiae Pisidiae, ejus patriae, ac *s. Justa,* quo latino nomine appellatur in Kalend. CP., sive, ut eam *ὑποκοριστικῶς diminutivo vocabulo,* dicunt reliqui libri liturgici, *s. Justina, diaconissa,* Antiochensis et ipsa, illustres martyres prope Nicomediam in Bithynia, sub Diocletiano circa an. 304, prolixo elogio annuntiantur in Martyrol. Rom. ad d. 26. Septemb., ubi et Cleus egregium eorundem agonem accuratissimis prolegomenis et commentariis illustrat in Actis SS. Sept. tom. 7, pp. 180—243, exhibita etiam propria diatriba de decreto concilii Romani, habiti an. 496 sub s. Gelasio PP. I., quo *Poenitentia s. Cypriani* dicitur *apocrypha* relato C. *Sancta Romana* 3. Dist. 15.

γ'. 3. Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου ἱερομάρτυρος.

De *s. Dionysio Areopagita, episcopo et martyre* Athenis, verosimiliter sub Adriano imp., diverso a s. Dionysio, episcopo item, qui Parisiis martyrium fecit cum Rustico et Eleutherio, fuse dilucideque tractat Byeus in Actis SS. Octob. tom. 4, pp. 696—855, ad quem avidiorem rerum Dionysianarum lectorem amandamus. Byei sententiam de duobus Dionysiis amplectuntur etiam editores *Magni Menologii* (auctore Macario, archiepiscopo Novgorodensi), quod Petropoli editum, paucis describitur a Martinov in *Précis historiques,* 1876, mense Octobri.

De auctore operum areopagiticorum, quae dicuntur, innumerabiles conjecturas olim jam fuisse divinando propositas, norunt eruditi omnes. Quae non ita pridem, eidem problemati diligentem operam navando, cum doctorum approbatione statuerat cl. Hipler (Kirchenlexikon, t. 3, pp. 1790—1795, edit. 2), ea recentissime iterum concuti labefactarique, res est publico testimonio firmata. Ne longus sim in recensendis exemplis, unum indicabo pereruditum Stiglmayr, qui in novissimis suis commentariis[1]) denuo controversiam omnem penitus perscrutatus et ipse a cl. Hipler recedit.

δ'. 4. Ἱεροθέου ἐπισκόπου Ἀθηνῶν.

Slav. *Svjatago svjaščennomučenika Ierothea, episkopa Atinskago;* rumen. *S. santîtulu mart. Ieroteu episcopulu Ateneniloru.*

S. Hierotheus, Pauli Apostoli discipulus, Dionysii Areopagitae secundus in fide magister, qui funeri ss. Deiparae interfuit cum Apostolis (supra p. 248), Graecorum exemplo Martyrologio Rom. quoque ad h. d. est adscriptus. Nihilominus sunt, qui dubitent, verene *Hierotheus* in rerum natura exstiterit? Quum enim nec in classico aliquo Martyrologio antiquo annuntietur, nec ab ullo scriptore ante saeculum sextum detectaque, quae Dionysio Areopagitae tribuuntur,

---

[1]) *Der Neuplatoniker Proclos als Vorlage des sog. Dionysius Areopagita* in „Histor. Jahrbuch der Görresgesellschaft" 1895, April. et Jul.; et *Das Aufkommen der Ps. Dionysischen Schriften und ihr Eindringen in die christliche Literatur bis zum Lateranconcil 649* in Programm des Gymnasiums „Stella matutina" zu Feldkirch, 1895.

opera referatur, ex solis hisce operibus contra orta omnis ejus memoria sit, de Hierothei existentia idem statuendum credunt, quod de genuinitate operum areopagiticorum judicandum censent. Unde hodiernum nostrum episcopum Atheniensium sanctum fictitium habent ac *Ἱεροθέον* Kalendariorum non alium putant esse ac epitheton ejusdem *s. Dionysii Areopagitae,* ut qui revera fuerit *Deo sacer.*

Hierotheum autem, qui in scriptis areopagiticis laudatur, recentissime Frothingham, spretis aliorum conjecturis, *Stephanum Bar Sudaili* putat esse (cfr. Bardenhewer, *Patrologie,* p. 290): quae opinio quid valeat, non ambiges, ubi doctissimum, quem ad hesternum diem citavimus, commentarium Stiglmayrianum in Programmate Feldkirchiensi attente perlegeris.

ε'. 5. *Χαριτίνης καὶ Μαμέλχϑης μαρτύρων.*

Sanctae Charitinae, virginis et *martyris,* forte Amisi in Ponto, circa an. 304, elogium dat Martyrol. Rom., Acta vero egregiis commentariis exornata Ghesquierus apud Bolland. Octob. tom. 3, pp. 20—28.

S. Mamelta, ex sacerdote Dianae christiana facta, martyr in Perside, Evodii Assemani sententia, an. 344 (Act. martyr. oriental.), cum insigni encomio refertur in Martyr. Rom. ad 17. Octob., cui synaxarium Menol. Basil. ad h. d. consonat. Videri de sancta nostra praeterea potest Morcelli *K. CP.* ad h. d. et ad 6. Junii. — In Kalendario syriaco Jacobi Edesseni codicis Vaticani N. 37 ipso hoc die celebratur sub appellatione *Mamelchtenae, cantatricis ex Bethgarma.*

ϛ'. 6. *Τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου Ἀποστόλου Θωμᾶ.*

Nihil primis quoque Ecclesiae saeculis in toto Oriente sancti Thomae Apostoli martyrio cultuque illustrius. *Thomam,* inquit antiquae homiliae auctor [1]), *Barbari honorant ejusque festum omnes gentes celebrant. Eum Mesopotamii* nominatim, s. Gregorio Nysseno *epist. 18.* teste, primum episcopum

[1]) A duabus synodis, scilicet a Lateranensi sub s. Martino PP. I. et sexta oecumenica CPolitana an. 681, act. 10. asseritur sancto Joanni Chrysostomo. Cfr. Migne, Patr. gr. tom. 59, pp. 497—498.

suum numerant [1]), *celebratis sine intermissione collectis in illustri ac splendida ejus basilica urbis Edessae* [2]).

Juxta Martyrolog. Rom. ad 21. Decemb., quo die eum nostri colunt, *Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis et Brachmanis Evangelium praedicans, ac demum in Indiam perveniens, quum eos populos in christiana religione instituisset, regis jussu lanceis transfixus Calaminae* [3]) *occubuit, cujus reliquiae ad urbem Edessam, deinde Orthonam in Apulia translatae sunt* [4]). Ad quem textum videndae sunt Baronii *notationes,* quibus res gestae Apostoli testimoniis historicis stabiliuntur, addita etiam censura librorum apocryphorum *Evangelii et Revelationis s. Thomae,* qui a s. Gelasio PP. I. reprobati leguntur saepius citato can. *Sancta Romana* 3. Dist. 15.

Ex recentioribus de s. Thoma legi merentur Bonnet, Thenn, Thilo, Tischendorf aliique a Bollandianis in „Bibliotheca hagiogr. gr." adducti pp. 133—135.

Quod Baronius sola conjectura facta suspicatus fuerat [5]), sancti Thomae corpus haud integrum ex India Edessam fuisse translatum, id certum jam est testimonio s. Ephraemi Syri, quod cl. D. Bickell nunc primum e fonte syriaco vulgatum eruditis commentariis exornavit *carm. Nisib. 42.* Id quum et alia dubia a nonnullis scriptoribus [6]) circa praedicationem apud Indos et martyrium ejusdem Apostoli allata perspicue tollat, propter summam rei gravitatem [7]) hic adscripsisse operae pretium fuerit.

ARGUMENTUM. *Lamentatur diabolus de damnis, quibus per reliquias S. Thomae Edessae asservatas afficitur.*

1. Ululavit diabolus: Quem in locum nunc fugere possum justos? Mortem incitavi ad Apostolos interficiendos, ut per mor-

---

[1]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 46, pp. 1061—1063.

[2]) Cfr. Socrat. *Hist. eccles.* l. 4, c. 18, ibid. tom. 67, pp. 503—504, et Sozomen. *Hist. eccles.* l. 6, c. 18. ibid. pp. 1335—1336.

[3]) A pluribus urbs esse creditur Indiae orientalis *Meliapora* seu *Maliapur,* in regione Coromandelis, in ora sinus Gangetici, quae et *Civitas s. Thomae* dicitur. Ibidem etiam aliquas corporis partes mansisse, Baronius jam verosimile putaverat locis mox adducendis.

[4]) Martyrol. Rom. has reliquiarum translationes refert d. 3. Julii.

[5]) *Annal.* ad an. 236, n. 5 et *Not. in Martyrol.* ad 3. Jul.

[6]) Tillemont. *Mémoires* t. 1, p. 351; Pagi *Critic.* t. 1, p. 421,

[7]) Cfr. Lämmer *De Martyrol. Rom. Parergon histor.-crit.* p. 54.

tem eorum evadam verberibus eorum. Sed nunc multo durius verberor. Apostolus, quem interfeci in India, praevenit me Edessam. Hic et illic totus est; illuc profectus sum et erat illic; hic et illic inveni eum et contritus sum. (Responsorium: Laudetur potentia, quae habitat in ossibus sanctis!)

2. Ossa portaverat mercator ille, vel potius illa portaverant eum. Ecce enim ab invicem lucrati sunt. Mihi autem quid profuerunt, quum sibi invicem profuerint? Ambo mihi damnum intulerunt. Quis monstrabit mihi capsam Ischariotis, ex qua fortitudinem accepi? Capsa autem Thomae interfecit me, quia virtus occulta habitans in ea excruciat me.

3. Moyses electus portaverat ossa in fide tamquam lucrum. Si ergo magnus hic propheta credidit auxilium inesse in ossibus, recte etiam credidit mercator et recte se nominavit mercatorem. Hic mercator lucratus est, et magnus factus est et regnavit. Aerarium ejus valde me depauperavit; Edessae enim apertum est, et ditavit magnam urbem auxilio suo.

4. Obstupui de hoc aerario thesaurorum, antea enim exiguus erat thesaurus ejus, et quamquam nemo aliquid abstulerat ab eo, tamen valde parcus erat fons divitiarum ejus. Postquam autem multi circumdederunt et diripuerunt et rapuerunt utilitates ejus, quo magis diripitur, eo abundantius multiplicantur divitiae ejus. Quando enim quaeritur fons occlusus, valde scinditur et tum demum late fluere et effundi potest.

ζʹ. 7. *Σεργίου καὶ Βάκχου τῶν μαρτύρων.*

SS. Sergius et Bachus, milites et *martyres* in provincia Augustae Euphratesiae (Comagena), in Syria, Byei judicio exeunte saeculo 3. aut ineunte 4., toto orbe celeberrimi, in Martyr. Rom. prolixius annuntiantur h. d. Acta tum latina tum graeca praevio commentario necessariisque observationibus illustriora fecit idem accuratissimus vir Oct. t. 3, pp. 833—883.

ηʹ. 8. *Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Πελαγίας.*

S. Pelagia, patria Antiochena, *precibus s. Nonni episcopi ad Christum conversa* (Martyrol. Rom. d. 2. Decemb.), Hierosolymis poenitens, obiit circa medium saeculum 5., nostris fastis etiam hodie signata. Res gestas subjectis annotationibus interpretatur Byeus, de tribus *ss. Pelagiis* multa scite praefatus tom. cit. pp. 248—268. Videri quoque potest, qui in eodem argumento versatur, Bossue Act. SS. Octob. tom. 8, p. 421; neque omittendus Usener, qui ultimus edidit *Legenden der heiligen Pelagia,* Bonn, 1879.

ϑ'. 9. Ἰακώβου Ἀλφαίου τοῦ Ἀποστόλου.

S. Jacobus, filius Alphaei, frater Matthaei publicani et evangelistae (Menol. Basil.), Graecorum sententia diversus tum a Jacobo, fratre Domini et Hierosolymorum episcopo, tum a Jacobo Zebedaei, fratre Joannis Evangelistae, a Latinis colitur conjunctim cum s. Philippo Ap. d. 1. Maji.

A Graecis patribus et ipse vocatur *ὁ μέγας, major,* respectu scilicet Jacobi *τοῦ μικροῦ*, fratris Domini, *quod duodecim Apostolis connumeraretur (Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου διὰ τοῦτο μέγας, ὅτι τοῖς ἀποστόλοις τοῖς δώδεκα συνηρίθμητο); θεάδελφος* contra[1]) *non de numero eorum esset (ὁ γὰρ μικρὸς οὐκ ἦν αὐτοῖς ἐναρίθμιος),* sed post resurrectionem tantum a Christo inter Apostolos adscitus, ut dictum est supra p. 148. Ast, inquiunt trium Jacoborum patroni, postquam Jacobus, frater Matthaei cum *θεαδέλφῳ* coeptus est confundi, simul et *minoris* cognomentum accepit; quo factum est, ut Zebedaei filius *majoris* cognomen vulgo sibi peculiare fecerit. Cfr. Mazoch. loco cit. supra ad 30. April., p. 148. — Caeterum de *s. Jacobo Alphaei, Apostolo* et martyre Ostracinae in Aegypto fuse agit Henschen. Maji tom. 1, pp. 18—31.

In utriusque ecclesiae fastis memorantur hodie *s. Abraham patriarcha,* de quo amplissimum commentarium scripsit *Ghesquierius* in Actis SS. tom. 4, pp. 571—695; et ss. conjuges *Andronicus et Athanasia,* confessores in Aegypto, saeculo quinto exeunte. De iisdem cfr. Bollandiani tom. cit. pp. 997—1001.

ι'. 10. *Τῶν ἁγίων μαρτύρων Εὐλαμπίου καὶ Εὐλαμπίας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ· καὶ Θεοφίλου τοῦ ὁμολογητοῦ.*

SS. Eulampium et Eulampiam, ejus sororem, martyres Nicomediae, ineunte saeculo quarto, hoc die Graeci Latinique honorant.

Acta graeco-latina ab initio ad finem subjectis animadversionibus commentantur Bolland. Oct. tom. 5, pp. 67—79.

---

[1]) Verba sunt s. Gregorii Nysseni *or. 2. in Christi resurrect.* apud Migne, Patr. gr. tom. 46, pp. 647—648.

Ex iis martyrii genus fusiori elogio descriptum invenies in Martyrologio Rom. ad h. d.

De s. *Theophilo, monacho, qui pro defensione sanctarum imaginum a Leone Isaurico saevissime caesus et in exilium pulsus, migravit ad Dominum* saeculo octavo (Martyr. Rom. d. 2. Oct.), accuratam syllogen vulgavit Byeus in Actis SS. Octob. tom. 1, pp. 492—494.

ια'. 11. *Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου, ἑνὸς τῶν ζ' διακόνων· καὶ Θεοφάνους τοῦ Γραπτοῦ.*

S. Philippus, unus ex septem primis diaconis ac dein Trallensium in Asia episcopus, in Latinorum fastis celebratur die 6. Junii, ubi de eo egregium commentarium doctissimi Papebrochii habent Acta SS. Junii tom. 1, pp. 608—610.

S. Theophanes Graptus, hymnographus, ex monacho metropolita Nicaenus, et *s. Theodorus Graptus,* frater ejus germanus, a Latinis simul coluntur d. 27. Decemb., quo die praeclaram eorundem confessionem ex Martyrologio Rom. referemus. Uterque vero *Γραπτός*, *scriptus* vocatur, quod literis fronti inustis notatus esset sub iconomachis, *acubus* scilicet *perfossus,* ut ait Menolog. Basil., *atramentoque in facie notatus, ac veluti maleficus et fugitivus servus contumelia affectus* (*κατακεντηθεὶς καὶ καταγραφεὶς τὸ τίμιον αὐτοῦ προσώπου διὰ βελόνης καὶ μέλανος, καὶ ὡς εἷς τῶν κακούργων καὶ φευγόντων δούλων καθυβρισθείς*).

Sanctos Philippum et Theophanem in Kalendariis CP. comitantur quatuor Patriarchae *Nectarius* (381—397) ejusque frater *Arsacius,* in s. Joannis Chrysostomi exsulis locum suffectus an. 405, hujus successor *Atticus* (406—425) ac denique *Sisinnius* (426—427). De eorum Actis ex Bolland., Cupero, Byeo collectis fuse disputat Morcelli *K. CP. ad h. d.*

Rubrica huic festo subjecta ait, memoriam septimae synodi oecumenicae, Nicaeae adversus iconomachos celebratae anno 787, agi die dominico post 11. Octob. proxime sequenti, nisi tamen ipse 11. dies dominicus sit. In Menol. Basil. autem *ἀνάμνησις* haec fixam sedem habet postridie hujus diei, ipso scilicet 12. Octob.

ιβ΄. 12. *Πρόβου, Ταράχου καὶ Ἀνδρονίκου τῶν μαρτύρων.*

Tres hi martyres Anazarbi in Cilicia, sub Diocletiano an. 304, nostris fastis inscripti sunt pridie hujus diei, ubi et Byeus, exhibitis martyrii Actis graeco-latinis, accuratiori indagine omnia expendit, quae ad eosdem ss. pugiles spectant Octob. tom. 5, pp. 560—584.

ιγ΄. 13. *Κάρπου, Παπύλου, Ἀγαθοδώρου καὶ Ἀγαθονίκης.*

Pergami in Asia natalis ss. martyrum Carpi episcopi Thyatirensis, in Lydia, *Papyli diaconi, et Agathonicae, sororis ejus, optimae foeminae, Agathodori quoque eorum famuli, aliorumque multorum, qui post varios cruciatus pro beatis confessionibus martyrio coronati sunt* (Martyr. Rom. 13. April.) sub Decio, quemadmodum Henschen. scribit in Actis SS. April. tom. 2, ubi et passionem ejus cum necessariis observationibus exhibet pp. 121—126. Iis addantur, quae in eadem Acta recens commentati sunt Aubé et Harnack, in *Bibliotheca hagiogr. gr.* relati p. 23.

ιδ΄. 14. *Ναζαρίου, Γερβασίου, Προτασίου καὶ Κελσίου μαρτύρων· καὶ Κοσμᾶ τοῦ Ἁγιοπολίτου καὶ ποιητοῦ.*

SS. Nazarius et Celsus puer, martyres Mediolani, sub Nerone, coluntur a Latinis 28. Julii; alii duo *ss. Gervasius et Protasius,* fratres iidemque cum prioribus ibidem martyres, 19. Junii. Ad utrumque diem utrorumque Acta illustrata reperies apud Bolland.; illorum quidem a Pinio Jul. tom. 6, pp. 503—534; horum vero a Papebrochio Jun. tom. 4, pp. 680—704. A Graecis autem hoc die quatuor conjunctim honorantur, quia de omnibus historiam unam conflavit Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 895—908.

De *s. Cosma Hagiopolita,* seu *Hierosolymitano,* condiscipulo s. Joannis Damasceni et *hymnographo,* episcopo Majumae in Palaestina, qui obiit circa an. 781, multis agunt Bolland. Octob. tom. 6, pp. 594—610, Card. Quirini, *Diatribe* 3, pp. 111—121, et Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 528—529.

His Kalendaria slavica adjungunt memoriam *prepodobnyja matere našeja Paraskevi; sanctae matris nostrae Parasceves,*

virginis, quae *Ternobiensis* appellatur a celebri Bulgariae metropoli *Ternova,* quo corpus solemniter fuit translatum anno, ut videtur, 1221, postquam duo ferme saecula incorruptum jacuerat in patria sua, Epibatis scilicet in Thracia. Aliquando et *Jassensis* dicitur, quod sacrae ejus reliquiae *Jassium* avectae an. 1641, in Moldaviae metropoli ad nostram aetatem usque in magno honore habeantur. Vide, quae de sancta nostra post Culcinium, Asseman. aliosque scripsit Martinov. ad h. d., ac vide etiam quae de distinguendis *quinque ss. Parasceviis* notavimus supra p. 224, ad 26. Julii.

ιε'. 15. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ, πρεσβυτέρου τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας.*

Beati Luciani Antiochenae ecclesiae presbyteri et martyris, qui satis clarus doctrina et eloquentia, passus est Nicomediae ob Christi confessionem in persecutione Maximini an. 312. *sepultusque est Helenopoli* [1]) *in Bithynia, cujus laudes s. Joannes Chrysostomus celebravit* [2]). Ita Martyrol. Rom. 7. Januarii, ubi et Bollandus consulendus pp. 357—364. De operibus s. Luciani videsis Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 163—164.

Sancto Luciano plura Kalendaria adjungunt *s. Sabinum episcopum,* qui synaxario celebratur in Menolog. Basil., et *s. Euthymium juniorem, Thessalonicensem,* sanctis Cyrillo et Methodio coaevum, sanctitatis fama clarum saeculo nono, a s. Nicolao PP. I. etiam ob fidei constantiam et in repellendo Photiano schismate zelum laudatum. Vitae compendium dat Martinov. h. d.

ιϛ'. 16. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λογγίνου, τοῦ ἑκατοντάρχου.*

S. Longinus centurio est, qui *quum pretiosae Christi passioni et cruci una cum sua centuria praefuisset, ac miracula, quae Christo in crucem sublato fiebant, vidisset,* primus

---

[1]) Conferri de hujus urbis vocabulo possunt, quae contra Baronium in notis ad Martyrol. Rom. die c. disputat Vincentius Justinianus, apud Laemmer, *Parergon* citat. p. 56.

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 50, pp. 519—526.

confessor, *exclamavit: Vere Dei filius erat iste! abdicatoque militiae munere in patriam* (Cappadociam) *rediit Christum praedicans . . . ubi capitis detruncatione martyrium consummavit* (Menol. Bas.)

Confundendus non est cum *s. Longino milite,* lateris dominici percussore, qui Martyrologio Rom. insertus est ad 15. Martii, ubi de utroque fusius tractant Bolland. Mart. tom. 2, pp. 370—384.

ιζ'. 17. *Τοῦ ἁγίου προφήτου Ὠσηέ· καὶ τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Ἀνδρέου τοῦ ἐν τῇ Κρίσει· καὶ τῶν ἁγίων αὐταδέλφων μαρτύρων καὶ ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ τῶν ἐκ τῆς Ἀραβίας.*

Sanctum Oseam, in ordine minorum prophetarum primum, et *Aggaeum,* inter eosdem decimum, conjunctim colunt Latini die 4. Julii, quo paucis memorantur a Bolland. Jul. tom. 2, p. 5. Caeterum ex ipsorummet prophetiis atque ad eas interpretum commentariis gesta sunt repetenda.

Constantinopoli s. Andreae, patria Cretensis, monachi, qui ob cultum sacrarum imaginum sub Constantino Copronymo saepius verberatus, tandem amputato altero pede reddidit spiritum an. 767 (Martyrol. Rom. h. d.). Cognomen *τοῦ ἐν τῇ Κρίσει*, slav. *Kritskago*; rumen. *Celu dein Critu;* habet a loco sepulturae, qui *Crisis* vocabatur, ubi ejus corpus miraculis claruit, uti Acta testantur n. 16. Legisse juverit quae de sancto nostro ejusque in martyrio sociis egregie scripserunt Bolland. ad 17. Oct. ejus mensis tomo 8, pp. 124—149. Integrum eorundem commentarium invenies inter opera Metaphrastis apud Migne, Patr. gr. tom. 115, pp. 1081—1128.

SS. fratres martyres Anargyros Cosmam et Damianum, Arabes, quorum memoriam ad hunc diem consignatam legimus in Menaeis et in Menologio Basil., ab aliis cognominibus Anargyris distingui non posse, animadvertimus jam supra p. 199 ad d. 1. Julii[1]).

---

[1]) In cod. syr. mscr. vat. N. 20 integer festi titulus est: *Memoria Lazari ex Bethania et osorum argenti* (sănjaj Kespa) *Cosmas et Damian.*

ιη'. 18. *Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Λουκᾶ.*

S. Lucas, Evangelista, juxta Menol. Basil., *professione medicus et pictor (ἰατρὸς τὴν τέχνην καὶ ζωγράφος) in pace animam Deo tradidit,* quamquam eum cum s. Gregorio Nazianz.[1]) multi patres martyribus adnumerent. Quae d. 9. Maji in Martyr. Rom. notatur[2]) *de Achaia corporis translatio CPolim,* Morcellio judice facta est an. 357.

Praeter Euseb. *Hist. eccl.* l. 3, c. 4[3]) et s. Hieronymum *de viris illustribus* c. 7[4]) sextuplicia diversa Acta indicantur ab Asseman. ad h. d., ex quibus erui res gestae possunt. Sed vidisse suffecerit commentarium in „Kirchenlexikon", t. 8, pp. 183—191. edit. 2.

ιθ'. 19. *Ἰωὴλ τοῦ προφήτου καὶ Οὐάρου μάρτυρος.*

In fastis latinis *ss. Joël et Esdras* prophetae simul annuntiantur 13. Julii, ad quem diem eorundem Acta paucis complexus est Sollerius, in Act. SS. Jul. tom. 3, pp. 451—452.

Sanctos Varum, militem, et Cleopatram cum sociis martyribus in Aegypto, sub Maximino, Latini etiam hodie honorant. Legi de iisdem debent, quae Bollandiani scribunt ad ipsum hunc diem Octob. tom. 8, pp. 423—428.

κ'. 20. *Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Ἀρτεμίου.*

Antiochiae s. Artemii, ducis Augustalis, qui sub Constantino magno praeclaris militiae honoribus functus, a Juliano apostata, quem saevitiae in Christianos arguerat, fustibus caedi, aliisque tormentis affligi, ac demum capite truncari jubetur an. 361 (Martyr. Rom. h. d.). Acta ex tom. 6. *Spicilegii Romani* Card. Angeli Maji exscripta cum opportunis commentariis dant Bolland. tom. cit. pp. 856 seqq.

---

[1]) Orat. I. contra Julian. n. 69, apud Migne, Patr. gr. tom. 35, pp. 589—590.

[2]) De aliis translationibus videri potest Laemmer, *Parergon* cit. p. 53.

[3]) Apud Migne, ibid. tom. 20, pp. 219—220.

[4]) Apud eund. Patr. lat. tom. 23, pp. 619—622.

κα'. 21. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἱλαρίωνος τοῦ Μεγάλου.*

In Cypro apud Paphum an. 372 *natalis s. Hilarionis abbatis,* apud Palaestinos monachorum parentis, *cujus vitam virtutibus ac miraculis plenam s. Hieronymus scripsit* (Martyr. Rom. h. d.). Hanc Bollandiani praeclaris observationibus exornarunt Octob. tom. 9, pp. 43—59. Lectione etiam digna sunt, quae nuperrime de s. Hilarione scripsit Zöckler, *Hilarion von Gaza. Eine Rettung,* in „Neue Jahrbücher für deutsche Theologie", 1894, pp. 146—178.

κβ'. 22. *Τοῦ ἁγίου ἰσαποστόλου Ἀβερκίου, ἐπισκ. Ἱεραπόλεως, τοῦ θαυματουργοῦ καὶ τῶν ζ' παίδων ἐν Ἐφέσῳ.*

In Cod. syr. vat. N. 20. signatur *„memoria s. Abercii, episcopi Mabugensis. Mabug* autem est *Hierapolis in Euphratesia provincia.* Cfr. Asseman. *B. o.* t. 3, part. 1. pag. 682. — Verum Graeci ac Latini Abercium faciunt episcopum Hierapoli in Phrygia [1]), eumque hoc titulo Bollandiani multis laudant Oct. t. 9, pp. 485—519.

De celeberrimo Abercii epitaphio ab ipsomet exeunte saeculo secundo conscripto prae caeteris, videatur cl. Duchesne, *Saint Abercius, évêque d'Hiéropolis en Phrygie,* in „Revue des questions historiques", 1883, II, pp. 5—33. Alios interpretes magno numero indicant Bollandiani l. c. et Bardenhewer, *Patrologie* pp. 104—105. Ipse textus epitaphii etiam sistitur in „Zeitschrift für kathol. Theologie", 1889, pp. 402—403.

De septem pueris in Epheso dormientibus, hoc die altera vice relatis, egimus supra ad 4. Augusti p. 233.

His Graeci hodie adjungunt *ss. Alexandrum, Glyceriam et alios socios martyres,* quos Menol. Basil. proprio synaxario celebrat.

κγ'. 23. *Ἰακώβου ἀποστόλου τοῦ ἀδελφοθέου· καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰγνατίου πατριάρχου ΚΠ.*

Memoriam *s. Jacobi Apostoli fratris Domini* (slav. *Svjatago apostola Iakova, brata Gospodnia po ploti;* rumen.

[1]) Sedes Abercii, quae olim putabatur esse Hierapolis in Phrygia Pacatiana, nunc jam creditur esse Hieropolis in Phrygia Salutari.

S. apostolu Jacobu fratele Domnului), primi Hierosolymorum episcopi[1]. Graecorum omnium multorumque Latinorum sententia distincti tum a Jacobo Zebedaei, tum a Jacobo Alphaei (supra pp. 148 et 299), graecis fastis hodie relatam videmus.

Rationem cognomenti *τοῦ ἀδελφοθέου* Menologium Basil. cum Menaeis ex fontibus apocryphis ita declarat:

Περὶ δὲ τοῦ λέγεσθαι ἀδελφόθεος, φέρεται λόγος τοιοῦτος ἐκ παραδόσεως. Τοῦ μνήστορος Ἰωσὴφ μερίφοντος τὴν γῆν αὐτοῦ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ, τοῖς ἐκ τῆς προτέρας γυναικὸς, καὶ βουλομένῳ μερίδα ποιήσασθαι καὶ τῷ τῆς ἁγίας Παρθένου Υἱῷ καὶ Θεῷ, οἱ μὲν ἄλλοι οὐ κατεδέξαντο· ὁ δὲ Ἰάκωβος παραλαβὼν αὐτὸν εἰς τὴν αὐτοῦ μερίδα συγκληρονόμον, ἐκλήθη οὐ μόνον ἀδελφόθεος ἀλλὰ, καὶ δίκαιος.

Cur autem Dei dicatur frater, hic fertur ex traditione sermo. Cum Joseph sponsus terras suas ex priore conjuge filiis divideret velletque partem s. Virginis filio et Deo tradere, alii quidem minime assensere, Jacobus vero in suam illum partem accipiens, non modo Dei frater, verum etiam justus est inde appellatus.

S. Ignatius, patriarcha CP., etiam in Martyrologio Rom. hodie celebratur, ut *qui a Barda Caesare multis injuriis affectus in exilium pulsus est; sed a Nicolao Romano Pontifice restitutus tandem in pace quievit* anno 878. Vitam a Niceta Davide Paphlagone scriptam ex Harduino, Conc. tom. 5, pp. 943—1008, in Patrolog. graec. transtulit Migne tom. 105, pp. 487—582. De eo frequens est mentio in jure canonico, ut ecce C. *Submittitur* 8. Dist. 21; C. *Hadrianus Papa* 2. Dist. 63; C. *Quod suspecti* 15. C. 3. q. 5; C. *Quod autem* 2. C. 4, q. 4.

Inter festa propria Ruthenorum Galiciae s. Ignatii memoria hodie sic legitur relata: *Iže vo svjatych otca našego Ignatija, patriarcha Konstantinija grada, ispovědnika.* Caeterum Photio e vivis sublato an. 891, schisma quoque exstinctum fuisse et Ecclesiam CPolitanam deinceps Romanae Ecclesiae unitam mansisse usque ad Michaelem Caerularium patriarcham ab an. 1043 ad an. 1054, novi schismatis auctorem, prae-

[1]) Ab eo et sedes sanctae civitatis *Thronus theadelphicus* appellatur.

clare probat eruditione juxta ac dignitate illustris Episcopus Dr. Pelesz in *Geschichte der Union* § 27. Recole etiam, quae ipsi notavimus supra pp. 212—213.

κδ'. 24. *Ἀρέθα μάρτυρος καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ· καὶ Πρόκλου πατριάρχου ΚΠ.*

S. Arethas et socii martyres in civitate Nagran (Nedjran) apud Homeritas (proprie Himyaritas), felicis Arabiae, sub Dunaan Judaeo tyranno an. 524 longiori elogio memorantur in Martyr. Rom. h. d. Legi de sanctis nostris meretur insignis commentarius, quem apud Bolland. ad h. d. edidit *Carpentier*. Graecus Actorum textus ibidem reperitur tom. 10. pp. 721 seqq. Narrationem coaevam syriacam vide, si vacat, apud Asseman. *B. or.* tom. 1, pp. 358 seqq. Sed de martyribus istis sermo redibit in an. eccles. syr. ad 31. Decemb.

Sancti Procli, sancti Joannis Chrysostomi discipuli ac demum in sede CPolitana successoris (434—446), vitam iidem Bolland. habent Oct. tom. 9. ad h. d. Opera exstant apud Migne, Patr. gr. tom. 65, pp. 651—888.

κε'. 25. *Μαρκιανοῦ καὶ Μαρτυρίου, μαρτύρων καὶ νοταρίων.*

CPoli passio ss. Martyrii subdiaconi et Marciani cantoris, sancti Pauli patriarchae notariorum, domesticorum et contubernalium [1], *qui ab haereticis sub Constantio imperatore,* Arianorum fautore, *necati sunt* (Martyr. Rom. h. d).

Erant notarii sive *ὑπογραμματεῖς*, ut eosdem appellat Nicephor. *l. c. in not.,* scribae publici, qui acta excipiebant, quae in Ecclesia fierent, eaque de causa suos episcopus quisque notarios habebat e cleri numero, ut recte animadvertit Morcelli *K. CP.* h. d. Secundum s. Augustinum *de doctrina christ.* l. 2 [2]) nomen traxerunt a brevioribus et compendiariis *notis,* quibus usi citissime verba dictantis aut di-

---

[1]) Eos *συνοίκους Παύλου* vocant Sozomen. *Hist. eccles.* l. 4, c. 3, apud Migne, Patr. gr. tom. 67, p. 1113, et Nicephor. Callist. *Hist. eccles.* l. 9, c. 30, ibid. tom. 146, p. 339. Hic *s. Paulus* est, qui sanctum Alexandrum in pontificatu excepit an. 340, ac saepius expulsus restitutusque piissime obiit an. 350, ut mox dicetur p. 316.

[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 34, p. 55.

centis excipiebant [1]). Graecis similiter a *notis, σημείοις, σημειογράφοι*, a celeritate scribendi vero *ταχυγράφοι* appellati. Quae vocis latinae *notarii* etymologia ac significatio quum antiquum interpretem russum lateret, vocabulum *νοτάριος* pro nomine proprio sumpsit fastisque ecclesiasticis imperite *sanctum Notarium* h. d. inseruit. Cfr. Martinov. h. d.

κς'. 26. *Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Δημητρίου τοῦ Μυροβλύτου· καὶ ἡ ἀνάμνησις τοῦ μεγάλου καὶ φρικώδους σεισμοῦ.*

Slav. *Svjatago i slavnago velikomučenika Dimitria murotočca, i vospominanije velikago i strašnago trjasenija v Carěgradě;* rumen. *S. marele m. Demetriu isvoritoriulu de miru, sî amentirea infricosiatului cutremuru.*

Thessalonicae in Macedonia *sancti Demetrii proconsulis, qui quum plurimos ad Christi fidem perduceret, Maximiani imperatoris jussu lanceis confossus martyrium consummavit* anno circiter 306 (Martyr. Rom. d. 8. Octob.). Celeberrimi hujus megalomartyris Acta, cultum, miracula doctissimo commentario 160 paginarum late ac solide prosecutus est Byeus, socius Bolland. Octob. tom. 4, pp. 50—209, quem integrum reperies apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 1081—1426. Recentiora de s. Demetrio dant Arsenij, Hase, Papadopoulos-Kerameus, Tafel, Tougard aliique in *Biblioth. hagiogr. gr.* relati pp. 35—36.

Cognomen habet *τοῦ Μυροβλύτου, unguentum effundentis* (a *μύρον, unguentum* et *βλύζω* seu *βλύω, scaturio, mano,* et activ. *effundo)* a mirabili ac sanandis quibusque morbis salutari oleo, quod diu ex ejus reliquiis stillasse legitur.

Quae hodie memoratur calamitas, *ingens terribilisque terraemotus est anni 740, cujus vi regiae urbis templa et monasteria corruerunt et multi e populo perierunt (σεισμὸς γέγονεν μέγας καὶ φοβερὸς ἐν ΚΠ. . . . καὶ ἐπτώθησαν ἐκκλη-*

[1]) Quam notariorum originem eleganter expressit Manil. *Astron.* l. 14, v. 197 ita scribens:

Hic et scriptor erit velox, cui litera verbum est,
Quique notis *linguam superat cursumque loquentis*
Excipiens longas nova per compendia voces.

σίαι καὶ μοναστήρια, λαός τε πολὺς τέθνηκε), ut s. Theophanes, eorum temporum quam proximus, scribit in *Chronograph. ad an. 24. Leonis Isauri* [1]).

κζ'. 27. *Νέστορος μάρτυρος.*

S. Nestor, Demetrii in martyrio socius, cum eodem in Martyr. Rom. refertur ad d. 8. Octob. Ejus res gestae intextae leguntur Actis s. Demetrii, a Byeo etiam e legibus critices examinatae tom. cit. pp. 60—62.

Distingui ab hodierno martyre debet sanctus *ὁμώνυμος* ad diem 28. Februarii Menaeis et Menologio Basil. inscriptus, qui et Nestorius audit. Ne vero ob congruentissimum utriusque nominis sonum cum haeresiarcha confundatur, sic eum annuntiat Kalendarium syriacum codicis Vat. N. 37. jam citatum: *Nestorii —, non ille maledictus, qui Byzantii fuit episcopus —, et sociorum ejus martyrum.*

κη'. 28. *Τερεντίου καὶ Νεονίλλης μαρτύρων καὶ Στεφάνου τοῦ Σαββαΐτου καὶ ποιητοῦ τῶν κανόνων.*

De *ss. Terentio* ejusque uxore *Neonilla* ac septem filiis martyribus Afris sub Decio plures Latini agunt 10. Apr., quo die Mart. Rom. *Terentium cum sociis* refert et Henschen. bonum de iis commentarium habet Apr. tom. 1, pp. 851—854.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ Σαββαΐτου, τοῦ ποιητοῦ τῶν κανόνων.

Slav. *Prepodobnago otca našego Stefana Savvaita, tvorca kanonov;* rumen. *Cuv. parent. nostru Stefanu Savaitulu, scrietoriulu de cantári.*

S. Stephanus, poëta et historicus, cladis magnae Laurae s. Sabae (an. 797) testis oculatus, *martyrium monachorum Sabaitarum* [2]) statim post res gestas scripsit, quod Bollandiani graece vulgarunt Mart. tom. 3, pp. *2—*12. hoc praenotato titulo: *Ἐξήγησις ἤτοι μαρτύριον τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἀναιρεθέντων ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἤγουν Σαρακηνῶν ἐν τῇ*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 108, pp. 831—832.
[2]) Vide supra p. 125, ad d. 20. Mart.

μεγίστῃ Λαύρᾳ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σάββα. Videndi de eo sunt Bollandiani Octob. tom. 12, pp. 672 seqq.

In multis libris liturgicis Stephanus noster male confunditur cum *Stephano thaumaturgo* (13. Jul. supra p. 211) et *Stephano juniore,* cujus honori dies 28. Novemb. sacratus est.

Hodie etiam annuntiant Kalendaria ruthen. *sanctam Parasceviam Polocensem,* monialem et abbatissam, quae, patria ob ingruentem Tartarorum incursionem relicta, Romam profecta ibidem sancte quievit an. 1239, a Gregorio PP. X. inter sanctas relata an. 1273. Vide quae de ea post Culcin. part. 1, p. 65 et Martinov. ad h. d. scripsit Rmus. Pelesz, *Geschichte der Union der ruthen. Kirche mit Rom,* § 64, p. 425.

Polocensi huic Parasceviae hodie et aliam *s. Parasceviam martyrem* conjungi, *Iconiensem* dictam, animadvertimus supra p. 224 ad 26. Julii. De ea iidem sunt consulendi, qui Parasceviae Polocensis res gestas describunt.

κθʹ. 29. Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Ἀναστασίας τῆς Ῥωμαίας· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀβραμίου.

S. Anastasia, virgo et martyr Romana, sub Valeriano, *senior* dicta respectu alterius Anastasiae, quae passa est in persecutione Diocletiani et quam Graeci colunt 22., Latini 25. Decembris, longiori encomio celebratur in Martyr. Rom. pridie hujus diei, cui consonat synaxarium Menolog. Basil. ad d. 12. Octob. Acta prae caeteris describit Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 115, pp. 1293—1308.

In Syria s. Abrahae eremitae medio saeculo quarto, *cujus res gestas beatus Ephrem diaconus conscripsit* (Mart. Rom. d. 16. Martii). Eas Henschen. vulgavit April. tom. 2, primum latine pp. 428—439, deinde graece pp. 932—937. Conferatur etiam Assemanus *Biblioth. orient.* tom. 1, pp. 38 et 396, ubi idoneis argumentis nixus a Martyrolog. Rom. stat contra Bollandistas, Pagium aliosque e recentioribus historicis, qui contendunt, Sanctum nostrum non in Syria vixisse tempore s. Ephraem, sed diu postea prope Hellespontum.

In Cod. karšun. vat. N. 19 refertur „S. Pater noster Abraham et neptis ejus“ (Maria), *quam ille a lapsu retraxit* (Menol. Basil. h. d.).

λ'. 30. *Ζηνοβίου καὶ Ζηνοβίας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ· καὶ Εὐτροπίας μαρτύρων.*

Aegaeae in Cilicia passio ss. Zenobii episcopi et Zenobiae sororis ejus, sub Diocletiano imp. et Lysia praeside (Mart. Rom. h. d.). Cfr. Act. SS. Oct. t. 13, pp. 253—258.

S. Eutropiam, martyrem Alexandrinam, hodie et fasti latini referunt et Menol. Basil. synaxario proprio celebrat.

Kalendarium CP. praeterea annuntiat *s. Cyriacum,* patriarcham CP. ab an. 595 ad an. 606 de quo videantur quae post Cuper. *Hist. chronogr. Patr. CP.* et Morcelli *K. CP.* h. d. scribunt Bollandiani Oct. t. 12, pp. 344—351.

S. Cyriacus etiam in historia *τῶν ἀναργύρων* occurrit, quum *s. Pausicacum* episcopum Synnadarum constituisse legatur.

λα'. 31. *Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα Στάχυος, Ἀπελλοῦ καὶ λοιπῶν καὶ Ἐπιμάχου μάρτυρος.*

Cum apostolo Stachy quinque alii ex iis sanctis hic referuntur, quorum meminit s. Paulus *Rom. 16.*

Receptam CPoli historiam *s. Stachyos, primi per s. Andream Apostolum Byzantii ordinati episcopi,* editores Martyrol. Rom., a falso Dorotheo in errorem inducti, ad hunc diem admiserunt. Verum de hac quaestione legesis quae post Cave, Cuperum, Morcellium, Pelesz aliosque ultimi in Act. SS. scripsere Bollandiani Oct. t. 13, pp. 687—696.

S. Epimachus, martyr Pelusii in Aegypto, sub Decio, a Latinis colitur conjunctim cum s. Alexandro 12. Decemb. Res gestas autem ad hunc diem reperies apud Bolland. Oct. tom. 13, pp. 704—725.

NOVEMBER.

Μὴν Νοέμβριος, mensis November; slav. *měsjac Noemvrij;* rumen. *lun'a lui Novembre;* arab. *Teschrîn et-tsânî.*

November et *Novembris,* nonus mensis a Martio, a numero et imbribus vocabulum accepit. Ita s. Isidorus *Etymol.* l. 5, c. 33 [1]), ea in re secutus Cassiodorum loco supra adducto scribentem, *quod hi menses ex numero futurorum imbrium nomina susceperunt.* Quam vocabuli formationem nobis tamen non probari jam declaravimus, quum syllaba *ber* simplex productio vocabuli esse videatur, ut *timum* in *finitimo, aeditimo.*

α'. 1. *Τῶν ἁγίων ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, τῶν ἐξ Ἀσίας.*

Slav. *Svjatych bezsrebrenikov Kosmy i Damiana, iže v Asii;* rumen. *Ss. doctori forà de argentu Cosm'a sî Damianu celi dela Asi'a.*

Hodie memoriam celebrari ss. fratrum *Cosmae et Damiani, confessorum Asianorum,* a Romanis et Arabibus distinctorum, notatum est supra p. 198 ad 1. Julii. In unum vero trina haec fratrum cognominum paria recidere, ex ipsis libris liturgicis Graecorum post Morcelli dilucide Martinov probat ad h. d.

In Cod. Karšun. vatic. N. 19. cognomen *τῶν ἀναργύρων* h. d. significantius vertitur titulo „contemptorum argenti“ (al-baghicin al-paddat).

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 82, p. 220.

Ad festum omnium Sanctorum, quod Latini hodie agimus, duplex annunciatio Martyrologii Rom. pertinet: altera diei 13. Maji, altera diei 1. Novembris. Prior haec est:

Romae dedicatio ecclesiae sanctae Mariae ad Martyres, quam beatus Bonifacius Papa quartus (608—615), *expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatae semper Virginis Mariae et omnium Martyrum dedicavit tempore Phocae imperatoris.*

Die 1. Novembris autem solemnitas ita effertur:

Festivitas omnium Sanctorum, quam in honorem beatae Dei Genitricis Virginis Mariae et sanctorum Martyrum Bonifacius Papa quartus, dedicato templo Pantheon, celebrem et generalem instituit agi quotannis in Urbe Roma. Sed Gregorius item quartus (827—844) *postmodum decrevit, eandem festivitatem, quae variis modis jam in diversis Ecclesiis celebrabatur, in honorem omnium Sanctorum solemniter hoc die ab universa Ecclesia perpetuo observari.*

Hodiernae celebritatis duplicem causam afferunt: alteram, quod, quum nec totus anni circulus celebrandis Sanctis omnibus, utpote innumeris, sufficiat (vide supra p. 28), Ecclesia *omnium sanctorum merita* sub hac *una celebritate* statuerit *venerari*, ut habet oratio diei; alteram eamque instituto nostro magis propriam, quod quidquid in particularibus Sanctorum solemniis per negligentiam minus plene peractum fuerit, id communi hac memoria devote suppleatur, quemadmodum pluribus exsequitur Decretalis Urbani PP. IV. confirmata in concilio Viennensi ac relata c. *Si Dominum.* De reliq. et venerat. SS. Clem. (3, 16). In ea festi rationem Pontifex ita omnino describit: *Hoc circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat Ecclesia ut (quamvis in litaniis et missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam saepius renovemus) nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur: statuit ipsa mater Ecclesia certam diem, in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi,*

quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum exsisteret, solveretur. Et haec quidem in Occidente.

Orientem quod spectat, festum communiter quidem mobilibus accensetur[1]; verum non desunt exempla, quibus et hic tamquam festum immobile appareat. Sic eundem illum diem 13. Maji saeculo quarto Edessae sacrum fuisse memoriae martyrum totius orbis, docet nos s. Ephraem *carmina Nisib.* 6; qua de re vide, quae scite disputat cl. D. Bickell, *s. Ephraemi Syri carmina Nisibena* pp. 23. et 89. et in actis literariis *Tübinger Theologische Quartalschrift,* 1866. pp. 467 et 468.

Caeterum videri poterunt, quae altero tomo ex fontibus syriacis de „hebdomade in albis" enotabimus pp. 334—335, jctis. aliis animadversionibus nostris in *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1887, p. 749.

Kalendariis italo-graecis quoque ad hunc diem refertur: *Ἡ ἑορτὴ πάντων τῶν ἁγίων, μεγάλη α'. Festum omnium Sanctorum* duplex 1. classis (vide supra p. 30). Monachi Basiliani praeterea *festum omnium Sanctorum proprii instituti et ordinis* agere solent die 13. Novembris, quemadmodum a Sede Apostolica indultum fuit monachis s. Basilii M. ritus latini.

β'. 2. Ἀκινδύνου, Πηγασίου, Ἀφθονίου, Ἐλπιδηφόρου καὶ Ἀνεμποδίστου.

Quinque hi martyres in Perside, *sub Sapore,* medio saeculo quarto, Martyrologio Rom. etiam ad h. d. inscripti a Bollandianis copiose illustrantur Nov. tom. 1, pp. 445—504; exhibito etiam Officio graeco pp. 505—522.

Μνήμη πάντων τῶν πιστῶν κεκοιμημένων.

Monachis italo-graecis concessum esse privilegium hoc die agendi *commemorationem omnium fidelium defunctorum,*

[1]) In antiquissimo Kalendario syriaco anni 411. saepius jam citato notatur *feria VI. post Pascha commemoratio omnium Martyrum.* Ad eundem diem notatur in Kalendario Chaldaeorum catholicorum et Syrorum Nestorianorum *commemoratio Confessorum.* Apud Graecos occurrit Dominica post Pentecosten.

juxta ritum ecclesiae latinae, discimus ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis infra citando ad diem 13. h. m.

γ'. 3. *Ἀκεψιμᾶ, Ἰωσὴφ καὶ Ἀειθαλᾶ μαρτύρων· καὶ τὰ ἐγκαίνια τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου μεγαλομ. Γεωργίου, τοῦ ἐν Λύδδῃ, ἤτοι ἡ κατάθεσις τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ.*

Sanctum *Acepsimam* episcopum cum multis sociis martyribus in Perside, sub Sapore, anno 380, in fastis nostris Latini celebramus 22. April., ubi egregium eorum certamen pro christiana fide exantlatum et Martyrologium Rom. fideliter refert et Bollandistae locupletius describunt ejusdem mensis tom. 3, pp. 19—29. Acta syriaca et in Germanicum translata habes locis cit. supra pp. 267 et 268.

Encaenia templi s. magni martyris Georgii Lyddae in Palaestina sive translatio pretiosi corporis ejus; slav. *Obnovlenije chrama svjatago velikomučenika Georgia, iže v Lydě iděže položeno jest cestnoje tělo jego*; rumen. *Innoirea baserecii cé dein Lid'a a s. mare m. Georgiu, adeca punarea onoratului seu trupu*, in plerisque omnibus Kalendariis etiam syriacis et karšunicis, ad h. d. inscripta leguntur.

δ'. 4. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννικίου τοῦ Μεγάλου· καὶ τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων Νικάνδρου ἐπισκόπου Μύρων καὶ Ἑρμαίου πρεσβυτέρου.*

Omnes tres etiam fastis latinis ad hunc diem inserti leguntur, ut patet ex Martyrologio Rom.

Magnus s. Joannicius, thaumaturgus, celeberrimus apud orientales in eodem illo monte Olympo, in Bithynia, eremita, ubi aliquamdiu ss. fratres *Methodius* et *Cyrillus,* Slavorum Apostoli, sunt commorati, floruit saeculis octavo et nono. Res gestas ex genuinis fontibus fuse et accurate, ut solet, describit van den Gheim, socius Bollandianus, in Act. SS. Oct. t. 2. pp. 311—435.

Hodierni *ss. Nicander et Hermas* Graecis dicuntur *apostoli,* quod Menaea eos referant ab Apostolorum discipulo Tito ordinatos *(χειροτονηθέντων παρὰ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τίτου).* In Codicibus syr. vat. quoque titulo *hieromartyrum*

insigniuntur. Idoneo commentario exornati sunt ab eodem cl. auctore t. c. pp. 225—226.

ε'. 5. *Τῶν ἁγίων μαρτύρων Γαλακτίωνος καὶ Ἐπιστήμης τῆς συζύγου αὐτοῦ.*

Galaction et Episteme conjuges *martyres* Emesae in Phoenicia, sub Decio, anno 250, hodie et in Martyr. Rom. coluntur ibique eorundem certamen paucis comprehensum describitur. Plura dat Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 93—108.

ς'. 6. *Παύλου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ., τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ τῶν ἐν Θεουπόλει δέκα μαρτύρων.*

CPoli natalis s. Pauli ejusdem civitatis episcopi, qui saepe ab Arianis ob fidem catholicam pulsus et a s. Julio Romano Pontifice restitutus, demum a Constantio imperatore ariano ad Cucusum oppidulum Cappadociae relegatus, ibidem Arianorum insidiis crudeliter strangulatus ad coelestia regna migravit an. 350, *cujus corpus Theodosio imperatore CPolim summo honore translatum fuit.* Ita Martyr. Rom. 7. Junii. Acta ex sancti Athanasii aliorumque veterum memoriis summo studio collecta reperies apud Bolland. Jun. tom. 2, pp. 13—24.

Ex iis attulisse juverit testimonium, quod duo scriptores graeci, in narrando perfugio sancti Pauli ad Sedem apostolicam de suprema potestate Romani Pontificis in omnes ecclesias dederunt. Socrates igitur quum ss. Athanasium, Paulum, aliosque episcopos orientales, ecclesiis suis pulsos, Romam pervenisse narrasset, haec de judicio ibidem instituto subdit *Hist. eccles.* l. 2, c. 15 [1]):

Γνωρίζουσιν οὖν τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης Ἰουλίῳ τὰ καθ' ἑαυτούς· ὁ δὲ, ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ῥώμῃ Ἐκκλησίας ἐχούσης, παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτούς, καὶ ἐπὶ τὴν Ἀνατολὴν ἀποστέλλει, τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδούς, καὶ καθαπτόμενος τῶν προπετῶς καθελόντων αὐτούς. Οἱ δὲ ἀνα-

Ubi quum Julio Romanae Urbis episcopo causam suam exposuissent, ille, quae est Romanae Ecclesiae praerogativa, *liberioribus literis eos communitos in Orientem remisit, singulis sedem suam restituens, simulque perstringens illos, qui supradictos episcopos temere deposuissent. Itaque illi*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 67, pp. 211—212.

ζεύξαντες ἐκ τῆς Ῥώμης, καὶ τοῖς τύποις τοῦ ἐπισκόπου Ἰουλίου θαῤῥοῦντες, τάς τε ἑαυτῶν ἐκκλησίας καταλαμβάνουσι.

Roma digressi et Julii episcopi literis freti suas quisque ecclesias occuparunt.

Sozomenus similiter in eandem sententiam scribit *Hist. eccles.* l. 3, c. 8[1]):

Μαθὼν δὲ ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος τὰ ἑκάστου ἐγκλήματα, ἐπειδὴ πάντας ὁμονοοῦντας εὗρε περὶ τὸ δόγμα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ὡς ὁμοδόξους αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν προσήκατο. Οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν Ἐκκλησίαν ἀπέδωκε.

Episcopus igitur Romanus quum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, tamquam idem cum ipso sentientes in communionem recepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit.

In Kalendario *ὁμολογητής* (slav. *ispovědnik*, rumen. *marturisitoriulu)* appellatur veteri more, quod se veritatis athletam fortemque *confessorem* praestiterit, alias etiam *martyris* titulo insignitus, ob vitam pro catholica doctrina profusam. In Cod. syr. vat. N. 77. h. d. distinctius signatur: *„Coronatio hieromartyris Pauli, confessoris.*

Theopoli sanctorum decem martyrum, qui a Saracenis passi leguntur (Martyrol. Rom. h. d.) anno 12. postquam Antiochia, mutato nomine, *Theopolis* est appellata. Cum Romano et alia antiqua Martyrologia consentiunt apud Migne, Patr. lat. tom. 94, p. 1096. Hodiernos martyres sub Cosrhoe, Persarum rege, Antiochenae civitatis horrendae cladis tempore, anno 540 lauream adeptos esse putat Baron. in *Not. ad Martyr.*

Cur autem quandove Magna Antiochia *Θεουπόλεως* nomine coepta sit nuncupari, s. Theophanes ita declarat in *Chronograph.: Eodem anno*[2]) *mensis Novembris die 29, hora diei tertia, feria quarta, indictione septima, biennio post superiorem cladem* (terrae motus), *Antiochia Magna plagae coelitus illatae damnum iterum passa est. Ingens quippe terrae motus per horam continuam duravit, atque horrendus omnino mugitus e coelo auditus, et cuncta prorsus aedificia*

[1]) Ibid. pp. 1051—1052.

[2]) Erat hic annus Christi 528: omnibus in studio legum versantibus memorabilis, quod eo currente Justinianus Decretum de *Novo atque a felici suo nomine nuncupando Codice faciendo* ad senatum urbis CP. dedit die 13. Febr.

ad terram usque prostrata, urbis quoque moenia diruta, quaeque substiterant in priori terrae motu[1]) *veteres constructiones, eae nunc omnes funditus eversae. Denique quidquid tam imperatorum liberalitate quam privatis civium sumptibus urbi conciliatum fuerat ornatus atque decoris, id tum omne dejectum in terram. His perceptis, vicinae civitates in luctum et publicas supplicationes effusae. Ea vero hominum quatuor millia et septuaginta supra octingentos periere: qui periculo servati, in alias civitates migravere, vel in montibus sub tuguriis habitavere. Haec asperrima et frigidissima hiems secuta est,*

καὶ ἐλιτάνευον οἱ ἀπομείναντες πάντες ἀνυπόδετοι, κλαίοντες καὶ ῥιπτοῦντες ἑαυτοὺς πρηνεῖς εἰς τὰς χιόνας, κράζοντες τὸ Κύριε, ἐλέησον. Ἐφάνη δὲ ἐν ὁράματί τινι θεοσεβεῖ ἀνθρώπῳ, ὥστε εἰκεῖν πᾶσι τοῖς ὑπολειφθεῖσιν, ἵνα ἐπεργράψωσιν εἰς τὰ ὑπέρθυρα αὐτῶν· Χριστὸς μεθ' ἡμῶν, στῆτε. Καὶ τούτου γενομένου, ἔστη ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ. Καὶ πάλιν ὁ βασιλεὺς καὶ ἡ Αὐγοῦστα πολλὰ ἐδωρήσαντο χρήματα εἰς ἀνανέωσιν καὶ οἰκοδομὴν τῆς Ἀντιοχέων πόλεως, καὶ μετωνόμασαν αὐτὴν Θεούπολιν.

et processiones cum precibus agebant, qui remanserant civitatis incolae, excalceati, ejulantes, et pronos se per nivem demittentes crebris vocibus Domine, miserere *inclamantes. Demum religioso cuidam viro per visum revelatum est, omnibus, qui superfuerant, ediceret, uti superioribus domorum liminibus inscriberent:* Christus nobiscum, state. *Eo facto ira Dei pacata est*[2]). *Porro imperator atque Augusta magnas iterum pecunias in Antiochenae civitatis instaurationem insumpserunt, et mutato nomine* Theopolim *nuncupatam voluerunt:* nova urbe scilicet in peculiarem Dei tutelam collata[3]).

Verum plane cognitum est, inquit Baron. in *Annal.* ad h. an., n. 33, haud fuisse satis, mutasse nomen et ex Antiochia Theopolim fecisse, nisi et morum esset subsecuta correctio; ipsa civitas enim paulo post, h. e., an. 540 ab irruente Cosrhoe capta est, direpta, incendio tradita et suis sepulta ruinis, qua in clade et martyres nostros palmam tulisse, ex ejusdem Baronii sententia scripsimus.

---

[1]) Contigerat hic prior terrae motus die 29. Maji an. 526.

[2]) Simile quid circa inscriptionem SS. Cordis Jesu *(Cessa! Cor Jesu nobiscum est)* ab idoneis testibus narrari, animadversum a nobis est in opere *„De festis utriusque SS. Cordis"*, tom. 2, pp. 346—347.

[3]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 108, p. 410. Id cognomentum Antiochiae per hanc occasionem inditum esse, ante s. Theophanem jam narravit Evagrius, *Hist. eccles.* l. 4, c. 6; ibid. tom. 86, pp. 2712—2714; postea Cedrenus in *Συνόψει ἱστοριῶν*, ibid. tom. 121, pp. 703—706, Nicephor. Callist. *Hist.* l. 17, c. 3; ibid. tom. 147, pp. 225—226, aliique Theophanis historiam paucis contractam dederunt.

ζ'. 7. *Τῶν ἐν Μελιτινῇ τριάκοντα τριῶν μαρτύρων· καὶ Λαζάρου τοῦ ὁσίου, τοῦ ἐν τῷ Γαλησίῳ ὄρει ἀσκήσαντος.*

Melitine in Armenia passio ss. Hieronis, Nicandri, Hesychii et aliorum triginta, qui in persecutione Diocletiani sub Lysia praeside coronati sunt (Martyr. Rom. h. d.). Passionem describit Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 109—120.

Sanctum Lazarum, in Galesio[1] *monte* juxta Ephesum *eremitam,* Martyrologio Rom. non inscripsit Baronius, in *Annalibus* tamen notavit ad an. 960, eum circa illud tempus claruisse. Vitam a Georgio Cyprio, patriarcha CP., scriptam vulgavit Boissonadius in *Anecdot. graec.*, tom. 2, p. 81[2]).

η'. 8. *Ἡ σύναξις τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων.*

Synaxis archistrategi Michaelis et reliquarum incorporearum virtutum; slav. *Sobor svjatago archistratiga Michaila, i pročich bezplotnych sil;* rumen. *Adunarea mai mariloru archistratigi, sî a ceteloru incepatorie ale lui Michailu, sî Gavrilu, sî ale toturoru poteriloru ceresci.*

Quamvis *συνάξεως* vocabulum in titulo festi positum directe atque immediate indicet sacrum fidelium conventum solemnitatis ss. angelorum agendae causa, in multis libris tamen indirecte ac veluti in obliquo adsignificat concordiam et conspirationem eorundem angelorum adversus Luciferum ejusque socios rebellantes, atque inde victoriam, quam, *cum* divini honoris adsertore ac vindice *Michaele consentientes,* de Satana retulerunt. *Hujusmodi igitur angelorum conspiratio,* inquit Menol. Basil., *appellata est synaxis, hoc est, attentio, concordia et unio (ἡ τοιαύτη οὖν συγκράτησις ὠνομάσθη σύναξις, τουτέστι προσοχή, ὁμόνοια καὶ ἕνωσις).* Consentiunt et *Ephemerides figuratae,* in quibus angeli repraesentantur

---

[1]) Non *Galileo,* quemadmodum perperam habent *Horologia Valachicum* (Budae an. 1807) et *Rumenum* (Blasendorfii an. 1869).

[2]) Parisiis, ex typographeo regio, an. 1829.

tenentes in medio infantem Jesum, Seraphino impositum, quod scilicet omnes spiritus coelestes propositum sibi incarnationis mysterium Archangelo Michaele auctore ac duce crediderunt, et conspiratione cum eodem facta rebellantes angelos ad tartara detruserunt.

θ'. 9. Ὀνησιφόρου καὶ Πορφυρίου μαρτύρων καὶ τῆς ὁσίας Ματρώνης.

Parii *in Hellesponto s. Onesiphori Apostolorum discipuli, cujus meminit s. Paulus ad Timotheum scribens, qui ibidem una cum s. Porphyrio,* servo suo, *jussu Hadriani proconsulis acriter verberatus, et a ferocibus equis raptatus, spiritum Deo reddidit* (Martyrol. Rom. d. 6. Sept.). De iis accuratius scribit Stiltingus in Actis SS. Sept. tom. 2, pp. 662—666.

S. Matrona, discipula s. Bassiani, inter monachos primum, *virili habitu induta* (στολὴν ἀνδρικὴν ἐνδυσαμένη, Menol. Basil.) diu latuit; deinde monasterio virginum CPoli praefecta, magna claruit sanctitate medio saeculo quinto. De ea fusius agit Byeus, socius Bolland. in vita *s. Bassiani,* Octob. tom. 5, pp. 80—85.

ι'. 10. Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, Ὀλυμπᾶ, Ῥωδίωνος, Ἐράστου, Σωσιπάτρου καὶ Κουάρτου· καὶ Ὀρέστου μάρτυρος.

Omnes discipuli Apostolorum *ex septuaginta,* dicti etiam *apostoli.* Ex his colitur a Latinis *Sosipater* 25. Junii; *Erastus* 26. Julii; *Quartus* 3. Nov., suo quisque loco a Bollandianis vel a Baronio illustratus. Nomina *Olympae* et *Rhodionis* in fastis latinis non leguntur expressa.

S. Orestes, martyr Tyanae in Cappadocia, sub Diocletiano, pridie hujus diei in Martyr. Rom. refertur. Ejus certamen describit Metaphrast. apud Migne, Patr. gr. t. 116, pp. 119—128.

ια'. 11. Μηνᾶ, Βίκτωρος, Βικεντίου καὶ Στεφανίδος μαρτύρων· καὶ Θεοδώρου τοῦ Στουδίτου.

S. Menae, Aegyptii militis, *martyris* Cotyaei in Phrygia, sub Diocletiano, praeclaram passionem compendio explicat Mar-

tyrolog. Rom. h. d. Acta habes in Analectis Bollandianis t. 3, pp. 258—270. — Quae de celeberrimo martyris cultu in Aegypto ac nominatim de solemnibus peregrinationibus ad ejus reliquias illuc relatas frequenter institutis dudum ex historia noveramus, ea nostra hac aetate variis antiquitatis monumentis ex coemeteriis panopolitanis in Aegypto nuper effossis egregie confirmantur [1]).

Meneam hunc *Phrygium* distingui oportet ab alio sancto *ὁμωνύμου Alexandrino,* de quo agetur infra ad 10. Decemb.

Varias variorum de Sancto nostro orationes indicant Asseman. et Morcell. h. d.

S. Vincentii, Archidiaconi Caesaraugustani, sub Diocletiano Valentiae in Hispania martyris, ubique gentium celeberrimi, *passionis nobilem triumphum* prolixo elogio celebrat Martyrolog. Rom. ad d. 22. Jan., ubi et Bollandiani omnis generis de eo veterum monumenta idoneis commentariis illustrata exhibent Jan. tom. 3, pp. 6—26.

Ss. Victor et Stephanis, h. e., *Corona,* nobile par martyrum in Aegypto, sub Antonino, circa an. 177, a Latinis honorantur 14. Maji, ad quem diem Martyrologium Rom. eorundem passionis cruciatus breviter narrat ex Actis ab Henschenio vulgatis apud Bolland. Jun. tom. 3, pp. 264—267.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ Στουδίτου; slav. *Prepodobnago otca našego ispovědnika Teodora Studita;* rumen. *Cuv. par. nostru sî marturisitoriulu Teodoru Studitulu.*

CPoli s. Theodori Studitae, qui pro fide catholica adversus iconoclastas strenue pugnans, exilii varii carcerisque durissimi aerumnis per plures annos constanter toleratis, factus est in universa Ecclesia catholica celebris. Ita Martyrolog. Rom. ad diem sequentem. Vitam atque opera cum variorum notis dat Migne, Patr. gr. tom. 99, ubi etiam, locis in indice rerum indicatis, sub voce *Studium,* plenior notitia habetur celeberrimi illius monasterii, a *Joanne Studio* Romano in urbe regia conditi an. 463, cui regendo sanctus noster praefuit ab

[1]) Cfr. *Die Gräberfunde von Achmin*-Panopolis, in Histor.-polit. Blätter 1895 (t. 112, p. 262—264).

an. 797 ad an. 826, quo exul migravit in coelum. De Theodoro nostro etiam multa protulit Card. Quirini, *Diatribe* 3, pp. 50—63; sed latius et uberius nuper disseruit Thomas, *Theodor von Studion und sein Zeitalter,* Osnabrück, 1892. Alios, praesertim, quos recentior aetas tulit, scriptores sanctum Theodorum illustrantes indicant Bollandiani tum in *Analectis,* 1893, p. 316. tum in *Bibl. hagiogr. gr.* pp. 129—130.

Quum *Sanctus Theodorus* magna auctoritate in utraque Ecclesia floreat [1]), clericos sacrorum canonum cupidos praeclaris illis testimoniis fraudare nolumus, quae, ad nostra veluti tempora accommodate scribendo, *de independentia Ecclesiae deque suprema potestate Romani Pontificis* plurima perhibent. Et *independentiam Ecclesiae in rebus spiritualibus* quod spectat, memoranda hic est epistola 129, libri 2, e qua supra jam dedimus particulam ad 29. Junii p. 195. In ea postquam narravit, imperatorem voluisse, ut catholici cum heterodoxis *coram ipso Augusto* sermonem conferrent de rebus ad fidem spectantibus, haec subnectit:

Ἀλλ᾽ οὔτε ἡμεῖς οἱ παρόντες κατὰ πρόσωπον οὔτε ὁ κλεινὸς ἡμῶν ἀρχιερεὺς ἠνέσχετο, ὡς ἔκθεσμον καὶ ὀθνεῖον· ὅπερ καὶ ἀληθές· οὐδὲ γὰρ περὶ βιωτικῶν καὶ σαρκικῶν ὁ λόγος· ὧν βασιλεὺς τὸ κράτος ἔχει τοῦ κρίνειν, καὶ τὸ βιωτικὸν κριτήριον· ἀλλὰ περὶ θείων καὶ οὐρανίων δογμάτων, ὃ ἄλλοις οὐκ ἐπιτέτραπται, ἢ ἐκείνοις, οἷς φησιν αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος· Ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Τίνες δὲ οὗτοι οἱ ἐντεταλμένοι; Ἀπόστολοι, καὶ οἱ τούτων διάδοχοι. Τίνες δ᾽ οὖν οἱ διάδοχοι; Ὁ τῆς Ῥωμαίων νυνὶ πρωτόθρονος, ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως δευτερεύων, Ἀλεξανδρείας τε καὶ Ἀντιοχείας, καὶ ὁ Ἱεροσολύμων. Τοῦτο τὸ πεντα-

Sed neque nos, qui praesentes aderamus, neque inclytus pontifex noster id tulit, quippe iniquum et alienum, quod sane verum est; non enim de rebus saeculi carnisque sermo est, de quibus judicandi penes imperatorem potestas est et judicium saeculare, sed de divinis et coelestibus dogmatibus, quae aliis commissa non sunt, quam iis, quibus Deus ipse Verbum dixit: Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. *Quinam autem hi sunt, quibus hoc jussum fuit? Apostoli et eorum successores. Quinam porro sunt successores? Qui Romanam nunc primam sedem tenet, qui Constantino-*

[1]) Exstat ordinatio ecclesiae orientalis, — verba sunt Metropolitae Lewicki in *literis encyclicis* supra citatis p. 51 — praecipiens, ut in monasteriis sermones ejusdem s. Theodori Studitae, incipiendo a Dominica de Publicano et Pharisaeo post Litiam solemniter et quidem ab ipso hegumeno, in ejus autem absentia ab ecclesiarcha legantur, reliqui autem fratres lectionem istam attente audiant.

κόρυφον κράτος τῆς Ἐκκλησίας. Παρὰ τούτοις τὸ τῶν θείων δογμάτων κριτήριον. Βασιλέων δὲ καὶ ἡγεμόνων τὸ συνεπικουρεῖν καὶ συνεπισφραγίζειν τὰ δεδογμένα, καὶ διαλλάττειν τὰ σαρκικῶς διαφορούμενα. Οὐκ ἄλλο τι ἐν τοῖς θείοις δόγμασιν οὔτε δέδοται πρὸς Θεοῦ, οὔτε γενησόμενον στήσεται. . . .

politanam secundam, qui Alexandrinam et Antiochenam, et qui Hierosolymitanam. Haec quinivertex potestas Ecclesiae, penes hos divinorum dogmatum judicium. Imperatorum vero et praesidum est opem ferre et comprobare quae decreta sunt, et reconciliare qui carnaliter dissident ac discrepant. Haud aliud quidquam de divinis dogmatibus neque a Deo traditum est, neque, si fiat, stabit. . . .

Ad *primatum Romanae Sedis* autem praeter alia bene multa haec pertinent:

Nunc[1]) *dies salutis, ut uniamur nos* vertici ecclesiarum Dei Romae *et per eam tribus patriarchis (νῦν ἡμέρα σωτηρίας, ἑνωθῆναι ἡμᾶς τῇ κορυφῇ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ Ῥώμῃ· καὶ δι᾽ αὐτῆς τοῖς τρισὶ πατριάρχαις). Haeretici*[2]) *seipsos evulserunt a Romana Ecclesia,* a supremo verticali throno *(ἀπὸ τοῦ κορυφιακοῦ θρόνου), in quo Christus claves posuit fidei, adversus quam non praevaluere hactenus, nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus et nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimplevit (χαιρέτω . . . φερώνυμος Πασχάλιος· ὅτι τὸ ἔργον Πέτρου ἐξεπλήρωσε).*

Quod[3]) *si quid est ejusmodi, de quo ambigat aut diffidat divina Magnificentia Vestra* (Michaelem imperatorem alloquitur), *pie a patriarcha dissolvi posse, jubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus, velut divinorum aemulatrix ad communem utilitatem,*

. . . κελευσάτω παρὰ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης δέξασθαι τὴν διασάφησιν, ὡς ἄνωθέν τε καὶ ἐξ ἀρχῆς πατροπαραδότως ἐξεδόθη. Αὕτη γάρ, χριστομίμητε βασιλεῦ, ἡ κορυφαιοτάτη τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ ἧς Πέτρος πρωτόθρονος, πρὸς ὃν ὁ Κύριός φησι· Σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν· καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit. Haec enim, *Christi aemule imperator,* suprema est ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, *ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. . . .*

---

[1]) L. 2, epist. 74, apud Migne, tom. 99, pp. 1309—1310.
[2]) L. 2, epist. 63, ibid. pp. 1281—1282.
[3]) L. 2, epist. 86, ibid. pp. 1331—1332.

Huic *πρωτοθρόνῳ* et potestas[1]) summa defertur synodi oecumenicae *(ᾧ καὶ τὸ κράτος ἀναφέρεται τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου)*; ad ipsum est ex utraque litigantium parte mittenda legatio, et inde fidei accipienda certitudo *(ἐξ ἑκατέρου μέρους ἀποσταλτέον πρὸς τὸν Ῥώμης· κἀκεῖθεν δεχέσθω τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως)*.

Romanae Sedis opem adversus iconomachos exposcens, sancto Paschali PP. I. scribit an. 817[2]); *Huc igitur ab Occidente, o Christi imitator, exurge et ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus, confirmabis fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus; opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus; porrige manum, quantum fieri potest;* habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es, *in quo et positus es (ἔχεις τὸ ἰσχύειν παρὰ Θεῷ ἐκ τοῦ πάντων πρωτεύειν, ἐν ᾧ καὶ ἐτέθης). Terreto, supplicamus, haereticas feras calamo divini verbi tui. Pastor bone, pone animam pro ovibus, supplicamus (πτόησον, δεόμεθα, τοὺς αἱρετικοὺς θῆρας σύριγγι τοῦ θείου λόγου σου. Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, θὲς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων· ἱκετεύομεν).*

Et in sequenti epistola, ad eundem data, auxilium Romani Pontificis expertus, gratus exclamat[3]):

Ἐπεσκέψατο ἡμᾶς Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν· τὴν σὴν ἐν τῇ Δύσει μακαριότητα, ὥσπερ τινὰ λυχνίαν θεαυγῆ, εἰς περίλαμψιν τῆς ὑπ᾽ οὐρανὸν Ἐκκλησίας, ἐπὶ τὸν ἀποστολικὸν πρώτιστον θρόνον θέμενος. Ἀληθῶς πεπείσμεθα, ὅτι οὐκ ἐγκατέλιπε Κύριος τὴν καθ᾽ ἡμᾶς Ἐκκλησίαν, μιᾶς καὶ μόνης τῆς παρ᾽ ὑμῶν ἐπικουρίας ἄνωθέν τε καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐν ταῖς συμβαινούσαις περιστάσεσιν ὑπαρχούσης αὐτῇ Θεοῦ προμηθείᾳ. Ὑμεῖς οὖν ὡς ἀληθῶς ἡ ἀθόλωτος καὶ ἀκαπήλευτος πηγὴ ἐξ ἀρχῆς τῆς ὀρθοδοξίας· ὑμεῖς ὁ πάσης αἱρετικῆς ζάλης ἀνῳκισμένος εὔδιος λιμὴν τῆς ὅλης Ἐκκλησίας· ὑμεῖς ἡ θεόλεκτος πόλις τοῦ φυγαδευτηρίου τῆς σωτηρίας.

Respexit nos oriens ex alto Christus Deus noster, tuam in Occidente beatitudinem tanquam facem quandam divinitus lucentem, ad Ecclesiae quae sub coelo est illuminationem, in apostolica prima Sede constituens. Certo nobis persuasimus, Dominum ecclesiam nostram minime deseruisse, cui unum solumque a Vobis auxilium hactenus atque ab ipso exordio, in occurrentibus molestiis, Dei providentia concessum est. Vos igitur illimis revera ac sincerus ab initio fons orthodoxae veritatis; Vos adversus omnem haereticam procellam tranquillus sepositus Ecclesiae universae portus; Vos a Deo electa civitas refugii salutis.

---

[1]) L. 2, epist. 129, ibid. pp. 1419—1420.
[2]) L. 2, epist. 12, ibid. pp. 1153—1154.
[3]) Ibid. pp. 1153—1156.

Nec dissimilia his sunt, quae anno 809 jam scripserat Leoni PP. III, Summo patri patrum (*κορυφαιοτάτῳ πατρὶ πατέρων*), opem ejus imploraturus [1]):

Ἐπειδήπερ Πέτρῳ τῷ μεγάλῳ δέδωκε Χριστὸς ὁ Θεὸς μετὰ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τὸ τῆς ποιμνιαρχίας ἀξίωμα· πρὸς Πέτρον ἤτοι τὸν αὐτοῦ διάδοχον, ὁτιοῦν καινοτομούμενον ἐν τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ παρὰ τῶν ἀποσφαλλομένων τῆς ἀληθείας, ἀναγκαῖον ἀναφέρεσθαι. Τοῦτο τοιγαροῦν δεδιδαγμένοι καὶ ἡμεῖς οἱ ταπεινοὶ καὶ ἐλάχιστοι ἐκ τῶν ἀνέκαθεν ἁγίων Πατέρων ἡμῶν, ἐπεὶ ὑπήρχθη τις καὶ νῦν καινοτομία ἐν τῇ καθ᾽ ἡμᾶς Ἐκκλησίᾳ, καὶ πρότερον μὲν διὰ μέσου τοῦ εὐλαβεστάτου ἀρχιμανδρίτου, ἤγουν τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συνδούλου ἡμῶν Ἐπιφανίου, καὶ νῦν διὰ τοῦ εὐτελοῦς ἡμῶν γραμματίου ὀφειλόμενον ἡγησάμεθα τῷ ἀγγέλῳ τῆς κορυφαίας σου μακαριότητος ταύτην ἀνενεγκεῖν. Γέγονε τοίνυν, ὦ θειοτάτη τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλὴ, κατὰ τὸν προφήτην Ἱερεμίαν, σύνοδος ὡς ἀληθῶς ἀθετούντων, καὶ συνέδριον μοιχωμένων.

Quandoquidem Petro magno Christus Deus post claves regni coelorum pastoralis etiam principatus contulit dignitatem, ad Petrum utique vel ejus successorem, quidquid in Ecclesia catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri. Quod nos quoque humiles et minimi a sanctis olim Patribus nostris edocti, postquam in Ecclesia nostra novitas quaedam nuper exorta est, et prius quidem per religiosissimum archimandritam, fratrem et conservum nostrum Epiphanium, et nunc per simplices litteras nostras ad supremae beatitudinis tuae angelum de ea referre nos debere, arbitrati sumus. Factus est, o divinissimum omnium capitum caput, juxta Jeremiam prophetam, coetus revera praevaricatorum, et consilium adulterantium.

Et paulo infra in eadem epistola:

Τούτων ἤδη ἀψευδῶς ὑπὸ τῆς εὐτελείας ἡμῶν ἀνενεχθέντων, ἐκείνην τὴν φωνὴν, ἣν ὁ κορυφαῖος σὺν τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις προσήγαγε Χριστῷ, ἡνίκα ὁ τῆς θαλάσσης κλύδων ἐπεγείρετο, προσφέρομεν τῇ Χριστομιμήτῳ σου μακαριότητι· Σῶσον ἡμᾶς, ἀρχιποίμην τῆς ὑπ οὐρανὸν Ἐκκλησίας, ἀπολλύμεθα. Μίμησαί σου τὸν διδάσκαλον Χριστὸν, καὶ ὄρεξον χεῖρα τῇ καθ᾽ ἡμᾶς Ἐκκλησίᾳ, ὡς ἐκεῖνος Πέτρῳ· ὅσον ὁ μὲν ἀρχομένῳ καταποντίζεσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ, αὐτὸς δ᾽ αὖ καταποντισθείσῃ ἤδη ἐν τῷ

His ergo a simplicitate nostra sine fuco expositis, vocem nunc illam, qua coryphaeus cum reliquis apostolis Christum compellavit, cum maris fluctus excitarentur, apud Christi imitatricem beatitudinem tuam adhibemus: Salva nos, archipastor Ecclesiae, quae sub coelo est, perimus. Imitare magistrum tuum Christum, manumque Ecclesiae nostrae porrige, sicut ille Petro: nisi quod ille incipienti in mare mergi, tu autem rursus jam mersae in haeresis profundo. Aemulare, precamur, cognominem tibi

[1]) L. 1, ep. 33. ibid. pp. 1017—1020.

τῆς αἱρέσεως βάθει. Ζήλωσόν σου, δεόμεθα, τὸν ὁμώνυμον πάπαν, καὶ ὡς ἐκεῖνος τηνικαῦτα τῆς Εὐτυχιανικῆς αἱρέσεως ἀναφυείσης λεόντειόν πως διηγέρθη τῷ πνεύματι, ὡς ἴσασι πάντες, ταῖς δογματικαῖς αὐτοῦ ἐπιστολαῖς· οὕτω καὶ αὐτὸς, τολμῶ λέγειν, φερωνύμως, βρύξον θείως· μᾶλλον δὲ βρόντησον κατὰ τῆς παρούσης κακοδοξίας τὰ εἰκότα. Εἰ γὰρ οὗτοι ἑαυτοῖς ἐξαυθεντήσαντες αἱρετικὴν σύνοδον ἐκπληρῶσαι οὐκ ἔδεισαν, καίπερ εἰ καὶ ὀρθόδοξον οὐκ ἄνευ τῆς ὑμῶν εἰδήσεως ἐξουσιάζοντες, ὡς τὸ ἄνωθεν κεκρατηκὸς ἔθος· πόσῳ γε μᾶλλον εὔλογον καὶ ἀναγκαῖον ἂν εἴη, ὑπομιμνήσκομεν φόβῳ, ὑπὸ τῆς θείας πρωταρχίας σου ἔννομον κροτηθῆναι σύνοδον, ὡς ἂν τὸ ὀρθόδοξον τῆς Ἐκκλησίας δόγμα τὸ αἱρετικὸν ἀποκρούσηται· καὶ μήτε ἡ κορυφαιότης σου σὺν ἅπασι τοῖς ὀρθοδόξοις ἀναθεματίζοιτο παρὰ τῶν νέων κενοφώνων· μήτ' αὖ ὁρμητήριον ἀνομίας τὴν μοιχοσύνοδον εὑρίσκοντες οἱ βουλόμενοι κατολισθαίνωσιν εὐπετῶς πρὸς τὴν ἁμαρτίαν. Ταῦτα, ὡς τὸ ἀνῆκον τῇ οὐθενότητι ἡμῶν, ἐνηγγελκότες, ὡς ἐλάχιστα μέλη τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῇ ὑφ' ὑμῶν ὑπείκοντες θείᾳ ποιμεναρχίᾳ, τὸ λοιπὸν ἐξαιτοῦμεν τὴν ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν, λογίζεσθαι ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα αὐτῆς πρόβατα, καὶ ταῖς ἱεραῖς προσευχαῖς πόῤῥωθεν φωτίζειν καὶ στηρίζειν. Εἰ δὲ καὶ διδαχαῖς, τῆς σῆς ἂν εἴη θείας συγκαταβάσεως. Ἐπεὶ καὶ ὁ Χριστὸς Αὐγάρῳ ἐπέστειλε· καὶ πολλοὶ τῶν ὑφειμένων παρὰ ἀποστόλων καὶ ἁγίων γράμματα δέξασθαι κατηξιώθησαν. Παρ' ἐμοῦ δὲ μόνου τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ τηρουμένου ἐν φυλακῇ ἡ ἐπιστολή· διὰ τὸ, τὸν Πατέρα καὶ συνδουλόν μου τὸν ἔγκλειστον, τόν τε ἀρχιεπίσκοπον

Papam, atque ut ille, pullulante tum haeresi Eutychiana, leoninum in morem spiritu experrectus est, ut omnes norunt, dogmaticis suis epistolis: sic et tu, dicere audeo, juxta nomen quod geris, irrugi divinitus vel potius intona contra praesentem hanc haeresim, ut decet. Si enim isti, arrogata sibi auctoritate, haereticam synodum cogere veriti non sunt, qui ne orthodoxam quidem absque cognitione vestra, ut antiquus mos obtinet, cogere potuerunt: quanto magis aequum atque adeo necessarium fuerit (cum timore suggerimus) ab divino tuo principatu legitimam synodum convocari, ut orthodoxum Ecclesiae dogma haereticum extrudat: et neque suprema dignitas tua cum orthodoxis omnibus anathemate notetur a novis nugatoribus; neque iniquitatis porro classicum adulterinam hanc synodum nacti, quibus id placet, in peccatum facile prolabantur. Haec, sicut parvitati nostrae conveniebat, ut minima Ecclesiae membra repraesentantes et divino pastorali vestro principatui parentes, obsecramus de caetero sanctam animam vestram, ut nos ceu proprias oves reputet, et sacris precibus suis eminus illustret atque confirmet. Quod si etiam documentis; tuae id fuerit benignitatis: quandoquidem et Christus ad Abgarum scripsit, et multi etiam e subditis digni habiti sunt, qui ab Apostolis sanctisque acciperent literas. A me autem solo peccatore, et in carcere detento mittitur haec epistola, propterea quod Pater conservusque meus inclusus, et Thessalonicae archiepiscopus germanus noster, in aliis insulis pariter custodiuntur. Ipsi nihilominus per me et mecum eadem dicunt, et sacris

τῆς Θεσσαλονίκης καὶ ἀδελφὸν ἡμῶν, εἰς ἑτέρας νήσους ὡσαύτως τηρεῖσθαι. Πλὴν καί αὐτοὶ δι᾽ ἐμοῦ καὶ σὺν ἐμοὶ τὰ αὐτὰ καὶ φθέγγονται καὶ προσπτύσσονται τοῖς ἱεροῖς τῆς μακαριότητός σου ἴχνεσιν.

beatitudinis tuae vestigiis advolvuntur [1]).

In fastis *τῆς μονῆς τῆς Κρυπτοφέῤῥης* hodie signata agitur memoria

Τοῦ ὁσίου Βαρθολομαίου τοῦ Νεωτέρου, Ἀββάδου Τ. Ἡ. indeque in Martyrologium Romanum ad ipsum hunc diem transiit annuntiatio: *In monasterio Cryptae ferratae in agro Tusculano sancti Bartholomaei abbatis, socii beati Nili, cujus vitam ipse conscripsit.* Nondum de s. Bartholomaeo quidquam a Bollandianis proprio commentario prolatum est: plura tamen ad manus sunt in *Vita s. Nili* ab iisdem illustrata tomo citato supra p. 288, locis in indice historico sub ejusdem S. nomine indicatis.

Caeterum exstat tamen graece et latine prolixior Vita et Conversatio S. P. N. Bartholomaei Junioris Cryptoferratensis (*Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βαρθολομαίου τοῦ νέου τῆς Κρυπτοφέῤῥης*) auctore Luca, ejusdem monasterii abbate septimo, apud Card. Mai, *Bibl. nov. Patr. tom. 6,* quam exhibet Migne, Patr. gr. tom. 127, pp. 473—512.

ιβʹ. 12. *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας τοῦ Ἐλεήμονος, καὶ Νείλου τοῦ ὁσίου.*

Slav. *Iže vo svjatych otca našego Ioanna, patriarcha Alexandriiskago, milostivago;* rumen. *Celu deintru sânti parent. nostru Joane patriarchulu Alesandriei, celu induratu.*

Sancti Joannis patriarchae Alexandrini ab an. 606 ad 616, *misericordia in pauperes celeberrimi* (Martyr. Rom. ad 23. Januar.) atque inde cognomento *Eleemosynarii,* vitam a Leontio episcopo conscriptam latine olim dedit Bollandus Januar. t. 3, pp. 108—148, nunc et graece vulgavit Gelzer, *Leontios' von Neapolis Leben des heil. Johannes des Barmherzigen, Erzbischofs von Alexandrien.* Freiburg i. Br. 1893.

[1]) Ex eodem s. Theodoro plura alia testimonia in eandem sententiam profert Richter, *Des heil. Theodor, Abtes von Studium, Lehre vom Primat des römischen Bischofs* in „Katholik", 1874, II, pp. 384—414.

CPoli s. Nili abbatis, qui ex praefecto urbis factus monachus in monte Sinai circa an. 390, *sub Theodosio juniore claruit* (Martyrol. Rom. h. d.). Quae nobilissimi ingenii sui reliquit monumenta, cum egregiis commentariis et vita reperies apud Migne, Patr. gr. t. 79.

ιγ'. 13. *Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου.*

Sancti Joannis Chrysostomi natalis celebritatem a die 14. Septembris, quo obiit, ad hunc diem translatam esse, non sine veri similitudine conficit Papebrochius, ut notavimus supra ad eundem diem. Alii vero ex Kalendariis syriacis atque ex lemmate hodierni synaxarii Menol. Basil. eruere volunt, *memoriam* agi *exiliorum* (*ἡ ἀνάμνησις τῆς ἐξορίας*); atque hic referunt duas ejus epistolas ad *s. Innocentium PP. I.* datas [1]), in quarum priori (an. 404), in secundum exilium jamjam perrecturus, Romani Pontificis opem implorando obsecrat,

Τὴν προσήκουσαν ὑμῖν ἀνδρείαν καὶ σπουδὴν ἐπιδείξασθε, ὥστε παρανομίαν τοσαύτην ἐπεισελθοῦσαν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναστεῖλαι . . . ἐπιστεῖλαι παρακλήθητε τὰ μὲν οὕτω παρανόμως γεγενημένα . . . μηδεμίαν ἔχειν ἰσχύν·

Ut is studium suum et magnam diligentiam adhibeat, quo retundatur haec quae in ecclesias irrupit iniquitas . . . utque scribat, quod tam inique facta . . . non habeant robur;

in altera vero an. 406, *ex incredibili solitudine longinqui loci exilii sui gratiis de constante erga se caritate actis, in fame, peste, bello, continuis obsidionibus, quotidiana morte et Isauricis gladiis,* inter alia haec subdit de pastorali sollicitudine, qua Innocentius *pro sedanda tempestate, pro auferendis scandalis, pro vindicando contemptu legum et paternarum constitutionum* usus fuerat: *Quanto fluctus extolluntur sublimius, et plures latent scopuli vehementioresque sunt tempestates, tanto magis vigilantia vestra augetur* (*τοσούτῳ καὶ τὰ τῆς ἀγρυπνίας αὔξει τὰ τῆς ὑμετέρας*); *neque vos tantae viae prolixitas, neque tantum temporis intervallum, neque*

[1]) Referuntur cum responsis Papae apud Migne, Patr. gr. t. 52, pp. 529—538.

rerum difficultates segniores reddiderunt; sed perseveranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maxime vigiles sunt, quum excitari fluctus, mare intumescere et multum aquarum ragorem profundissimamque interdiu noctem ingruere vident.

Ἡ ἑορτὴ πάντων τῶν ἁγίων τάξεως ἡμῶν, μεγάλη β'.

Festum omnium sanctorum ordinis nostri, duplex 2. classis, ex Decreto S. Rit. Congregationis d. d. 7. Decemb. 1844 a monachis Basilianis italo-graecis hodie celebratur. Vide notata supra ad diem 1. hujus mensis.

ιδ'. 14. *Τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου Ἀποστόλου Φιλίππου, ἑνὸς τῆς πρώτης χορείας τῶν δώδεκα.*

Sanctum et celeberrimum Apostolum Philippum, unum ex primo ordine duodecim, martyrem Hierapoli in Phrygia, sub Domitiano, Latini colimus die 1. Maji, ubi de eo prolixum commentarium dat Henschen. in Act. SS. Maji t. 1, pp. 7—18.

ιε. 15. *Γουρία, Σαμωνᾶ καὶ Ἀβίβου μαρτύρων καὶ ὁμολογητῶν· καὶ Θωμᾶ ἀρχιεπισκόπου ΚΠ. τοῦ νέου. Ἄρχεται ἡ νηστεία τῶν Χριστουγέννων.*

Gurias et Samonas, martyres Edessae in Syria sub Maximiano circa an. 306, et *Abibus* diaconus, martyr ibidem sub Licinio, circa an. 322, etiam Martyrol. Rom. ad h. d. inserti leguntur. Res gestas descripsit Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 127—162.

Pluribus eas ex fontibus syriacis illustratas invenies apud Asseman. *Bibliothec. orient.* tom. 1, pp. 329 seqq.; cl. D. Bickell in not. ad carmen Jacobi Sarug. in eosdem martyres: *Gedichte syr. Kirchenväter.* Kempten 1872, pp. 275—276; et Mösinger, *Acta ss. Martyrum Edessenorum Sarbelii, Barsimaei, Guriae, Samonae et Abibi,* Oeniponte, 1874.

Eos *confessorum* cognomento distinctos fuisse scribit Martinov, quod contractuum *(ὁμολογιῶν)* fidei servandae invigilare crediti sint.

De *s. Thoma juniore, patriarcha CP.* ab anno 667 ad an. 669, post Cuperum *Hist. chron. patr. CP.* nn. 463 seqq. scitu digna scripsit Morcelli ad h. d.

Jejunium natalitiorum Christi, cujus *initium* hodie signatur in Kalendario, a legibus monasticis et a pia quorundam saecularium devotione primum inductum, ab universa Ecclesia graeca postea consuetudine receptum [1]), simpliciter *τεσσαρανθήμερον*, corrupte *σαραντάμερον*, *quadragesima* appellatum, etiam *Quadragesima sancti Philippi (ἡ μ' τοῦ ἁγίου Φιλίππου)* audit. Sunt quidem ex canonistis graecis, qui nominis rationem cum Anastasio Sinaita *Περὶ τῶν ἁγίων τριῶν τεσσαρακοστῶν*, *de ss. tribus Quadragesimis* [2]) ex apocrypha *Περιόδου τοῦ ἁγίου Φιλίππου* [3]), inde petant, quod hoc jejunium Apostoli mandato institutum sit [4]); communior tamen est sententia Gretseri, Goarii aliorumque recentiorum ideo a *s. Philippo* nominari, quod ab ejusdem festo ad Christi nativitatem observetur. De hoc jejunio praeter Anastasium Sinait. cit. et Balsamon. locis supra laudatis ad 1. Augusti p. 230 consuli possunt canonistae et libri ecclesiastici Graecorum.

ιϛ'. 16. *Ματθαίου τοῦ Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ.*

S. Matthaei Apostoli et Evangelistae memoriae sacrum habent Latini diem 21. Septemb., ubi Stiltingus quaecunque ad eum spectant, insigni commentario exornavit in Act. SS. Septemb. tom. 6, pp. 194—227. Videatur etiam egregius articulus in *Kirchenlexikon,* t. 8, pp. 1026—1039, edit. 2.

ιζ'. 17. *Γρηγορίου Νεοκαισαρείας τοῦ θαυματουργοῦ.*

Neocaesareae in Ponto natalis s. Gregorii episcopi, qui doctrina et sanctitate illustris, propter signa atque miracula, quae cum multa ecclesiarum gloria perpetravit, Thaumaturgus est appellatus (Martyrol. Rom. h. d.). Vitam scripsit s. Gregorius Nyssenus [5]), e qua summarium invenies in Breviario Rom. Obiit circa an. 270.

Veterum de s. Gregorio testimonia cum ejusdem operibus et recentiorum in ea commentariis disces et Migne, Patr. gr. t. 10, pp. 963—1232, jcto Bardenhewer, *Patrol.* p. 170.

---

[1]) Cfr. quae notavimus supra ad d. 1. Augusti.

[2]) Apud Cotelerium, *ecclesiae graecae monumenta,* tom. 3, pp. 425—431.

[3]) *Itinerarium* hoc *s. Philippi* sub titulo *Actus Philippi apostoli* improbatum legitur in synodo Romana an. 496, C. *Sancta Romana* 3. Dist. 3.

[4]) Sic interpres *Constitut. monast. Studii* apud Migne, Patr. gr. t. 99, pp. 1715.

[5]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 46, pp. 893—958.

ιη'. 18. Πλάτωνος καὶ Ῥωμανοῦ μαρτύρων.

Ancyrae in Galatia s. Platonis martyris sub Maximiano circa an. 306, *qui sub Agrippino vicario verberibus caesus, uncis ferreis laniatus, aliisque immanissimis tormentorum generibus cruciatus, demum abscisso capite, invictam animam Deo reddidit: cujus miracula in subveniendis captivis,* a s. Nilo conscripta [1]), *Acta secundae synodi Nicaenae* [2]) *testantur.* Ita Martyrol. Rom. ad 22. Julii, quo die Pinius omnia diligenter investigavit, in Act. SS. Jul. tom. 5, pp. 226—235, quae de sancto nostro exstant antiquitatis monumenta.

Duos *Romanos* martyres Antiochiae in Syria passos, alterum ex ipsa urbe Antiochia oriundum ac cum puero martyrii socio coronatum, alterum vero ortu Palaestinum, sed gradu diaconum et exorcistam Caesareensem, ex fastis Graecorum distinguit Baronius. Doctissimi cardinalis judicium confirmat Asseman. *K. E. U. h. d.,* qui ex syriacis martyrii Actis [3]) praeterea ostendit, hodie proprie honorari debere *Romanum Caesareensem,* Eusebii *de martyribus Palaestinae* c. 2 et s. Joannis Chrysostomi encomiis [4]) celebratum, quamvis Martyrol. Rom. et Menol. Basil. ejus loco *Romanum Antiochenum* colendum proponant.

ιθ'. 19. Ἀβδίου τοῦ προφήτου· καὶ Βαρλαὰμ μάρτυρος.

S. Abdias (Ἀβδιάς, Ὀβδιάς, Ὠβαδίας) φερωνύμως servus Dei appellatus, ut ait s. Hieronymus, *comment. in Abdiam* c. 1 [5]) quartus inter prophetas minores, etiam fastis latinis hodie insertus legitur. De vita et scriptis sacrarum literarum interpretes consulantur. De sepulchro Abdiae in Samaria deque mirandis prodigiis scribit s. Hieronymus *ep. 108 ad Eustochium,* in epitaphio Paulae.

Caesareae in Cappadocia s. Barlaam martyris, qui agrestis licet et rudis, Christi sapientia munitus tyrannum vicit et ignem ipsum fidei constantia superavit: in cujus die natali

[1]) *Epist. ad Heliodor.* apud Migne, Patr. gr. t. 79, pp. 579—582.
[2]) Apud Hardouin. Concil. tom. 4, pp. 183—184.
[3]) Acta martyr. orient. tom. 2, pp. 173 seqq.
[4]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 50, pp. 605—618.
[5]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 25, p. 1099.

s. Basilius Magnus[1]) *celebrem habuit orationem* (Martyr. Rom. h. d.). Exstat et ejus laudatio a s. Joanne Chrysostomo egregie conscripta[2]).

κ'. 20. *Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου.*

CPoli s. Gregorii Decapolitae, qui ob cultum ss. imaginum multa passus est (Martyr. Rom. h. d.). Is Irenopoli, civitate Decapoleos Isauriae[3]), natus, magister s. Josephi Hymnographi (3. April.), quum, devictis in solitudine daemonibus, *per visum a Deo monitus terrarum orbem peragrare coepisset* (*ὑπὸ θείας ὀπτασίας ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἀπερχόμενος* Menol. Basil.) ac Syracusas, Romam, Thessalonicam aliaque loca visitasset, Byzantii confessor occubuit anno circiter 820. Sermonem ab eo conscriptum cum brevi encomio reperies apud Migne, Patr. gr. tom. 100, pp. 1199—1212.

Sanctum Proclum, episcopum CP., quem cum Menaeis plura Kalendaria, etiam syriaca, hodie Gregorio socium dant, ex Kalend. CP., retulimus supra ad 24. Octob.

De sanctis episcopis CP. *Maximiano* (431—434) et *Gennadio* (458—471), quos Kal. CP. a Morcellio editum hoc die ciet, magno studio agunt Bollandiani; et de *Maximiano* quidem April. tom. 2, pp. 487, de *Gennadio* autem Augusti tom. 5, p. 148. Signantur etiam in cod. syr. vat. 20.

κα'. 21. *Τὰ ἐν τῷ ναῷ Εἰσόδια τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.*

Sanctissimae Dominae nostrae Deiparae ingressus in templum, latine *Praesentatio B. V. M.;* slav. *Vchod v chram presvjatyja Vladijčicy našeja Bogorodicy i prisnoděvy Marii;* rumen. *Intrarea in basereca a prea sântei Domnei nostre Nascatoriei de Domnedieu.*

In vetustissimis codicibus liturgicis ecclesiae graecae descripta reperitur *ἡ ἐν τῷ ναῷ εἴσοδος;* in Occidente vero primum recepta et Avenione celebrata est festivitas haec an. 1372, quemadmodum ex certis monumentis historicis enotat

---

[1]) Apud eund. Patr. gr. tom. 31, pp. 483—490.

[2]) Ibid. tom. 50, pp. 675—682.

[3]) Cfr. Bolland. ad 8. April., ejusdem mensis tom. 2, p. 580.

Papebrochius in *Metrico gr.* Nov. h. d., quo et Asseman. plurimas de ejusdem festi mysterio Patrum orationes citat. Alias signat Bibliothec. hagiogr. gr. pp. 77—79. Prae caeteris in festi rationes fuse inquirit Benedict. PP. XIV. *De festis B. M. V.* nn. 145—184.

κβ'. 22. *Φιλήμονος, Ἀπφίας καὶ Ἀρχίππου τῶν ἀποστόλων· καὶ Κικιλίας καὶ τῶν σὺν αὐτῇ Βαλλεριανοῦ καὶ Τιβουρτίου.*

SS. Philemonem et Apphiam, sancti Pauli Apostoli discipulos, martyres Colossis in Phrygia, sub Nerone, ad h. d. etiam Martyr. Rom. annuntiat, s. Archippum vero, quem idem Apostolus saepius memorat *(Coloss.* 4 et *Philem.),* ad 20. Martii.

Sanctae Caeciliae, nobilissimae martyri Romanae, sub Marco Aurelio imp. an. 177, Latini non sociant *Valerianum* sponsum, et *Tiburtium,* fratrem; horum memoriam enim seorsim colunt omnes die 14. April. Videnda sunt, quae de sanctis nostris post Bolland. April. tom. 2, pp. 203—211 et Mazoch. t. 1, pp. 207—212 in Acta scribit de Rossi, *Roma sotterranea,* tom. 2, quae et paucis contracta dat cl. Kraus *eod. tit.* pp. 168 seqq., edit. 2.

Caeterum lectiones Breviarii Rom. de s. Caecilia satis concordant cum synaxario Menolog. Basil. ad d. 24. h.

κγ'. 23. *Ἀμφιλοχίου ἐπισκόπου Ἰκονίου· καὶ Γρηγορίου ἐπισκόπου Ἀκραγαντίνων.*

Uterque in Martyrol. Rom. h. d. annuntiatur, et prior quidem cum hoc elogio: *Iconii in Lycaonia s. Amphilochii episcopi, qui sanctorum Basilii et Gregorii Nazianzeni in eremo socius et in episcopatu collega post multa certamina pro catholica fide suscepta, sanctitate et doctrina clarus quievit in pace sub finem saeculi quarti.* Non solum praedictorum Basilii M., Gregorii Theologi aliorumque veterum scriptorum ecclesiasticorum, a Baronio ad h. d. citatorum, summis laudibus celebratur, sed et imperatoria constitutione imprimis laudatus legitur *L. 3. de fide cathol. Cod. Theod.* ob spectatissimam ejus catholicam fidem. Res gestas fuse describit Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 955—970.

S. Gregorius, natus an. 559, *episcopus Agrigenti* in Sicilia, *aliquando Romae in divi Sabae monasterio*[1]) *hospes (μέχρι μέν τινος τῷ τοῦ ἁγίου Σάββα μοναστηρίῳ ἐπιξενούμενος)*, claruit tempore s. Gregorii M.[2]), apud quem falso accusatus an. 591 causam dixit[3]) *calumniantium audaciam multis editis, divina gratia, miraculis comprimendo* an. 594 *(θαυματουργήσας διαφόρως, Θεοῦ χάριτι, κατήσχυνεν αὐτούς:* Menol. Bas.). *Atque ita ad ecclesiam suam reversus* an. 595, *in extrema senectute vita functus est (καὶ οὕτω παραλαβὼν τὴν ἐκκλησίαν ἐν βαθυτάτῳ γήρᾳ τὸν βίον ἀπέλιπεν:* ibid.).

Vitam diligenter accurateque perscripsit Leontius, hegumenus monasterii s. Sabae in Urbe Roma. Eam doctis scholiis ab acutissimo Morcellio illustratam cum operibus vulgavit Migne, Patr. gr. tom. 98, pp. 525—1228.

Caeterum Gregorii Vitam Typicum Chilandariense in divinis Officiis publice legi jussit; unde liquet, quanto in honore sanctus antistes apud monachos montis Atho esset. Cfr. Martinov, *An. eccl. gr.-sl.*, ad d. 19. Nov.

κδ'. 24. *Τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν καὶ ἱερομαρτύρων Κλήμεντος Πάπα Ῥώμης, καὶ Πέτρου Ἀλεξανδρείας.*

De s. Clemente PP. I., qui tertius post beatum Petrum Apostolum pontificatum tenuit (Martyr. Rom. *pridie hujus diei)*, videndi sunt scriptores historiae ecclesiasticae. De scriptis autem s. Clementis, quae germana quaeve apocrypha sint, praeter Migne, *Patr. gr.* tt. 1 et 2 alii plures late disputarunt, qui patres apostolicos illustrarunt (Bardenhewer, *Patrologie,* pp. 47—49). De duabus ejus epistolis ad Corinthios datis, in forma integra nunc primum editis a Philotheo Bryennio peregregium commentarium scripsit cl. D. Bickell in Actis *„Zeitschrift für katholische Theo-*

[1]) Cfr. Metaphrastes *Vita, n. 28.*

[2]) Per errorem factum est, ut in libris Graecorum vixisse dicatur sub Justiniano II. imp., cui a *recisis naribus,* quum e throno ejiceretur an. 695, Ῥινοτμήτου cognomen inditum est.

[3]) Ea de re exstant duae s. Gregorii M. epistolae, altera l. 1, n. 72 (apud Migne, Patr. lat. tom. 77, pp. 526—527), altera l. 3. n. 12 (ibid. p. 614).

logie", 1877, pp. 309—314, in quo legendo uberrimum utilitatis fructum capient christianarum antiquitatum amatores.

S. Petrus Alexandrinus episcopus et martyr anno Christi, ut videtur, 311, aerae martyrum 28, *martyrum persecutionisque sigillum (σφραγὶς καὶ τέλος τοῦ διωγμοῦ)* dictus, quod ultimus Alexandriae, sicut praedixerat, sanguinem fudit auctoritate publica. *Acta sincera* ex Cardinalis Mai *Spicilegio* tom. 3, p. 671 cum operibus exhibet Migne, Patr. gr. tom. 18, pp. 449—522. Cfr. etiam Bardenhewer, *Patrologie*, p. 167.

Vitae compendium habes in Synaxario Menol. Basil. die sequenti, in Breviario Rom. autem perendie, ubi Latini eum colunt. Acta syriace vulgavit Bedjan, tom. 5, pp. 543—561.

κε΄. 25. *Αἰκατερίνης μεγαλομάρτυρος καὶ πανσόφου· καὶ Μερκουρίου μάρτυρος.*

Sanctam magnam martyrem sapientissimam Aecatherinam, latine *Catharinam,* nostri hodie quoque honorant. In Martyrol. Rom. prolixum habet encomium ac velut quoddam passionis compendium. Plenius agonem et coronam ex Actis Metaphrasteis apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 275—302 describit Breviar. Rom.

Sanctae Catharinae Menaea sociam dant *s. Augustam,* imperatricem, uxorem Maximini, quae simul cum ipsa martyrio defuncta legitur in Actis.

Caesareae in Cappadocia passio s. Mercurii militis, qui custodientis se angeli patrocinio et barbaros vicit et Decii saevitiam superavit, multisque auctus tormentorum trophaeis, martyrio coronatus migravit in coelum (Martyr. Rom. h. d.). Fusioribus Acta dat Metaphrast. l. c. pp. 269—276.

κς΄. 26. *Ἀλυπίου τοῦ στυλίτου ἤτοι τοῦ κιονίτου· καὶ Νίκωνος τοῦ Μετανοεῖτε.*

Slav. *Alypia stolpnika;* rumen. *Alipiu stilitulu.*

S. Alypius Hadrianopoli Paphlagoniae ortus, Heraclio imperatore (621—628) floruit. *Diaconus factus, misso rebus hujus saeculi nuntio, columnam ascendit et stylita (ἀνῆλθεν εἰς κίονα, καὶ ἐγένετο στυλίτης) . . . . e vita excessit annos*

natus 108 (*ἐτελεύτησεν ὑπάρχων χρόνων ἑκατὸν ὀκτώ*: Menol. Basil. Cfr. Delehaye, *Les stylites*, p. 14.

S. Nicon, Armenus, cognomento *poenitens, poenitentiam praedicans,* a verbo *Μετανοεῖτε*, h. e., *poenitentiam agite, quod varias orbis partes peragrando omnibus acclamavit* (*βοῶν πρὸς πάντας τὸ Μετανοεῖτε ἀφ᾽ οὗ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔλαβε*: Horolog. magn. h. d.). Claruit sub finem saeculi noni, etiam latinis fastis h. d. inscriptus.

Hodie etiam memoratur *Jacobus, eremita,* de quo consulendus Baron. in *notis ad martyr. Rom.* d. 6. Augusti.

κζ'. 27. *Ἰακώβου μεγαλομάρτυρος τοῦ Πέρσου.*

In Persia s. Jacobi intercisi, martyris conspicui, qui tempore Theodosii junioris, quum in gratiam Isdegerdis regis Christum negasset, et propterea mater ejus et uxor ab ipsius se consuetudine subtraxissent, in se reversus, postea pro Christi confessione regem (Vararanem) *adiit, a quo irato membratim jussus est concidi et capite obtruncari* an. 522: *quo tempore innumeri alii martyres ibidem passi sunt* (Martyrol. Rom. h. d.). Sincera Acta syriaca sanctissimi hujus ac multis certaminibus clari (*πολυάθλου*: Menol. Basil.) martyris (apud Asseman. *Act. martyr. orient.* tom. 1, pp. 237 seqq.) germanice versa reperies apud Zingerle, *Echte Akten hl. Martyrer des Morgenlandes,* part. II, pp. 23—40.

κη' 28. *Τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος. Στεφάνου τοῦ Νέου· καὶ Εἰρηνάρχου μάρτυρος.*

CPoli ss. martyrum Stephani junioris, Basilii, Petri, Andreae et sociorum 339 monachorum, qui sub Constantino Copronymo pro sanctarum imaginum cultu variis excruciati suppliciis veritatem catholicam effuso sanguine confirmarunt (Martyr. Rom. h. d.). *Ab immodicis illis lapidationibus* (*ἐκ τῶν ἀμετρήτων ἐκείνων λιθασμῶν*), *quibus, per terram tractus, vivus et mortuus obruebatur,* novus seu junior Stephanus *est appellatus* (*νέος Στέφανος ἐπωνομάσθη*).

Vitam ac martyrium a Stephano, ecclesiae CPolitanae diacono, quadragesimo secundo post ejus obitum anno conscriptam, graece et latine dat Migne, Patr. gr. tom. 100,

pp. 1067—1186. Martyrio defunctus est anno Christi 767, suo 53: quemadmodum Bollandiani ostendunt Octob. tom. 8, pp. 131—132. Repraesentari *Stephanus* solet utraque manu admotam pectori deferens imaginem Deiparae puerum Jesum in sinu gestantis.

Caeteri martyres cum sancto nostro relati ac duobus synaxariis in Menol. Basil. celebrati martyrium non consummarunt simul cum ipso, quemadmodum in eorundem chronotaxi ostendunt Bolland. Octob. tom. 8, p. 131.

Sebastae in Armenia ss. martyrum Irenarchi, Acacii presbyteri ac septem mulierum; quarum constantia Irenarchus, quum esset carnifex et minister tormentorum, ad Christum conversus, sub Diocletiano imperatore et Maximino praeside una cum Acacio securi percutitur anno circiter 298 (Martyr. Rom. *die praec.).* Ejus Acta fusius recitantur in Menol. Basil.

Hoc die etiam signatam legimus *Memoriam s. Patris Nostri Symeonis Magni logothetae*[1]), *qui et Metaphrastes.*

Hic celeberrimus est *Symeon,* qui sanctorum vitas proprio elegantiorique stylo adornavit, *Μεταφράσεις* appellans, unde ei factum inter scriptores cognomen *Metaphrastae.* Claruit saeculo decimo, a Psello eximiis praeconiis et officio ecclesiastico celebratus. Ea cum variorum commentariis primo tomo operum praefixit Migne, Patr. gr. tom. 114.

κθ'. 29. *Παραμόνου καὶ Φιλουμένου μαρτύρων· καὶ Ἀκακίου τοῦ ἐν τῇ κλίμακι.*

Passio ss. Paramonis et sociorum 375 sub Decio imperatore et Aquilino praeside, anno 250 (Martyr. Rom. h. d.). In graecis Actis tamen non 375, sed 370 *συμμάρτυρες τοῦ ἁγίου Παραμόνου* annuntiantur.

Ancyrae s. Philomeni martyris, qui in persecutione Aureliani imperatoris sub Felice praeside igne probatus, manibus pedibusque ac demum capite clavis confixo, martyrium consummavit. Ita Martyr. Rom. cum Menol. Basil. h. d.

[1]) *Λογοθέτης* proprie erat, qui rationes fiscales vel publicas cognoscit et disceptat sumptusque vel reditus ita dirigit, ut reipublicae potius, quam privatorum jura sustineat.

S. Acacius, qui in scala, slav. *iže v lěstvicě;* rumen. *de la scara;* in Menaeis graecis ad 26. h. monasticam vitam exercuisse legitur in quodam Asiae monasterio, sub abbate sene admodum austero et inhumano.

λ'. 30. *Ἄθλησις τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου Ἀποστόλου Ἀνδρέου, ἀδελφοῦ τοῦ μεγάλου Πέτρου* (Menol. Basil.), *τοῦ πρωτοκλήτου· καὶ Φρουμεντίου ἐπισκόπου τῶν Ἰνδῶν.*

Certamen sancti et clarissimi Apostoli Andreae, fratris magni Petri [1]), *primovocati,* h. e., *vocatione primi,* ante omnes alios ad apostolatum assumpti.

Slav. *Svjatago i vsechvalnago Apostola Andrea pervozvannago;* rumen. *S. sî maritulu Apostolu Andreiu celu antâniu chiamatu.*

Presbyterorum et diaconorum Achaiae epistolam de Actis et martyrio s. Andreae Apostoli ex editione Tischendorfii exhibet Migne, Patr. gr. tom. 2, pp. 1187—1248. Novissimam accuratissimamque editionem adornavit Bonnet in *Analectis Bolland.,* t. 13, pp. 308—378: alibi etiam expedita quaestione sane gravissima, „quanam lingua primitus fuerint Acta conscripta“ (Byzantin. Zeitschrift, t. 3, pp. 458—469). Ab Actis quoad substantiam historiae non discrepat certaminis series in Martyrol. et Breviar. Rom. summatim narrata.

Erat sancti Andreae apud CPolitanos clara memoria insignisque cultus; quin et opinio, quam Photiani per commentitiam synopsim fabulosi Dorothei invexerant [2]), apud eos

[1]) Officium Graecorum hujus diei id in maxima laude Andreae ponit, quod sit *consanguineus frater (συναίμων, ὁμαίμων, σύγγονος, αὐτάδελφος)* Petri *(τοῦ Πέτρου),* vel simpliciter *Supremi (τοῦ κορυφαίου),* ut ecce in *ἀπολυτικίῳ* in fine Vesperarum: *Ὡς τῶν ἀποστόλων πρωτόκλητος, καὶ τοῦ κορυφαίου αὐτάδελφος, τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων, Ἀνδρέα, ἱκέτευε, εἰρήνην τῇ οἰκουμένῃ δωρήσασθαι καὶ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὸ μέγα ἔλεος.*

[2]) Falsam antiquorum Byzantii episcoporum *synopsim Dorothean.* non tum esse in lucem prolatam, quum s. Joannes PP. I. CPolim venit a. 525, et controversia de primatu sine ulla veri specie orta fertur, sed Photiano saeculo primum per fraudem confictam, contra Cave fusius ostendit Morcelli *Corollar. de auctoritate fastorum eccl. CP.* nn. 4—6, pp. 242—247.

demum invaluit, christianam religionem Byzantii ab eo exordium duxisse, et Stachym (31. Octob.) primum ab eodem episcopum esse constitutum: quam tamen Bollandiani egregie refutarunt *locis supra cit.* ad d. 4. Junii pp. 172, 173, 174, et ad d. 31. Octob. p. 311.

Sanctum Andream Russi quoque non tantum ecclesiae suae patronum esse, sed et Apostolum fuisse gloriantur, atque eximiis laudibus exornant, quemadmodum post Papebroch., Kulčin., Asseman. ostendit Martinov ad h. d. Verum criticorum judicium est, plura in popularibus istis de s. Andrea *παραδόσεσι* contineri *ἀσύστατα*, non quidem, ut interpretari debemus, mala fide excogitata, sed vero per homines hujusmodi scripta vel collecta, quos sua ipsa in Apostolum pia animi affectio nimium stimulabat. Late ac solide idem hoc argumentum nuper persecutus est Rmus. episcopus Pelesz, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom* c. 9, Die Andreassage pp. 34—42.

Alias res cognitione dignissimas invenies in Bibliotheca hagiographica gr., pp. 6—8.

Apud Indos sancti Frumentii episcopi, qui ibi primum captivus, deinde episcopus a sancto Athanasio ordinatus an. 353, *Evangelium in ea provincia* [1]) *propagavit* (Martyr. Rom. d. 27. Octob.). Res ejus gestas paucis complexi sunt Rufin. *Hist. eccles.* l. 1, c. 9. apud Migne, Patr. lat. tom. 21, pp. 478—479 et Theodoret. *Hist. eccl.* l. 1, c. 22. (al. 23) apud eund. Patr. gr. tom. 82, pp. 969—972. Sed iis longe uberius atque accuratius „Habessinorum Apostolum" omnibus ex partibus illustravit Carpentier, socius Bollandianus, in Act. SS., Oct. t. 12, pp. 257—270.

[1]) Animadvertit Carpentier, l. c., triplicem fuisse *Indiam* veterum, *aethiopicam, arabicam* et *brachmanicam;* Frumentium vero in aethiopica tantum, et quidem apud Aethiopes orientales sive Habessinos „evangelium propagasse".

DECEMBER.

Μὴν Δεκέμβριος; mensis December; slav. *měsjac Dekemvrij;* rumen. *lun'a lui Decembre;* arab. *Kânun el-evvel* (I).

December principalem sui retinet appellationem, inquit Ven. Beda, *De temporum ratione,* p. 1, c. 12 [1]), significans nomine, quotus sit a verno mense, id est, Martio. Quod de *imbribus* addit, id minus placere animadversum est ad initium mensis praecedentis.

α'. 1. *Ναοὺμ τοῦ προφήτου· καὶ Ἀνανίου τοῦ Πέρσου μάρτυρος· καὶ Φιλαρέτου τοῦ ἐλεήμονος.*

Nahum, septimus inter duodecim minores prophetas, claruit saeculis octavo et septimo ante Ch., in Martyrologio Rom. etiam ad h. d. signatus. Qui a Baronio in notis indicantur fontes, unde erui vita prophetae possit, censura indigent et castigatione non modica; quemadmodum inter omnes ejus prophetiae interpretes constat.

S. Ananiae martyris Arbele in Persia (Martyr. Rom. h. d.) cruciatus breviter narrantur in Menol. Basil.

S. Philaretus, incredibili in pauperes liberalitate clarus sub Irene imperatrice († 802), atque inde *eleemosynarii* titulo insignitus, proprio synaxario celebratur in Menol. Basil. ad diem proxime sequentem l. c. — Sanctos Ananiam et Philaretum iisdem titulis exornant codices syr. vat. 20 et 21.

β'. 2. *Ἀββακοὺμ τοῦ προφήτου.*

Habacuc, προφήτης τῇ τάξει ὄγδοος ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ιβ'. ἐλασσόνων, ordine octavus in numero 12 minorum pro-

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 90, p. 351.

phetarum (Horol. magn.), vaticinatus est labente Judae regno, eodem, quo Jeremias, tempore, tabulis Ecclesiae Romanae cum *Michaea* inscriptus ad 18. Januar., quo die Bollandus pp. 276—277 multa collegit ex antiquis monumentis, quae tamen non optima esse praemonuimus ad diem hesternum. Scholastica consuetudine variae de prophetis quaestiones delatae jam sunt ad propriam disciplinam introductionis in sacras literas.

γ'. 3. *Σοφονίου τοῦ προφήτου.*

Sophonias ἔννατος ὑπάρχων τῇ τάξει, nonus in ordine 12 minorum prophetarum floruit saeculo septimo ante Ch., Martyrologio Rom. h. d. receptus. De eo disserere jam praeoccupasse, qui introductionem in sacram scripturam tradunt, animadvertimus pridie hujus diei.

Trias haec prophetarum (Nahum, Habacuc, Sophonias) etiam in antiquis cod. syr. vat. primis istis tribus diebus Decembris referuntur.

δ'. 4. *Βαρβάρας μεγαλομάρτυρος· καὶ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ.*

Nicomediae passio s. Barbarae virginis et martyris, quae in persecutione Maximini, post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mamillarum praecisionem atque alia tormenta gladio martyrium consummavit intra annos 235 et 236 (Martyr. Rom. h. d.). Quamvis nihil in Actis ejus exploratum ac tutum occurrat, eam tamen Heliopoli in Phoenice ortam credunt Asseman. et Morcelli ad h. d., ubi ea de re strictim agunt.

Damasci natalis beati Joannis Damasceni, sanctitate et doctrina celebris, qui pro cultu sanctarum imaginum verbo et scriptis adversus Leonem Isauricum (ab an. 716 ad 741) *strenue decertavit: cujus jussu quum ei dextera manus amputata fuisset, imagini Beatae Mariae Virginis, quam defenderat, seipsum commendans, protinus dexteram integram sanamque recepit.* Ita Martyrol. Rom. ad 6. Maji, quo die Papebrochius de ejus Vita copiose agit in Act. SS. Maji tom. 2, pp. 108—118, quibus jungendae sunt recentiores curae Card. Quirini *Diatribe* 3, pp. 73—80. — Authen-

ticum vitae laudumque compendium habes in lectionibus novi Officii, quod Leo PP. XIII. „universae ecclesiae concessit“ d. 19. Aug. 1890.

Obiit in monasterio s. Sabae prope Hierosolyma, Papebrochio judice anno Christi 780, suo 104, *propter eloquentiam Chrysorrhoas cognominatus* (*ἐπωνομάσθη Χρυσοῤῥόας διὰ τὴν τῶν λόγων αὐτοῦ ῥητορείαν*), a *Damasco* autem, ubi praefecti munere functus erat, vulgo *Damascenus* nuncupatus. Opera cum Vita et variorum dissertationibus videas apud Migne, Patr. gr. tt. 94—96 jctis. novissimis commentariis relatis a Bardenhewer, *Patrol.* pp. 529 et 546. In iis praeclarissimum habetur testimonium veritatis catholicae *de independentia Ecclesiae,* quod quum lectori ss. canonum cupido deberi non posse censeamus, hic proferemus. Ait igitur *Χρυσοῤῥόας* de Imag. Orat. 2, n. 12 (apud Migne, Patr. gr. tt. 94, pp. 1295—1298):

Οὐ βασιλέων ἐστὶ νομοθετεῖν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Τί φησιν ὁ θεῖος Ἀπόστολος; „Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ· πρῶτον, ἀποστόλους· δεύτερον, προφήτας· τρίτον, ποιμένας καὶ διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῆς Ἐκκλησίας.“ Οὐκ εἶπε, βασιλεῖς. Καὶ πάλιν· „Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. Αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες.“ Καὶ αὖθις· „Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἀναστροφὴν, ζηλοῦτε τὴν πίστιν.“ Οὐκ ἐλάλησαν ἡμῖν τὸν λόγον οἱ βασιλεῖς, ἀλλὰ ἀπόστολοι καὶ προφῆται, ποιμένες τε καὶ διδάσκαλοι. Τῷ Δαβὶδ ἐντειλάμενος ὁ Θεὸς οἰκοδομῆσαι αὐτῷ οἶκον, ἔφη πρὸς αὐτὸν, ὅτι „Οὐκ οἰκοδομήσεις μοι σὺ οἶκον, ἐπειδὴ ἀνὴρ αἱμάτων σὺ εἶ.“ — „Ἀπόδοτε πᾶσι τὰς ὀφειλὰς, ὁ Ἀπόστολος ἀνακέκραγε Παῦλος, τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὸν φόρον, τὸν

Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiae leges sanciant. Attende quid dicat Apostolus. „Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiae.“ Non adjecit, imperatores. Et rursum: „Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.“ Idemque rursus: „Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.“ Verbum locuti non sunt vobis reges, sed apostoli et prophetae, pastoresque et doctores. Quum Deus Davidi de domo sibi aedificanda injunxisset, sic posthac eum allocutus est: „Non tu aedificabis mihi domum, quia vir sanguinum es.“ — „Reddite omnibus debita, clamabat Apostolus, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui

φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος·“ Βασιλέων ἐστὶν ἡ πολιτικὴ εὐπραξία· ἡ δὲ ἐκκλησιαστικὴ κατάστασις, ποιμένων καὶ διδασκάλων. Ληστρικὴ ἔφοδός ἐστιν αὕτη, ἀδελφοί. Ὁ Σαοὺλ τὸ ἱμάτιον ἔσχισε τοῦ Σαμουὴλ, καὶ τί πέπονθεν; Ἔσχισε τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ὁ Θεὸς, καὶ δέδωκεν αὐτὴν Δαβὶδ τῷ πραοτάτῳ. Τὸν Ἠλίαν Ἰεζάβελ ἐδίωξε, καὶ ἐξέλειξαν αἱ ὕες καὶ οἱ κύνες τὸ αἷμα αὐτῆς, καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν αὐτῷ. Ἡρώδης ἀνεῖλε τὸν Ἰωάννην, καὶ σκωληκόβροτος γενόμενος, ἐξέψυξε. Καὶ νῦν ὁ μακάριος Γερμανὸς, ὁ βίῳ καὶ λόγῳ ἐξαστράπτων, ἐῤῥαπίσθη, καὶ ἐξόριστος γέγονε, καὶ ἕτεροι πλεῖστοι ἐπίσκοποι καὶ Πατέρες ὧν οὐκ οἴδαμεν τὰ ὀνόματα. Οὐ ληστρικὸν τοῦτο; Ὁ Κύριος, ὅτε πειραστικῶς αὐτῷ οἱ Γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι προσήεσαν, ἵνα παγιδεύσωσιν αὐτὸν λόγῳ, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτόν· Εἰ ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι;“ πρὸς αὐτοὺς ἀπεκρίνατο· „Ἀγάγετέ μοι νόμισμα.“ Τῶν δὲ ἀγαγόντων, ἔφη· „Τίνος ἔχει τὴν εἰκόνα“; Τῶν δὲ φησάντων· Καίσαρος, λέγει· „Ἀπόδοτε τὰ τοῦ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τά τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ.“ Ὑπείκομέν σοι, ὦ βασιλεῦ, ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον πράγμασι, φόροις, τέλεσι, δοσιληψίαις, ἐν οἷς σοι τὰ καθ’ ἡμᾶς ἐγκεχείρισται· ἐν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει, ἔχομεν τοὺς ποιμένας, τοὺς λαλήσαντας ἡμῖν τὸν λόγον καὶ τυπώσαντας τὴν ἐκκλησιαστικὴν θεσμοθεσίαν. Οὐ μεταίρομεν ὅρια αἰώνια, ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες ἡμῶν, ἀλλὰ κατέχομεν τὰς παραδόσεις, καθὼς παρελάβομεν. Εἰ γὰρ ἀρξόμεθα τὴν οἰκοδομὴν τῆς Ἐκκλησίας κἂν ἐν μικρῷ καθαιρεῖν, κατὰ σμικρὸν τὸ πᾶν καταλυθήσεται.

honorem, honorem.“ Ad imperatores spectat recta rei publicae administratio: Ecclesiae regimen, ad pastores et doctores. Ejusmodi invasio latrocinium est, fratres. Quum Samuelis pallium scidisset Saul, quid ei contigit? Regnum ipsius abscidit Deus, et hominum mansuetissimo Davidi tradidit. Eliam Jesabel insectata est, sanguinemque ipsius linxerunt canes et sues; quin et meretrices lotae sunt in eo. Joannem Herodes interfecit, et a vermibus consumptus periit. Nunc quoque beatus Germanus tum vita, tum dicendi gratia resplendens, plagis affectus, exsulat, cum pluribus aliis episcopis, quorum nomina ignota nobis sunt: nonne hoc praedatorium est? Quando ad Dominum accesserunt Scribae et Pharisaei, ut illum tentarent, atque ab eo quaesierunt: „Liceretne censum dare Caesari, annon?“ dixit: „Ostendite mihi numisma census.“ Quod quum illi ostendissent, ait: „Cujus habet imaginem?“ Respondentibus illis: Caesaris, subdidit: „Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.“ Tibi parebimus, o imperator, in his quae ad hujus saeculi negotia pertinent, in tributis solvendis ac vectigalibus, muneraque tua accipiendo, et in quibus rerum nostrarum administratio tibi credita est; verum ad res Ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ecclesiastica instituta tradiderunt. Non transferimus terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri: quin potius traditiones, quemadmodum eas accepimus, retinemus et tuemur. Si enim Ecclesiae aedificium vel parvis in rebus demoliri inceperimus, totum paulatim dissolvetur.

Corrollarium juris ecclesiastici.

Quae Damasceni verba si gravissimis illis testimoniis *de independentia magistratuum ecclesiasticorum* junxeris, quae protulimus supra ex ss. Athanasio (p. 75), Gregorio Naz. (p. 82), Joanne Chrysostomo (p. 83), Isidoro Pelus. (p. 94), Aemiliano Cyziceno (p. 242), Theodoro Studita (p. 322), facili negotio perspicies, quam aliena a divina Ecclesiae constitutione sint tum quae in lege fundamentali ecclesiae orientalis in regno Graeciae habentur *de suprema potestate regis in res ecclesiasticas* [1]), tum maxime quae in *Regulamento ecclesiastico (duchovnij reglament) ecclesiae russae* d. 7. Sept. 1721 statuuntur de omnimoda sacerdotii dependentia ab imperio civili. Per hoc edictum enim Petrus I. collegio suo *caesareo*, quod *synodum perpetuam et gubernantem* vocant, administrationem et rerum omnium ad religionem et ecclesiam pertinentium curam ita per omnia commissam voluit, ut ipsius synodi caput et *supremus judex (krajnij sudija)* sit ipse imperator, exigendo etiam ut unumquodque synodi membrum, quum adit officium suum, jurejurando testetur, ex animo se agnoscere summam illam imperatoris in rebus ecclesiasticis auctoritatem et potestatem [2]).

ε'. 5. *Τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Σάββα, τοῦ ἡγιασμένου.*

Sancti ac deiferi patris nostri Sabae, sanctificati; slav. *Prepodobnago i bogonosnago otca našego Savvy, osvjaščennago;* rumen. *Cuv. sî portatoriulu de Domnedieu parentele nostru Sav'a celu santîtu.*

S. Sabas, ab insigni *sanctitate ἡγιασμένου,* a *sancta civitate Jerusalem Hagiopolitae* cognomento appellatus, gente Cappadox, *a pueritia monachus factus* (*μικρὸς ὢν ἔτι τὴν ἡλικίαν, ἐγένετο μοναχός*), *majorum certaminum majorisque virtutis studio incensus* anno aetatis 18. *ad magnum Euthymium* (20. Januar.) *se contulit, a quo in monasterium in-*

[1]) *Η ἐκκλησία τοῦ βασιλείου τῆς Ἑλλάδος κατὰ τὸ διοικητικὸν μέρος ἔχουσα ἀρχηγὸν τὸν βασιλέα τῆς Ἑλλάδος.* Ita triginta sex episcopi graeci in conventu Naupliae celebrato die 15—27. Julii an. 1833, apud Tondini *Le Pape de Rome et les Papes de l' église orthodoxe d' Orient.* p. 175.

[2]) Legito Tondini *Règlement ecclésiastique de Pierre le grand,* p. 10; jcto. Arndt, *Die Reform der russischen Kirche durch Zar Peter I.* in „Zeitschrift für kath. Theologie", 1894, pp. 427—455.

ferius ad sanctum Theoctistum (3. Sept.) *missus, ea contentione virtutes persecutus est, ut monachos omnes superaverit* (Menolog. Basil.). *Mansit in coenobio* (ἐν τῷ κοινοβίῳ) *annis 17, et in solitudinibus maximaque Laura* (ἐν ταῖς ἐρήμοις καὶ τῇ μεγίστῃ λαύρᾳ) *annos transegit 59, obiit vero aetatis suae 94.,* Christi 532 (Cyrill. in *Vita* n. 77).

De *Typico s. Sabae,* quod vocant, consuli poterunt *animadversiones* Theodori Toscani, hieromonachi τῆς Κρυπτοφέῤῥης, in Kalendario hoc nostro identidem adductae.

In Martyrol. Rom. annuntiatur: *Mutalae in Cappadocia s. Sabae abbatis, qui in Palaestina miro sanctitatis exemplo refulsit, et pro fide catholica adversus impugnantes sanctam synodum Chalcedonensem strenue laboravit.* Vitam Cyrillus Scythopolitanus scripsit *cum studio et labore et accuratione* (περιφροντίσας καὶ πονήσας καὶ σὺν ἀκριβείᾳ), ut ipse auctor testatur et doctorum hominum elogia confirmant. Fidelem ejus interpretationem cum ipso textu graeco *Ecclesiae gr. monumentis* inseruit Cotelerius tom. 3, pp. 220—376.

Vetus est Romae memoria *s. Sabae,* ejusdemque nomine *famosum monasterium* ritus graeci in Aventino meminit Joan. diacon. in *Vita s. Gregorii* l. 1, c. 9, a Romanis Pontificibus idcirco semper bene habitum, quod id commodi ex eo caperent, ut in vicinia nunquam desiderarentur pii ac docti viri, qui graeci nati graece scirent atque ita graecas epistolas fideliter interpretari et conciliorum causa in Orientem legari possent. Hujus monasterii etiam parietinae aliqua ex parte adhuc prope templum stant, cum ejusdem fundo atque ipso templo nunc Collegio Germanico et Hungarico applicatae. Nonnulla de ejus originibus olim disputavit Morcelli loco cit. supra p. 334. Nunc vero praeclara exstat lectuque dignissima dissertatio Cardinalis Steinhuber, in qua Emus. auctor, rerum illius Collegii experientissimus ut est, cuncta quae ad antiquitatem et historiam praedicti monasterii spectant, eleganter ac solide persequitur (*Geschichte des Collegium Germanicum-Hungaricum in Rom,* t. 1, pp. 104—111).

Et quoniam Sanctus noster *cunctorum Palaestinae anachoretarum* [1]) *Archimandrita exstitit, praetereaque maximam et illustrissimam*

[1]) Cyrill. in *Vita s. Sabae,* n. 7.

lauram[1]) *omnibus Palaestinae lauris eminentiorem* (*τὴν μεγίστην τε καὶ περιφανεστάτην λαύραν, τὴν ὑπερέχουσαν πασῶν τῶν ἐν Παλαιστίνῃ λαυρῶν*) *constituit, idemque princeps dux et legislator fuit cunctorum, qui secessuri solique apud semetipsos mansuri erant* (*ἁπάντων τῶν καθ' ἑαυτοὺς ἀναχωρούντων*), ad hunc diem laurae ejusque incolarum notitiam paucis exhibendam censemus.

Sunt igitur qui nomen *laurae* deducant a fluvio *Laura,* qui regioni vicinae, quam praeterfluit et monasteriis in ea aedificatis nomen dederit, de qua sententia vide Bolland. Januar. tom. 2. p. 683. Alii contra existimant, vocem esse puram putamque graecam; nam *λαῦραν, λαύραν* seu *λάβραν* grammatici cum *Hesychio* exponunt *ῥύμην, viam publicam, δι' ἧς οἱ λαοὶ ῥέουσι, per quam populus fluit seu commeat;* interdum, ut *Suidas, ῥύμην στενὴν ἢ στενωπόν, vicum angustum aut angiportum;* ita ut ad similitudinem *τῶν λαυρῶν* in urbibus exstructae fuerint anachoretarum cellae, quae, quum ab invicem sejunctae essent, angiportus ac vias quodammodo formabant ac referebant. Ita Fullerus, *Miscell. sacr.* l. 2, c. 1. — Aliis denique *κατοικία λαῦρα domus* est *in via publica sita, nullis aliis conjuncta;* et ad Eremitarum habitationem translata *cella separata.* Differebant enim *Laurae* a coenobiis seu monasteriis, quod in coenobiis illi viverent, qui vitam exercebant communem; in *lauris* vero, qui, suis quique distincti cellis, a consortio aliorum separatam et quietam, sub uno tamen abbate; ideo et *eremitae* et *anachoretae* vocati. Sic Cyrillus in *Vita s. Euthymii*[2]) n. 45 et 48 refert, in laura hujus sancti unicuique aedificatam fuisse cellam, et cellas fratrum fuisse a se invicem in media solitudine sejunctas. Et s. Gerasimus in medio laurae coenobium exstruxit, in quo monachi primum exercebantur, quos, quum ad perfectionis mensuram pervenerant, in cellis laurae collocabat; in quorum sortem admissi tantum sunt monachi provectioris aetatis exclusis juvenibus et adolescentibus, ut est apud Cyrillum in cit. *Vita s. Euthymii* n. 40, 88, 89.

Eadem ferme ratio vivendi anachoretis in hisce lauris, quae Nitriensibus eremitis in Aegypto. Quinque dies hebdomadae unusquisque in cella manens silebat, nihil gustans nisi panem et aquam et dactylos; sabbato autem et dominico die omnes congregabantur in ecclesia ss. eucharistiam percepturi. Cfr. Cyrill. in *Euthymio* nn. 89—90.

---

[1]) Plura de „maxima hac laura“ cognoscendi cupidum lectorem remittimus ad insignem articulum cl. Dr. Ehrhard, *Das griechische Kloster Mar-Saba in Palaestina* (Röm. Quartalschrift, 1893, pp. 32—79).

[2]) Apud Bollandianos Januar. tom. 2, pp. 666—692.

ς'. 6. *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικολάου, ἀρχιεπισκόπου Μύρων τῆς Λυκίας, τοῦ θαυματουργοῦ.*

S. P. N. Nicolai, archiepiscopi Myrorum in Lycia, thaumaturgi; slav. *Iže vo svjatych otca našego Nikolaja, archiepiskopa Myr Lykijskich, čudotvorca;* rumen. *Celu deintru sânti parent. nostru Nicolau, archiepiscopulu dela Mir'a Liciei, facatoriulu de minuni.*

Etiam ex legis civilis praescripto *sextus dies Decembris* [1]) *festivus est propter Nicolaum miraculis illustrem unguentoque scaturientem* (*διὰ τὸν ἐν θαύμασι περιώνυμον καὶ μυροβλύτην Νικόλαον*). *Constantino Magno imp. floruit iste magnus pontifex et thaumaturgus episcopus* (*οὗτος ὁ μέγας ἀρχιερεὺς καὶ θαυματουργὸς ἐπίσκοπος*: Menol. Basil.) ac Concilio Nicaeno interfuisse dicitur. Ejus res gestas brevi compendio referunt Martyrol. et Breviar. Rom. ac Menol. Bas. l. c., fusiori elegantiorique stylo illustrat Metaphrastes apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 317—356; alia invenies in *Biblioth. hagiogr. gr.*, pp. 96—97. In libris liturgicis honorifico cognomento *τοῦ ἱεροκηρύκου* et *τοῦ πατροκορυφαίου* insignitur.

De prodigioso liquore ex ossibus s. Nicolai scaturiente deque aliis innumeris fere miraculis plurima exstant antiquitatis monumenta graece ac latine scripta, de quibus videri possunt Papebroch., Asseman., Morcell. aliique ad h. d. Nos, qui brevitati studemus, id unum adjicimus, penes Rumenos cath. rit. gr. decreto synodali stricte esse praescriptum, ut „in quovis templo adsit imago s. Nicolai" [2]).

De cognomento *Μυροβλύτου* consule quae superius notata sunt in *s. Demetrio* die 26. Octob., p. 308.

Festum hodiernum dictum in antiquis Kalendariis latinis fuisse *s. Nicolai hiemalis*, quo scilicet a solemnitate translationis reliquiarum *in Majo* distingueretur, notavimus supra p. 156.

---

[1]) Ita Manuel Comnen. imperator (1143—1181) in constitutione *de feriis*, quam suis ad Photii Nomocanonem scholiis inseruit Theodor. Balsamon, apud Migne, Patr. gr. tom. 104, pp. 1071—1072 atque in forma extensa dat idem, Patr. cit. tom. 133, pp. 749—762.

[2]) Videantur *Symbolae* nostrae, t. 1, p. 254.

ζ'. 7. Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνων.

Mediolani ordinatio s. Ambrosii episcopi et Ecclesiae doctoris, cujus sanctitate et doctrina universalis Ecclesia decoratur (Martyrol. Rom. h. d.). Obiit an. 397, 4. April., quo die ejus *depositio* in fastis ecclesiae romanae signata legitur.

Sanctissimi viri res praeclarissime gestas praeter alios fideliter scripsit Paulinus ejus notarius, et ex recentioribus Aloys. Baunard egregio opere *Historia s. Ambrosii*, quod in varias linguas translatum exstat. Opera habes apud Migne, Patr. lat. tt. 14—17. Legi etiam de Ambrosii laudibus meretur insignis epist. 197 sancti Basilii M. apud eundem Patr. gr. tom. 32, pp. 709—712. *S. Ambrosii* autem apud Graecos colendi aeque ac *s. Gregorii M.* occasionem primam esse arbitratur Papebroch. *Ephemer. gr.* h. d. vel ipsas eorum vitas vel illustriora quaedam opera ex latina in linguam graecam conversa.

η'. 8. Πατaπίου τοῦ ὁσίου.

Utriusque ecclesiae tabulis *sancti Patapii* memoria ad h. d. est consignata. *Thebis in Aegypto natus* saeculo septimo, *monachus factus in eremum secessit, ubi diu quietam vitam egit. Postea relicta eremo CPolim profectus, plurima patravit miracula* (Menol. Basil.): sic Deo instituente ac permovente, ut regiam urbem non sermonibus sed egregio vitae exemplo ad pietatem moresque sanctos componeret. Vitam *exornativo sermone* (τοῖς τῶν ἐπαίνων λόγοις) scripsit s. Andreas Cretensis apud Migne, Patr. gr. tom. 97, pp. 1205—1254; ejusque illustre compendium fecit Metaphrastes ibid. tom. 116, pp. 357—368.

θ'. 9. Ἡ Σύλληψις τῆς ἁγίας καὶ θεοπρομήτορος Ἄννης.

Conceptio s. Annae, matris Deigenitricis; in Constitutione Manuelis Comneni imperatoris, supra cit. ad 6. h., festum vocatur τῆς συλλήψεως τῆς ὑπεραγίας μητρὸς τοῦ θεοῦ ἡμῶν, *Conceptionis sanctissimae Matris Dei nostri;* in Kalendariis graeco-slavis annuntiatur: *Conceptio s. Annae, quando concepit ss. Deiparam;* slav. *Začatije svjatyja Anny,*

jegda začat presvjatuju Bogorodicu; rumen. *Inceperea sântei Ane, candu a inceputu pre prea sânt'a Vergura;* arab. *Chabl Channa fî sett'nâ Marjam;* syriac. *'îdâ d'batnûthâh d'mârt Marjam d'lâ mômâ.*

In Kalendariis italo-graecis festi titulus est: *Ἡ Ἄμωμος Σύλληψις τῆς ὑπεραγίας παρθένου Μαρίας· μεγ. α'. σὺν τῇ ἑορτῇ ὀκταημ.*

A Latinis celebratur die praecedenti.

Praeter duas Decretales Sixti PP. IV., in corpore juris can. relatas *tit. de reliq. et venerat. SS. Extrav. com.,* huc spectant *Literae Apostolicae* Pii PP. IX. *Ineffabilis Deus,* quibus dogma fidei declaratum est *beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem;* de qua definitione multa et praeclara invenies apud Hurter, *Compend. theol. dogm. tom. 2, thes. 162*, edit. 8, pp. 459—474. Ex iis rariora quaedam traditionis monumenta mox dabimus ad calcem hujus diei. — Graeco-Slavorum fidem de immaculata ss. Deiparae conceptione testatur Culcinius p. 103 multisque allatis documentis probant Martinov h. d. et Gagarin in proprio commentario *L' Eglise Russe et l' Immaculée Conception.* Paris. 1876.

Festi hujus primordia apud Graecos temporibus s. Joannis Damasceni, h. e. initio saeculi octavi, adscribit Asseman. h. d.; apud Latinos vero nonnisi a saeculo nono repetenda censet, quod sc. *Kalendarium marmoreum Neapolitanum,* eo saeculo exaratum, celebritatem hodiernam primum in Occidente referat. Verum saeculo septimo posteriorem non esse Conceptionis B. M. V. solemnitatem affirmat Sergius ad h. d., quod officium ejus jam scripserit s. Andreas Cretensis, mortuus an. 712.

Rariora quaedam traditionis monumenta *de immaculato B. M. V. conceptu* ex Hurter l. c. petita.

Ex *epistola presbyterorum et diaconorum Achajae de martyrio s. Andreae Ap.* (Migne, *Patrol. gr.* t. 2, p. 1226): „Et quoniam de *immaculata* terra factus fuerat homo primus, qui per ligni praevaricationem mundo mortem intulerat: necessarium fuit, ut de *immaculata* (eo sensu, quo dicitur antea terra immaculata, i. e.

nullo maledicto originali obnoxia) Virgine nasceretur perfectus homo Filius Dei, vitam aeternam, quam per Adamum perdiderant homines, repararet, ac per lignum crucis lignum concupiscentiae excluderet.“ Scimus quidem hujus epistolae genuinitatem in dubium revocari, sed etsi non sit saeculi primi, *venerandae* tamen est *antiquitatis*, cum ex ea desumpta sit praefatio in *Missali gothico* vetustissimo apud Mabillonum *lit. gallic.* l. 3. n. 17. pag. 221. S. Hippolytus M., qui floruit ineunte saec. III, apud Theodoretum *dial.* 1. p. 36. (ibid. t. 10, p. 863): „Porro autem arca“, inquit, „ex lignis, quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers ejus tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit . . . Dominus autem peccati expers erat et ex lignis *putrefactioni non obnoxiis* secundum hominem, h. e. *ex Virgine* et ex Spiritu sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus.“ S. Ephraem *(in carmin. Nisibenis* ed. Bickell p. 122): „Tu, Domine, et mater tua, vos *soli* estis *omnino omni ex parte sancti;* in te enim, Domine, nulla est macula, *nec ulla labes in matre tua*“. In libro apocrypho, sed antiquissimo sec. IV. de *transitu b. Mariae (Journal of sacred literature* 1865. I, 3): „Ipsa benedicta erat etiam sancta et Deo electa inde a tempore, quo in utero matris concepta est.“ Augustinus in *serm.* 118. (edito ab em. Card. Mai in *Patrum nova biblioth.* t. 1. p. 1. pag. 248) de Evang., ubi Dominus de aqua vinum fecit n. 1, postquam humanum genus exhibet quasi conjugio sociatum daemoni, suo in protoparentibus deceptori, ita prosequitur: „Dum itaque in unius discubitionis instramento (pro stramento, strato) jactati diabolus et anima lascivirent, invitato Jesu . . . (desunt aliqua in cod. ob vetustatem attrito) dum vina luxuriae defecerunt. Genitrix autem Christi illa, quae facinorosi concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore, verum etiam *mente virgo permansit*, intererat invitata conditione generis, *non participatione criminis;* universitate nascendi, *non societate peccandi,* quae . . . Christo, non quae mundo consentiret immundo.“ Vix melius, clarius et tanto ingenio dignius dogma catholicum enunciari potest. Cf. etiam *Operis imperf.* l. 4, n. 122.

Gregorius Narekiensis saec. X. scriptor armenus Mariam dicit „primae reae mulieris filiam inculpatam“; *„carentem peccati fomite,* maledictione humani generis liberam, et carentem fomite“; Georg. Vardanus scriptor saec. XIII. etiam armenus „immunem crimine Evae“, apud Mai, *Bibl. nova patrum* t. 1. p. 452. annot. 3. Item Georg. Varda hymnogr. nestorianus saec. XIII. sub initio *(Directorium spirituale* ed. Elias Joan. Millos, archiep. acrensis, Romae 1862. p. 252 257) scribit: „Quis mente cogitare, ore eloqui et explicare posset illam castam, puram, sanctam, sanctificatam, absconditam semper Virginem, quae sanctificata erat inde a conceptione sua et segregata inde ab utero. Benedicta es, o vellus, quo viso Gedeon tuum cognovit mysterium; ros enim, qui

in te descendit, in alium nullum locum se demisit: et imber ille, qui alios omnes locos invasit, ne unicam quidem guttulam tibi aspergere potuit.“ Sed *luculentissimum argumentum* pro consensu sectarum Orientis cum Ecclesia catholica de hac veritate exhibet P. Josephus Besson S. J. superior missionum soc. Jesu in Syria et Perside († 1691), qui invitatis tribus patriarchis et uno archiepiscopo probavit productis ducentis circiter locis ex orientalium libris liturgicis vetustissimis, hanc fuisse constantem sententiam *ecclesiarum omnium et populorum orientalium* circa immunitatem Virginis beatissimae *ab omni originalis peccati labe* atque festum ipsum immaculatae conceptionis; quam declarationem solemniter subscripserunt praesentibus testibus et Francisco Baron, Galliarum consule, tres illi patriarchae et archiepiscopus et quidem non sola nominis appositione, sed hunc in modum: „Ego pauper Ignatius Andreas patriarcha Antiochenus nationis syrorum confirmo hanc sententiam orthodoxam, quam explanavit P. Josephus e S. J., dominam nostram Virginem purissimam s. Mariam *semper liberam* exstitisse et immunem *a peccato originali*, ut explicuerunt antiqui ss. patres longe plurimi, magistri orientalis Ecclesiae.“ Simili forma subscripserunt reliqui. Cf. *Civiltà cattolica* 1876. t. 11. fasc. 635. p. 541 ss., ubi plura sectarum Orientis testimonia pro hac veritate e codice a P. Besson magna diligentia conscripto, sed adhuc inedito, proferuntur.

ι′ 10. *Μηνᾶ τοῦ Καλλικελάδου, Ἑρμογένους καὶ Εὐγράφου μαρτύρων.*

Alexandriae ss. martyrum Mennae, Hermogenis et Eugraphi, qui sub Maximino passi sunt (Martyrol. Rom. h. d.). Eorum certamen breviter describit Menol. Basil., plenius Metaphrastes, apud Migne, Patr. gr. t. 116, pp. 367—416.

Animadvertit Baron. h. d., hodiernum *Mennam* alium esse a *Menna,* quem Cotyaei in Phrygia passum esse diximus supra ad d. 11. Novemb.; celebratur autem in libris liturgicis ut *qui sapientia et eloquentia plurimum posset (ὡς σοφὸς καὶ ῥήτωρ), a vocis elegantia* immo *Calliceladus cognominatus (ἀνὴρ εὔγλωττος, ἀφ᾽ οὗ καὶ Καλλικέλαδος ἐπωνομάσθη).* Translatio ejus corporis in urbem regiam celebratur die 17. Februarii.

ια′. 11. *Δανιὴλ τοῦ στυλίτου.*

Hic in Mesopotamia Syriae natus saeculo quinto, *Leone magno imperatore, quinquennis monachus factus est. Postea*

perrexit ad magnum Simeonem stylitam, qui et Danieli benedixit. Tum ex divina revelatione in Anaplum, haud procul a CPoli, *profectus se in idolorum fano inclusit, multis molestiis a daemonibus affectus. Postremo conscensa columna factus est stylita* (*ἀνῆλθεν εἰς κίονα, καὶ ἐγένετο στυλίτης*) . . . *ac multa miracula patravit* (Menol. Basil.); Martyrol. Rom. etiam ad h. d. insertus.

Admirabilem Danielis vitam fusius exsequitur Metaphrastes l. c. pp. 269—1038. Doctas de eo animadversiones scripsit Asseman. *Acta ss. mart. or.* t. 2, pp. 225 seqq. Cfr. etiam Delehaye, *Les Stylites,* pp. 12—13.

Quae in multis libris liturgicis ad hunc diem signatur *κυριακὴ τῶν ἁγίων προπατόρων*, est *Dominica proparentum* Abraham, Isaac et Jacob, in synaxario relatorum, de qua solemnitate in altera parte *de festis mobilibus.*

ιβ'. 12. *Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ θαυματουργοῦ Σπυρίδωνος.*

Slav. *Prepodobnago otca našego Spyridona čudotvorca;* rumen. *Celu deintru sânti parent. nostru sî facatoriulu de minuni Spiridonu.*

In Cypro insula natalis beati Spiridionis episcopi Trimithuntis, *qui unus fuit ex illis confessoribus, quos Maximinus dextro oculo effosso et sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat. Hic prophetiae dono et signorum gloria inclytus fuit, et in Nicaeno Concilio philosophum ethnicum christianae religioni insultantem devicit et ad fidem perduxit* (Martyr. Rom. d. 14. h.). Ejus Acta habentur summatim expressa apud Rufin. *Hist. eccles.* l. 1, c. 5 [1]) et in Menol. Basil., uberius autem exornata apud Metaphrasten l. c. pp. 417—468, et quae speciatim ad conversionem philosophi pertinent, nn. 13—15. *Biblioth. hagiogr. gr.* etiam ad recentiorem commentarium professoris Usener remittit p. 120.

Praeter Spiridionem in Menaeis hodie signatur *s. Alexander, episc. Hierosolymit. et martyr* sub Decio, in Martyrol. Rom. prolixo encomio celebratus ad 18. Mart., quando et Bolland. fuse de eo egerunt. In Kal. CP. autem re-

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 21, pp. 471—472.

fertur memoria insignis victoriae, quam de Persis hoc die retulit Heraclius imp. an. 626, prout ex Breviario Rom. animadversum est supra ad 14. Septemb. pag. 275.

ιγ'. 13. *Εὐστρατίου, Αὐξεντίου, Εὐγενίου, Μαρδαρίου καὶ Ὀρέστου μαρτύρων καὶ Λουκίας τῆς παρθένου μάρτυρος.*

SS. Eustratius, Auxentius, Eugenius, Mardarius et Orestes, martyres in Armenia, sub Diocletiano, longiori elogio celebrantur in Martyrol. Rom. ad h. d. Vetusta martyrii Acta expolivit Metaphrast. l. c. pp. 467—506.

In Cod. syr. vat. N. 37 ad diem praecedentem annuntiatur globus *sanctorum Thyrsi, Lucii, Eustratii, Paphnutii, Mardarii, Eugenii* et *Spiridionis.* De orationibus *ss. Eustratii et Mardarii* in divino Officio Graecorum occurrentibus legito animadversiones in „Zeitschrift für kath. Theologie", 1894, pp. 291—292.

Sanctae Luciae virginis et martyris Syracusis in Sicilia, sub eodem Diocletiano, praeclara Acta tam Graecis quam Latinis notissima hodie summatim describunt utriusque Ecclesiae libri liturgici, e quibus id unum enotamus, sanctam nostram a Graecis etiam graeco nomine *Φωτεινὴν* vocari (*Λουκία Ἑλληνιστὶ μεθερμηνεύεται Φωτεινή:* Horolog. m.).

ιδ'. 14. *Θύρσου, Λευκίου, Καλλινίκου, Φιλήμονος, Ἀπολλωνίου, Ἀῤῥιανοῦ καὶ τῶν τεσσάρων προτικτόρων, τῶν συναθλησάντων αὐτῷ.*

Qui hic gregatim cientur, apud Latinos in tres turmas divisi coluntur. Et priores quidem *Thyrsus, Leucius et Callinicus,* lauream adepti sub Decio imperatore, in Martyrol. Rom. laudantur ad 28. Januar., quo die et egregium Bollandi commentarium de iis invenies in Act. SS. Jan. tom. 3, pp. 423—447.

Philemon autem cum socio Apollonio, diacono, annuntiatur primo loco d. 8. Martii, cui deinde ad eundem diem, cum proprio tamen encomio, adjungitur *Arianus,* initio ferocissimus persecutor, postea inclytus martyr, cum quatuor protectoribus ejusdem s. Ariani in conversione sociis et in *certamine*

commilitonibus, de quibus singillatim agunt Bolland. Martii tom. 1, pp. 750—756. Sunt autem *protectores,* ut imperator ait, *l. 9. C. Theod. de domest. et protector.*, qui armatam militiam subeuntes non solum defendendi corporis, verum etiam protegendi lateris nostri solicitudinem patiuntur, tanquam βασίλειοι προσκεπασταί, *imperatorem tegentes ac defendentes* ejusque σωματοφύλακες, *corporis custodes*, Graecis etiam latino vocabulo προτέκτορες seu προτίκτορες dicti; qua de re plura vide apud Henschen. in Act. SS. ad 7. Febr. pp. 18.

Hodiernorum martyrum omnium gesta uno commentario complexus est Metaphrastes l. c. pp. 507—560. Exstant et Acta syriaca, antiquitate praestantissima, memorata ab Asseman. et Morcell. ad h. d.

ιε'. 15. *Ἐλευθερίου ἱερομάρτυρος· καὶ Παύλου τοῦ νέου ἀσκήσαντος ἐν τῷ ὄρει Λάτρου.*

Messanae natalis ss. martyrum Eleutherii episcopi Illyrici, et Anthiae matris ejus, qui quum esset vitae sanctimonia et miraculorum virtute illustris, sub Hadriano principe lectum ferreum ignitum, craticulam et sartaginem[1]) *oleo, pice ac resina ferventem superans, leonibus quoque projectus, sed ab illis nil laesus, novissime una cum matre jugulatur* (Martyr. Rom. ad 18. April.). Praeclara sunt, quae Papebrochius de his martyribus ad eundem diem disseruit, egregia etiam actorum, ut putabat, Metaphrasteorum censura perscripta April. tom. 2, pp. 525—536, quae, Assemani judicio, et in Acta syriaca, Metaphraste antiquiora, cadit.

S. Paulus junior, qui vitam asceticam duxit in Monte Latrensi, in Bithynia, haud procul a monte Olympo, tanta sanctitatis fama inclaruit saeculo 10, ut a Romano Pontifice monachus quidam in Bithyniam missus legatur, qui ipsius

[1]) *Sartago* proprie est vas culinarium, in quo cibi friguntur, vel aliud quidpiam liquefit aut torretur (germ. Pfanne). Cruciamentum *sartaginis,* cujus mentio frequens est in Actis martyrum, vetus esse reperitur, ut ecce: II. Machab. c. 7, ubi *rex jussisse* legitur *sartagines et ollas aeneas succendi . . . et adhuc spirantem torreri in sartagine.* Alia scitu utilia reperies in annotationibus ad Prudent. *Peristephan.* XI, 57 apud Migne, Patr. lat. tom. 60, pp. 537—538.

mores vivendique rationem oculatus testis adspiceret, uti habetur apud Baron. in *Annal.* ad an. 944. Obiit an. 956. Vitam doctis annotationibus exornatam graece et latine edidit Delehaye in *Analect. Bolland.*, t. 11, pp. 5—74, 136—182.

ιϛʹ. 16. *Ἀγγαίου τοῦ προφήτου· καὶ Θεοφανοῦς τῆς βασιλίσσης, τῆς θαυματουργοῦ· καὶ Μαρίνου μάρτυρος.*

S. Aggaeus, inter prophetas minores ordine decimus, latinis fastis cum Osee propheta inscriptus d. 4. Julii, claruit saeculo sexto ante Ch. Vitae epitomen ex ss. literis collegit Sollerius in Act. SS. Jul. t. 2, p. 5. Alia ex ipsius prophetia atque ex theologorum ad eam commentariis repetenda sunt.

S. Theophanone (Θεοφανώ) seu *Theophania* Augusta, prima Leonis VI. sapientis uxor, virtutibus et miraculis claruit initio saeculi 10. Gesta ex liturgicis Graecorum libris descripsit Baronius in *annal. ad an. 901, nn. 7—8.*

Sermonem Nicephori Gregorae in eandem Sanctam vulgavit etiam Card. Hergenröther: Monumenta graeca ad Photium pertinentia pp. 72—83.

In Cod. syr. vat. N. 20 refertur etiam memoria *Aggaei* et *Theophanonis,* imperatricis.

Sancti Marini martyris sub Macrino Acta summatim restricta habes in Menol. Basil.

ιζʹ. 17. *Τοῦ ἁγίου προφήτου Δανιὴλ καὶ τῶν ἁγίων τριῶν παίδων Ἀνανίου, Ἀζαρίου καὶ Μισαήλ.*

Slav. *Svjatago proroka Daniila i svjatych triech otrokov Ananii, Azarii i Misaila;* rumen. *S. prof. Daniele sî ss. trei coconi Anania, Azaria sî Misailu.*

Danielem prophetam Babylone, saeculo septimo ante Ch., in fastis suis celebrant Latini 21. Julii, deque eo ad hunc diem Pinii commentarium reperies in Actis SS. ejusdem mensis tom. 5, pp. 117—130.

Ast *trium puerorum Ananiae, Azariae et Misaëlis* memoriam colunt pridie hujus diei. Eos ex sacris literis satis norunt theologi omnes.

ιη'. 18. *Σεβαστιανοῦ μάρτυρος, τοῦ ἐνδίκου τῆς ἐκκλησίας· καὶ λοιπῶν.*

S. Sebastianum martyrem Romanum, sub Diocletiano, *Defensoris Ecclesiae* titulo a Cajo Papa honoratum, colimus Latini die 20. Januar.; *reliquorum* autem, quos eidem Graeci hodie socios addunt, quod eos vel ad christianam professionem traduxisse vel in fide confirmasse legatur in Actis, variis his diebus memoriam agimus in Martyr. Rom. *Claudii, commentariensis, Nicostrati, primiscrinii, Castorii et aliorum sociorum* 7. Julii; *Zoae, uxoris s. Nicostrati,* 5. Julii; *s. Castuli, zetarii palatii Diocletiani,* 26. Mart.; *Marci et Marcelliani fratrum,* 18. Junii; *ipsorumque patris s. Tranquillini,* 6. Julii.

Acta sancti Sebastiani post aliorum curas illustravit Bollandus, qui caeteras diligentia et copia rerum facile superavit, edito insigni commentario in Act. SS. Januar. tom. 2, pp. 621—660. Ex iis desumptum est breve elogium in Martyrol. Rom.: *Romae ad catacumbas*[1]) *s. Sebastiani martyris, qui Diocletiano imperatore, quum haberet principatum primae cohortis, sub titulo christianitatis jussus est ligari in medio campo, et sagittari a militibus atque ad ultimum fustibus caedi, donec deficeret.* Eum *christianitatis titulum* explanat Baronius ex Euseb. *Hist. eccles.* l. 5, c. 1, ubi haec leguntur: *Quum per amphitheatrum circumduceretur, praecedente ipsum tabula (πίνακος αὐτὸν προάγοντος), in qua latino sermone scriptum erat: HIC EST* ATTALUS CHRI-

[1]) Loquendi usus obtinuit, inquit Baron. ad h. l., ut *catacumbae* pro *catatumbis* dicerentur; ex graeca enim et latina dictione compositum est nomen: *κατὰ*, *juxta,* et *tumbas,* ut sic locus ille, qui ad fores est coemeterii Callisti, diceretur *Catacumbae,* h. e. *juxta tumbas* ejusdem coemeterii. Marchi vero nomini *tumbae* verbum *cumbo* substituens, vocabulum a *jacendo juxta, ad,* deducit, in *Monumenti delle arti cristiane,* p. 209. Vero propius accedere videtur, quod alii cum Du Fresne existimant, catacumbas etymon habere a *cumba* seu *cymba, κύμβη, κύμβος, cavus recessus, locus reconditus, crypta.* Quum nimirum coemeteria publica in cryptis et locis depressioribus, h. e. in *cumbis* exstiterint, credi potest, quod ad ejusmodi cryptas ac veluti valles martyrum corpora deferrent christiani, qui dum rogarentur, ubi jacerent, respondebant *cata cumbas, ad cryptas, ad valles,* aliquot ab urbe milliariis.

STIANUS[1]). Addi et Tertulliani sententia[2]) potest: „*Nominis* proelium est. Denique quid de tabella recitatis illum *Christianum?*"

De caeteris martyribus, quos sancto Sebastiano ex ipsius Actis hodie sociant Graeci, fusius a Bollandianis ad eos dies actum scias, quos iisdem in fastis latinis tributos diximus. De officiis vero, quibus eorum tres functos enunciant Acta, breviter haec notasse juverit:

Commentarienses, κομενταρήσιοι, ὑπομνηματογράφοι, proprie *scribendis commentariis praefecti,* h. e., libris, in quibus aliquid publice scribitur, ii dicebantur, qui praeerant carceri, quod in *commentarios* nomina eorum, qui carcere continebantur, referrent, ut patet ex *Cod. lib. 9, tit. 4. de custodia reorum,* ubi l. 5. *jubetur commentariensis semper ingerere numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordines aetatemque vinctorum.*

Primiscrinius dicebatur et *primicerius tabulariorum,* quod scrinio tabulariorum seu tabulario praeesset. Frequens ejus est mentio in corpore juris civilis, praesertim in *Cod. l. 12, tt. 53 et 60.*

Zetarius vel *zaetarius,* h. e. *diaetarius*[3]), servus diaetis praefectus. Est autem *diaeta, δίαιτα,* proprie ratio et regula in iis, quae ad victum pertinent, sub qua tamen omnia continentur, quae ad valetudinem conferunt. Translate vero denotat *coenationem, coenaculum,* h. e., locum, in quo coenatur, vel etiam generatim cubiculum ad habitandum idoneum. Unde *zetarius palatii* dicitur, qui in diaeta palatii administrat, sive haec coenationem, sive cubiculum significat.

ιθ'. 19. *Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βονιφατίου.*

S. Bonifatium, Romanum, *martyrem* Tarsi in Cilicia, sub Diocletiano, Latini venerantur die 14. Maji, ubi diligenter de eo egit Henschen. in Act. SS. Maji tom. 3, pp. 279—283, compendium Actorum habes in Breviar. Rom.

κ'. 20. *Προεόρτια τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ Ἰγνατίου ἱερομάρτυρος.*

Hodie incipiunt *profesta Nativitatis secundum carnem D. N. J. Ch.,* de quorum rationibus breviter disserumus

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 20, pp. 425—427.

[2]) Apologet. c. 2.

[3]) Graeci nimirum *δια* saepe in *ζα* commutant, ut in nominibus *zabolus* pro *diabolo, zaconus* pro *diacono, zanga* pro *διάγχη, constrictione.*

supra p. 50 ad 2. Januar. Subjungunt Menaea: *Δεῖ εἰδέναι, ὅτι τὴν ὀκτώηχον οὐ ψάλλομεν μέχρι τῆς ἀποδόσεως τῆς ἑορτῆς τῶν ἁγίων Θεοφανείων, ἀπὸ τῆς κ΄. τοῦ Δεκεμβρίου μηνὸς μέχρι τῆς ιδ΄. τοῦ Ἰανουαρίου μηνός.* Incipiunt autem *τὰ προεόρτια* sic: *Προεορτάσωμεν, λαοί, Χριστοῦ τὰ Γενέθλια, praeveniamus, o populi, celebrantes Christi Nativitatem.*

Μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου [1]).

Diem hunc esse, quo s. Ignatius Romae ad bestias damnatus est an. 107, post alios ex Actis ostendit Morcelli h. d. — Consentit antiquus cod. syr. vat. N. 21, qui etiam hodie signat *coronationem episcopi Ignatii.*

Animadverti tamen debet, sanctissimo hieromartyri nostro in vetustis Kalendariis praeterea plures alios dies esse sacros, ut ecce: 17. Octob. (in syriaco a Wright edito, in syr. a Moesinger e cod. vat. 69 eruto et in Neapolitano marmoreo a Mazochio illustrato), 16. Nov. (in cod. syr. vat. N. 37), 17. Nov. (in cc. syr. vat. Nn. 69, 78, 79).

Diversam hanc diei (emortualis?) in tabulis ecclesiasticis consignationem non sine aliqua veri specie contra genuinitatem et authentiam *Actorum martyrii* adhibet Grisar, in *Zeitschrift für kath. Theologie* 1879, p. 176, ubi iis adstipulatur, qui cum Kraus in *Tübing. Quartalschrift* 1873, pp. 115—134, et Funk, *Opera Patrum apost., Tubingae 1878,* pp. LXXVIII seqq. Acta ut minus sincera rejiciunt. Eorum judicium eruditus lector expendat; nos Acta plane rejicienda non censemus nixi etiam iis, quae prudenter animadvertit

[1]) Juxta recentiores criticos in *Bibliotheca hagiogr. gr.* magno numero adductos pp. 57—58, *Θεοφόρος* est nomen proprium graecum, quod Sanctus noster praeter latinum *Ignatius* gestabat, ut adeo vere homo binominis exstiterit. In antiquis Kalendariis syriacis et karšunicis appellatur Ignatius *Nurana*, h. e., *igneus,* et Arabibus *Nurani* dicitur. Nominis rationes apud Asseman. *B. o.,* part. 1, pp. 16—17 expositas vide. — Vetustus interpres syrus epistolarum vertit apud Rmum. David *malbaš lalâhâ* (Afel part. pass.), apud Rmum. Khayyath *m'labbaš balâhâ* (Paël part. pass.); quae versio in utraque forma sonat „*Deum indutus*", nimirum intime Deo conjunctus, uti patet ex Gal. 3, 27 jctis. Rom. 13, 14 aliisque similibus, ubi idem verbum *labaš* occurrit.

Lämmer in „Zeitschr. für kath. Theologie" 1870, pp. 547—548. Quidquid vero de iis sentiendum est, nomen Ignatii, *τοῦ Θεοφόρου*, ab ipsa morte clarissimum fuit, in eoque honorando Orientales inter se Occidentalesque certarunt.

Caetera de Ignatio relegas ex annotationibus supra jam factis pp. 85—86 jctis. operibus a Bardenhewer adductis in *Patrol.*, pp. 60—71.

κα'. 21. *Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἰουλιανῆς.*

Cumis in Campania translatio s. Julianae virginis et martyris, quae Nicomediae sub Maximiano imperatore a patre suo Africano graviter caesa, deinde ab Evilasio praefecto, cui nubere recusarat, varie cruciata et postmodum in carcerem detrusa, ubi palam cum diabolo conflixit, demum flammas ignium et ollam ferventem superans, capitis decollatione martyrium consummavit. Ita Martyrol. Rom. ad 16. Febr., consentitque in certamine describendo Menolog. Basil., quod tamen s. Julianae sponsum *Ἐλεύσιον τὸν συγκλητικόν, Eleusium senatorem* vocat, ac *multos alios, qui ejus causa fidem susceperant, cum ipsa decollatos refert.* Caetera, quae invictissimae martyris memoriam et virtutes illustrant, commentario suo complexus est Bollandus Febr. tom. 2, pp. 668—685.

Acta Metaphrastea incipiunt: *Καὶ καλλίστη τῶν πόλεων ἡ Νικομήδους, Etiam civitatum pulcherrima Nicomedia,* exstantque apud Migne, Patr. gr. tom. 114, pp. 1437—1452.

κβ', 22. *Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας, τῆς φαρμακολυτρίας.*

Sanctae magnae martyris Anastasiae veneficiorum solutricis; slav. *Svjatyja velikomučenicy Anastasii farmakolytrii, ježe jest uzorěšitelnicy;* rumen. *S. marea mart. Anastasi'a mantuitori'ă de veninu.*

Φάρμακον, medicina, sumitur tam in bonam partem pro *medicamento salutari,* quam in malam pro *veneno;* fuit autem *τῆς φαρμακολυτρίας* cognomento vocata *s. Anastasia*, quod omne daemonum *maleficium solveret,* omnemque languorem ac morbum depelleret, singularissimo sanitatum dono a Deo

aucta ob insignem eam pietatem, quam erga Christi confessores ad miraculum usque exhibuit (*περιερχομένη τὰς φυλακὰς τῶν τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων, καὶ προσφέρουσα αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια, σπογγίζουσα αὐτῶν τὰς πληγάς, λύουσα αὐτοὺς τῶν δεσμῶν, καὶ τὰς ὀδύνας αὐτῶν θεραπεύουσα ἐπωνομάσθη ἐκ τούτου φαρμακολύτρια*). Officiosissimam hanc caritatem, clarissima haec sanitatum miracula prae caeteris efferunt Menaea, ex quibus plura reperies a Combefisio exscripta in annotationibus ad *Orationes laudatorias* Nicetae Paphlagonis, *orat. 17,* apud Migne, Patr. gr. t. 105, pp. 339—340. Graeco-Slavis tamen non *veneficiorum,* sed *vinculorum solutrix* dicitur, quod speciatim christianis in vinculis detentis quamlibet opem afferre solemne illi esset, ut nomen recte interpretatur Martinov.

Hodiernam Anastasiam *juniorem* dici respectu alterius Anastasiae, passae sub Valeriano, notatum vide supra ad 29. Oct. Ab utraque distincta est tertia *Anastasia,* martyr sub Nerone, quae in fastos ecclesiasticos relata legitur ad d. 15. April. Acta *Anastasiae junioris* descripsit Metaphrastes, apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 573—610. Ex iis sumptum est elogium Martyrol. Rom. 25. Decemb., qui martyrii ejus dies fuit an. 290.

Anastasiae nostrae in Menaeis atque inde aliis Kalendariis sociantur *Theodota, Chrysogonus* aliique martyres, quorum gloriosi pro fide Christi agones in Actis ejusdem sanctae narrantur. De variis Anastasiis legesis quae Sergius archimandrita disputat in suo *Polnyj měsjacoslov vostoka* tom. 2, ad hunc diem. Alia reperies in fontibus a Bollandianis in *Bibliotheca hagiogr. gr.* adductis p. 5. *Anastasiam* hodie etiam in codicibus syr. et karšun. vat (19, 20, 21. 77) positam esse scias.

κγ'. 23. *Τῶν δέκα μαρτύρων, τῶν ἐν Κρήτῃ.*

In Creta ss. martyrum Theoduli, Saturnini, Eupori, Gelasii, Euniciani, Zetici, Cleomenis, Agathopi, Basilidis et Evaristi, qui in persecutione Decii crudelia passi, capite caesi sunt (Martyrol. Rom. h. d.). Eorum certamina locupletius descripta vide in Menol. Basil.

κδ'. 24. *Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Εὐγενίας. Παραμονὴ τῆς Χριστοῦ Γεννήσεως.*

Celeberrima haec sancta in Martyrologio Rom. ita refertur ad diem sequentem: *Romae in coemeterio Aproniani s. Eugeniae virginis, quae tempore Gallieni imperatoris post plurima virtutum insignia, post sacros virginum choros Christo aggregatos sub Nicetio urbis praefecto diu agonizans, novissime gladio jugulata est.* In Menol. Basil. ejus Acta brevi compendio describuntur, quae Metaphrastes longe uberius est prosecutus apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 609—652.

Natalium dominicorum pervigilium[1]), quod in tabella festorum mobilium signant Orientales, etiam in ecclesia latina inter reliqua christianorum pervigilia semper fuit percelebre, ut adeo, caeteris omnibus jam sublatis, etiamnunc non modo jejunio, sed ex veteri consuetudine etiam nocturnis conventibus in ecclesiis cantandisque officiis et post mediam noctem sacrificio peragendo celebretur. Hujus pervigilii officium apud Latinos totum est de instanti mysterio crastinae solemnitatis, apud Graecos vero matutinum *(ὁ ὄρθρος)* laudandis ss. Eugeniae, Philippo ejus Patri, Basillae et Nicolao martyribus ex majori parte impenditur; eoque finito in minoribus horis Christus jam natus celebratur, quemadmodum etiam horarum titulus in Men. indicat: *Ἀρχὴ τῆς ἀκολουθίας τῶν ὡρῶν τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ κυρίου.*

Πολυχρόνιον. Vota festiva. Celebres apud Graecos sunt faustae acclamationes et *in multos annos* apprecationes, quibus hodie imperatori CP. inter divina officia *πολυχρόνιον* accinebatur, quem ritum *τὸν βασιλέα πολυχρονίζειν* seu *πολυχρόνισμα* accinere seu *πολυχρόνιον ψάλλειν* sive *ποιεῖν* dicebant. De iis Codinus *de officiis CPolitanis* c. 6: *Simul ac imperator apparet, cantores statim canunt polychronium (ἅμα τῷ τὸν βασιλέα φανῆναι, οἱ ψάλται αὐτίκα ψάλλουσι τὸ πολυχρόνιον); quibus canentibus imperator vadit et sanctas imagines osculatur. Deinde regressus stat prope thronum suum . . ., magnus primicerius eidem sceptrum porrigit . . ., canuntur horae* (re-

[1]) *Παραμονήν exspectationem* dici posse supra monuimus p. 55. Eodem nomine pridianam Natalis Christi solemnitatem a Latinis aliquando appellatam fuisse Morcelli conjicit ex oratione illius diei, quae sic incipit: *Deus, qui nos redemptionis nostrae annua* exspectatione *laetificas.*

gi a e) *prima, tertia, sexta et nona cum tropariis. . . . Ad ultimum canonarcha post lectionem sic profatur:*

Πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ Θεὸς τὴν κραταιὰν καὶ ἁγίαν βασιλείαν σᾶς [1]) εἰς [2]) πολλὰ ἔτη·

Diuturnum faciat Deus praepotens et sanctum imperium vestrum ad multos annos;

rursus tertia vice:

Πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ Θεὸς τὴν θεοπρόβλητον, θεόστεπτον καὶ θεοφρούρητον, κραταιὰν καὶ ἁγίαν βασιλείαν σᾶς εἰς πολλὰ ἔτη.

Diuturnum faciat Deus a Deo acceptum et a Deo custoditum praepotens ac sanctum imperium vestrum ad multos annos.

Deinde acclamant circumstantes: Diuturnum faciat Deus sanctum imperium vestrum ad multos annos. . . . Circa Vesperarum horam, quando imperator se ad officium confert, omnes cantores et lectores multos annos ecclesiam ingredienti apprecantur (πάντες ψάλται τε καὶ οἱ ἀναγνῶσται πολυχρονίζουσι τὸν βασιλέα εἰσερχόμενον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) . . . *et simul ac sumptis in throno vestibus conspicuus fit, statim cantores accinunt polychronium* (εὐθὺς ψάλλουσιν τὸ πολυχρόνιον), *resonantibus organis, quae varia sunt . . . ac satis multo tempore perstrepunt. Deinde . . . rursus incipiunt cantores, accommodatos festo versus decantare* (προσφόρους λέγοντες στίχους τῇ ἑορτῇ), *et paulo post illud: Christus natus est, qui imperatorem coronavit* (Χριστὸς ἐγεννήθη ὁ στέψας σε βασιλέα) . . . *et hoc idem sat longo tempore. Deinde nomina imperatorum et imperatricum bonis precationibus afficiuntur* (εἶτα γίνεται ἡ εὐφημία [3]) τῶν ὀνομάτων τῶν βασιλέων καὶ τῶν δεσποινῶν). *Quo peracto cantores iterum multos annos accinunt* (πολυχρονίζουσιν αὖθις) *quibus adhuc canentibus expanduntur et clauduntur cortinae, organis denuo resonantibus.*

Sed et patriarchis longaevam vitam solemniter apprecabantur CPolitani, hicque mos adhuc in eorum ecclesia durat, ut liturgiam celebranti patriarchae unus ex ecclesiae officialibus saepius, sed per intervalla, acclamet: Εἰς πολλὰ ἔτη, δέσποτα. Imo et monachis erant εὐφημίαι propriae, quibus vitae et annorum diuturnitatem superiori a Deo postulabant; ejusmodi ex multis una haec est: Σώσαι ὁ Θεὸς τὸν πανοσιώτατον πατέρα ἡμῶν καὶ καθηγούμενον σὺν πάσῃ τῇ ἐν Χριστῷ ἡμῶν ἀδελφότητι.

Quamvis Graeci in pluribus solemnitatibus τῷ πολυχρονίῳ exoptato bene precari solent, τὸ πολυχρονίζειν tamen ἐξαιρέτως de

---

[1]) *Μᾶς* et σᾶς, inquit Gretser., pro μοῦ et σοῦ, sunt barbarae Graeciae suaveolentes flosculi. Verum Goar. eas voces ἡμῶν et ὑμῶν vice usurpari statuit, pronomina ἐμεῖς et ἐσεῖς *nos* et *vos* interpretatus, quae aliis a nominativo casibus cunctis ἐμᾶς et ἐσᾶς, mutilataque per aphaeresim corrupte μᾶς et σᾶς pronuntientur.

[2]) Slavi cantant *Mnogaja lěta;* Rumeni *La multi ani* sive *in multi ani.*

[3]) Pronuntiatis principum nominibus nuncupantur vota, quorum forma est in *Euchologio.*

votis pro salute cujusdam hoc die emissis accipiunt, ea forte ex causa, quod, incipiente ab hisce solemnibus novo salutis tempore, hodie praesertim ut mutuis sese donis et xeniis excipere, ita et felicibus votis prosequi consueverunt, quod et Itali adhuc observant, faustissima festa laetis ominibus sibi invicem apprecando [1]).

κε'. 25. *Ἡ κατὰ σάρκα γέννησις τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Domini et Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi Nativitas secundum carnem; slav. *Ieže po ploti roždestvo Gospoda Boga i Spasa našego Isusa Christa;* rumen. *Nascerea cé dupa trupu a Domnului Domnedieu sî Mantuitoriului nostru Isusu Christosu;* arab. *Mîlâd sîd'nâ Jesû 'el-Mesîch;* syriac. *'îdâ d'maulâdê d'mâran bab'sar.*

In Occidente diem festum natalis Christi ab antiquissimis inde temporibus celebrari consuevit. Quin non tantum ipsa solemnitas, sed etiam constitutus solemnitatis dies, h. e., 25. Decembris, in antiquis monumentis designatur. Kalendarium Bucherianum, quod anno 354 scriptum esse creditur, ab hoc festo initium ducit: *VIII. Kal. Janu. Natus Christus in Betleem Judaeae;* eundem diem non ita multo post servant Polemius Silvius et auctor Kalendarii carthaginensis. Verum in Oriente olim unum erat festum natalis Christi et Epiphaniae, ut adeo prima s. Joannis Chrysostomi aetate Antiochiae nondum haec solomnitas obtineret. In homilia enim, quam ibidem primo sacerdotii sui anno (386) in diem natalem Christi habuit, diserte ait [2]): *Nondum decimus annus est,* inquit, *ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit . . . quum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit (τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένη), nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus est (πρὸς ἡμᾶς*

[1]) Graeci etiam ut *εὐχαριστικόν* usurpant epiphonema: *Εἰς πολλὰ ἔτη, δέσποτα,* eoque adhibito gratiam officio vel muneri accepto verbis reponunt. Hinc nihil ipsis polychronismo crebrius, nihil acceptius: ut adeo Dousa *in Itinerario CPolitano* vere dixerit: *Nisi Graecos more graeco πολυχρονιάσῃς, ἀφένδι exclamaverisque, oleum et operam perdideris.*

[2]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 49, p. 351. — Praesenti huic quaestioni illustrandae post Benedictum PP. XIV, de festis D. N. J. Ch., n. 652, plura etiam congesserunt Krüll apud Kraus, in *Realencyklopaedie,* tom. 1, pp. 490—491 et Lagarde, *Mittheilungen,* IV, 302 seqq.

κομισθεῖσα νῦν καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν). Et n. 2. iterum dicit profectam a Romanis eam disciplinam, quam ex veteri traditione servaverint: Romani *multo ante et ex antiqua traditione ipsum celebrantes ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt (ἄνωθεν καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες αὐτοὶ νῦν αὐτῆς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο).*

Ἡ προσκύνησις τῶν Μάγων. — Nativitati Christi jungunt Graeci *Adorationem Magorum*, prout dictum est supra p. 57 ad 6. Januar. Utrumque mysterium in suis ritualibus libris sic partiuntur, ut nocturno officio praemittant imaginem recens nati infantuli, pannis involuti, jacentisque in praesepi cum reliquis sacrae noctis istius actis; diurno autem officio praefigunt imaginem ejusdem veluti pueri anniculi atque in materno sinu jam vestiti, Magos excipientis in domo: ut licet eodem die, non tamen eodem anno rem actam videantur credidisse. Ipsas utriusque mysterii imagines a Graecis acceptas repraesentavit Papebroch. in *metrico gr.* ad h. d., nosque brevibus sub manu natis animadversionibus explicavimus in „Zeitschrift für kath. Theologie", 1882, pp. 580—582. De ipsis Magis autem magni sacrarum literarum interpretes aliique celebres antiquitatis ecclesiasticae indagatores fuse disseruerunt nosque diligentia sua ab omni onere commentarium hic conficiendi levaverunt. Unde id solum superest, ut *„ex certissimis constantissimae Chaldaeorum traditionis monumentis"* enotemus, *Magos, Christi adoratores, fuisse duodecim numero* [1]), utque eorum nomina simul animadvertamus recens fuisse a cl. Dr. Nestle, viro in legendis interpretandisque textibus syriacis versatissimo, ex fontibus orientalibus diligenter eruta accurateque inter se collata ac declarata [2]): ut adeo in vicinia jam habeant amoenitatum heortologicarum amatores, quae olim e longinquo erant petenda.

Πάσχα. — Quae ex Horologio relata in Hemerologium legitur rubrica, bipartita est: *Πάσχα, ἀργία τριήμερος*, h. e. hodierna festivitas adeo solemnis est, ut *tres dies integros,*

[1]) Ita Rmus. Khayyath, *op. cit.*, pp. 37, 157—160.

[2]) *Einiges über Zahl und Namen der Weisen aus dem Morgenlande* (append. ad *Vit. Prophetar.*, Tubing., 1893).

non secus ac festum Paschae[1]), insumat majori ritu celebrandos[2]), *καὶ κατάλυσις εἰς πάντα ἀπὸ σήμερον μέχρι τῆς παραμονῆς τῶν Θεοφανείων, et solutio jejunii quoad omnia,* h. e. juxta dicta ad 6. Januar. p. 62, si festum Nativitatis occurrerit fer. 4. vel 6, tunc saeculares lege jejunii et abstinentiae prorsus solvuntur, etiam quoad esum carnis, monachi autem, juxta quod convenit eorum statui, quoad caseum et ova; et hoc valet *ab hodierno die usque ad pervigilium Theophaniae.*

Apud Latinos festum diem Nativitati Christi consecratum non modo inter omnes celebrem esse, sed post Pascha et Pentecosten primum locum obtinere ex jure sacro manifestum est. Sacra concilia enim gravissimas in eos clericos edidisse sanctiones leguntur, qui in ea solemnitate ab ecclesia abfuissent *c. Si quis in clero 29. C. VII. q. 1.* Alia ejus diei privilegia habentur *cc. Etsi non frequentius* 16, *Saeculares* et *Omnis homo 21. Dist. 2. de Cons.*

Nunc vero duo tantum reliqua sunt vetustae disciplinae monumenta, quae solemnitatis magnitudinem declarant, quorum alterum exhibetur *c. Explicari ult. X.* de observatione jejuniorum (3, 46), ut, si dies Natalis Domini incidat in diem, quo carnium usus est interdictus, iis nihilominus vesci liceat *propter festi excellentiam,* ut Honorius PP. III. ait cit. Decret.; alterum, ut Natali Christi die tres Missae a quolibet presbytero celebrentur *c. Consuluisti 3. X.* de celebrat. Missar. (3, 41) juncto can. *Nocte sancta* 48. *Dist. 1. de Cons.* Cujus privilegii seu solemnitatis duas rationes affert *glossa* ad leges citatas.

Nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema,
Sub Noë, sub David, sub cruce sacra nota.

Id est, explicante gl. ad can. *Nocte sancta,* Missa mediae noctis repraesentat statum illum, qui fuit ante legem, quando omnes erant in tenebris; unde dicitur Prophetia: *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris.* Secunda repraesentat tempus sub lege, in quo jam incipiebant ex parte scire Christum, sed non plene, propter dicta legis et prophetarum, et ideo cantatur inter diem

---

[1]) *Τὰς τρεῖς τοῦ Πάσχα ἡμέρας* saeculo sexto exeunte jam memorat Joannes Jejunator in *Poenitentiali,* apud Migne, Patr. gr. tom. 88, p. 1908. Caeterum non desunt, qui etiam *τῷ Πάσχα* hujus diei notionem transitus et liberationis adjungant. Sic auctor russus Bělustin. *De divinis officiis,* sub finem operis generatim ait: Christus sua passione et resurrectione vicit diabolum, liberavit genus humanum ab illius servitute. Hoc modo significat *Πάσχα* in christianitate exitum humanitatis de potestate diaboli in libertatem filiorum Dei, liberationem a morte et gehenna.

[1]) Olim immo duodecim dierum spatium complectebatur, *δωδεκαήμερον* idcirco appellatum.

et noctem et dicitur *Lux fulgebit hodie.* Tertia designat tempus gratiae, scilicet praesens, unde dicitur Officium: *Puer natus est.*

Quae explicatio si cui non probetur, triplici Missae alia mysteria tributa leget in *gl.* ad *c. Consuluisti cit. verb. Nativitatis* his versibus:

Tres in Natali debent Missae celebrâri,
Quarum prima sacram Christi signat genituram,
Altera venturi designat gaudia Christi,
Tertia jam factum quod lex fore sacra figurat.

Scilicet, triplex nativitas in Christo considerari potest: *aeterna,* quia verbum a Patre generatur; altera *carnalis,* quia natus est secundum carnem ex B. Maria Virgine; tertia *spiritualis,* quia quotidie spiritualiter nascitur in cordibus justorum. Igitur ad has tres nativitates celebrandas cum debita gratiarum actione triplex sacrificium offerri a quolibet sacerdote Ecclesia instituit. Atque alteram hanc declarationem amplectitur s. Thom. 3. part. quaest. 73. art. 2.

κς΄. 26. *Ἡ σύναξις τῆς Θεοτόκου· καὶ Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος καὶ φύλακος τῆς Παρθένου· καὶ Εὐθυμίου ἐπισκόπου Σάρδεων, ἱερομάρτυρος.*

Ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου; slav. *Sobor pre svjatyja Bogorodicy;* rumen. *Adunarea prea sântei Nascatorie de Domnedieu, adeca dupa nascere;* arab. *Tidzkâr sett'nâ Marjam;* syriac. *Dukhrânâ d'mârt Marjam* [1]).

Ritum Graecorum subjungendi festis praecipuorum mysteriorum synaxim propriam ejus personae, quae primam aut saltem aliquam partem in quolibet mysterio gessit, notatum vide supra p. 93 ad 3. Febr. — Menolog. Basil. hodie speciatim *fugam in Aegyptum* recolit sub titulo: *Ἡ Θεοτόκος φεύγουσα εἰς Αἴγυπτον; sanctum Josephum* autem, *sponsum et custodem Virginis,* proprio synaxario celebravit die praecedenti; qui et Dominica post Nativitatem sociabitur *sanctis David regi et Jacobo fratri Domini,* quemadmodum dicetur in altera parte, quando *de festis mobilibus* sermo erit. Consonant codices syr. vat. 20, 21 et 77.

In Horologiis austriacis annuntiatur slav. *Nedĕla po Roždestvĕ. Pamjat svjatych i pravednych Bogootec: Iosifa*

[1]) Haec *commemoratio* (Dukhrânâ) in codicibus syriacis solito suo titulo *Qullŏso* (Syr. orient.) sive Qullăsa (Syr. occident.) signatur.

obrucnika, Davida Carja i Iakova brata Gospodnja po ploti; rumen. *Domineca dupa Nascerea lui Christosu. Amentirea santîloru sî dereptîloru: a lui Iosifu logodniculu, a lui Davidu imperatulu sî a lui Iacobu fratele Domnului.*

Quae ad *sponsum Virginis* pertinent, Papebrochius erudito commentario illustravit ad 19. Martii, ejusdem mens. tom. 3, pp. 4—26; eo quippe die Josephi memoriam Latini colimus, quemadmodum notatum est supra p. 124.

David regis et prophetae memoria in Martyrol. Rom. consignata est ad 29. Decemb.; Jacobi *τοῦ ἀδελφοθέου* honori diem 23. Octobr. sacrarunt Graeci, 1. Maji autem Latini.

Sancto Euthymio, qui sacrae familiae hodie socius additur, diem 11. Mart. tribuerunt Latini. In Martyr. Rom. cietur cum brevi hoc encomio: *Sardis s. Euthymii episcopi, qui ob cultum ss. imaginum a Michaele* (Balbo) *imperatore iconoclasta in exilium missus, demum Theophilo imperante martyrium consummavit* circa an. 840. Ejus Acta ex Menaeis, *Cedreno* [1]) ac maxime ex Concilio Nicaeno II., ubi inter primos episcopos sedit, collecta exhibent et illustrant Bolland. Martii tom. 3, pp. 72—74.

De festis Latinorum concomitantibus natalitia Domini. — Christum Dominum ex mente antiquae Ecclesiae *ὀξίως παρηκολουθημένον* in mundum prodire debuisse, insigniorum scilicet Sanctorum comitatu honestatum, ostendimus supra pp. 195, 197, 287. In Ecclesiae latinae tabulis eum hodieque omnis generis martyres sua celebritate et laetitia comitantur. Quaeritur, inquit Durandus, *Rationale divinorum officiorum* l. 7, c. 42, quare haec tria festa, videlicet sanctorum Stephani, Joannis et Innocentium, immediate post festum Nativitatis Domini ordinantur? Respondeo: primo, ut Christo capiti et sponso omnes sui comites adjungantur. Natus enim Christus, sponsus Ecclesiae, in hunc mundum, tres sibi comites adjunxit, de quibus dicitur in Canticis: *Dilectus meus candidus, rubicundus, electus ex milibus; candidus*, quoad Joannem Evangelistam, pretiosum virginem et confessorem; *rubicundus*, quantum ad Stephanum protomartyrem; *electus ex milibus*, quantum ad magnam turbam

---

[1]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 121, pp. 957—958.

Innocentium. Secundo, ut sic Ecclesia omnium martyrum genera, quorum quidem martyrii Christi nativitas causa fuit, insimul adunaret.

Triplex est enim martyrium. Primum voluntate et opere; et tale fuit martyrium beati Stephani: et hoc est dignissimum in genere. Secundum martyrium est voluntate, et non opere, quale fuit martyrium Joannis Evangelistae, qui martyr fuit, sicut patet in Antiphona: „In ferventis olei dolium missus Joannes Apostolus, divina se protegente gratia, illaesus exivit.“ Tertium martyrium est opere et non voluntate, quale fuit martyrium Innocentium, quod sicut tertium locum obtinet in dignitate, ita et inter festa martyrum.

Plura de his festis concomitantibus videri possunt apud Binterim, *Denkwürdigkeiten,* tom. 5, part. 1. c. 5, §. 13. *Die Begleitungsfeste der Weihnachtsfeier* pp. 541—553. Alia ab aliis petes.

κζ'. 27. *Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου, πρωτομάρτυρος καὶ ἀρχιδιακόνου Στεφάνου· καὶ Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ.*

Slav. *Svjatago apostola, pervomučenika i archidiakona Stefana;* rumen. *S. apostolu, antâniulu martoru sî archidiaconu Stefanu.*

Sancti Stephani, archidiaconi et protomartyris, non longe post ascensionem Domini a Judaeis lapidati (Martyr. Rom.) memoriam antiquitus plures ecclesiae Orientis etiam non hoc, sed hesterno die cum toto Occidente coluerunt.

Ὡς καλὴ τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀκολουθία! ὡς γλυκεῖα τῆς εὐφροσύνης ἡ διαδοχή! Ἰδοὺ γὰρ ἑορτὴν ἐξ ἑορτῆς, καὶ χάριν ἀντιλαμβάνομεν χάριτος. Χθὲς ἡμᾶς ὁ τοῦ παντὸς δεσπότης εἱστίασε, σήμερον ὁ μιμητὴς τοῦ δεσπότου. Πῶς οὗτος, ἢ πῶς ἐκεῖνος; ἐκεῖνος τὸν ἄνθρωπον ὑπὲρ ἡμῶν ἐνδυσά-

Quam pulchra bonorum consequentia, inquit s. Gregorius Nyss. [1]), *quam jucunda laetitiae successio! Ecce enim diem festum ex die festo et gratiam pro gratia* accipimus! *Heri Dominus universi nos pavit: hodie Domini imitator. At quomodo hic, aut quomodo ille? Ille hominem*

[5]) Apud Migne, Patrol. gr. tom. 46, pp. 701 et 702.

μενος· οὗτος τὸν ἄνθρωπον ὑπὲρ ἐκείνου ἀποδυσάμενος. *pro nobis induens, hic pro illo hominem exuens.*

Quod eidem vero hic dies in toto Oriente postea fuit assignatus, id ex auctoritate ecclesiae Hierosolymitanae factum fuisse videtur; ea enim hoc die Stephanum honoravit, ut ex s. Sophronio Hierosolymitano patet. Quaerens nimirum, cur festum ss. Apostolorum Petri et Pauli die quarto Natalitiorum celebretur, hanc affert rationem[1]): *Tertiam post Christi Salvatoris natalia Stephano concedentes solemnitatem* (*τρίτην γὰρ μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ σωτήριον γέννησιν Στεφάνῳ δεδωκότες πανήγυριν*), *quartam sibi reservarunt, praeceptorum Domini memores. . . . Qui major est in vobis, fiat ut junior.*

De reliquiarum translatione paucis actum est supra p. 232 ad 2. Augusti.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ, αὐταδέλφου Θεοφάνους τοῦ ποιητοῦ.

Slav. *Prepodobnago otca našego i ispovědnika Theodora načertannago, brata Theofana tvorca kanonov;* rumen. *Cuv. parentele nostru sî marturisitoriulu Teodoru celu insemnatu, fratele lui Teofanu poeticulu.*

CPoli ss. confessorum Theodori et Theophanis fratrum, qui a pueritia in monasterio s. Sabae nutriti, quum postea pro ss. imaginum cultu adversus Leonem Armenum (813—820) *strenue decertarent, ejus jussu verberibus affecti, exilio relegantur; sed eo mortuo rursus Theophilo imperatori, qui eadem impietate detinebatur, constanter resistentes, verberibus iterum caesi, in exilium pulsi sunt, ubi Theodorus in carcere exspiravit; Theophanes vero, pace demum Ecclesiae reddita, factus Nicaenus episcopus, quievit in Domino* (Martyr. Rom. h. d.). Acta composuit Metaphrastes, apud Migne, Patr. gr. tom. 116, pp. 653—684.

Recole quae disseruimus supra p. 300 ad d. 11. Octob., quem Graeci s. *Theophanis* memoriae sacrum habent, ac vide etiam, quae de iisdem copiose disputat Card. Quirini, *Diatribe* 3, pp. 90—97.

[1]) In *laudatione SS. Apost. Petri et Pauli,* apud Migne, Patr. gr. tom. 87, pp. 3361—3362.

κη'. 28. *Τῶν ἁγίων δισμυρίων μαρτύρων, τῶν ἐν Νικομηδείᾳ καέντων· καὶ Θεοδώρου ἀρχιεπισκόπου ΚΠ.*

Slav. *Svjatych mučenik dvu tmu, v Nicomidii sožžennych;* rumen. *ss. 20,000 de martori celi arsi in Nicomedi'a.*

Nicomediae passio multorum millium martyrum, qui quum in Christi Natali ad dominicum convenissent, Diocletianus imperator januas ecclesiae claudi jussit et ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure prae foribus poni, ac praeconem magna voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent et Jovi thus adolerent; quumque omnes una voce respondissent, pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in coelis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est (Martyrol. Rom. d. 25. Decemb.). In quod encomium Papebrochius: *Baronius,* inquit, *immodicum esse videns numerum δισμυρίων, bis decem millium (quis enim credere possit, christianos eo tempore habuisse ecclesias tam capaces?) satis habuit,* multa millia *scribere.* Exaggerati illius numeri 20,000 causam hanc esse putat Asseman. *K. E. U. h. d.,* quod vox graeca μυριοι, paroxytona quidem, *μυρίοι,* significet *innumeros, ingentes, plurimos,* proparoxytona autem, *μύριοι,* indicet *decies mille, δισμύριοι, bis decies mille.* Itaque factum ipsi videtur, ut, quum in antiquis Actis *μυρίοι μάρτυρες* scriptum esset, quod *innumerabilem multitudinem* sonat, recentiores Graeci, historiam fabulosis adjunctis exornantes, *μύριοι* et *δισμύριοι* legerint. Neque tamen silentio praeteriri potest, in quatuor antiquis codicibus syr. vat. (20, 21, 69, 77), eundem illum numerum 20,000 martyrum in Nicomedia signatum reperiri.

Eorundem Acta cum certamine *Indae et Domnae* a Metaphraste scripta exhibet Migne tom. c. pp. 1037—1082. Ex iis multi variis anni diebus in Martyr. Rom. referuntur, quemadmodum adductis exemplis probat Martinov, *An. gr. sl.* h. d.

Sancti Theodori, patriarchae CP. ab an. 676 ad 678, orthodoxiam contra Baronium defendit Morcelli *K. CP. h. d.*

κθ'. 29. *Τῶν ἁγίων Νηπίων, τῶν ἐν Βηθλεὲμ ὑπὸ Ἡρώδου ἀναιρεθέντων, χιλιάδων ὄντων δεκατεσσάρων· καὶ Μαρκέλλου τοῦ ὁσίου.*

Slav. *Svjatych mladenec četyrnadesjati tysjašč Christa radi izbiennych ot Iroda;* rumen. *Ss. 14,000 de prunci ucisi de Isodu.*

Sanctorum infantium, ab Herode interfectorum, quorum numerus fuit quatuordecim millia; ad quae Papebrochius: *Non existimo,* inquit, *tantum numerum fuisse, quum Bethleem oppidum parvum fuerit, nonnisi VII. P. M. Hierosolymis distans, et fines ejus, in quibus omnes occisi pueri, non admodum magni possint concipi.* De numero caesorum Menologia vetera nihil habent. Antiquissimum hoc festum in utraque ecclesia est, illudque Latini egimus die antecedenti.

Infantibus *martyrum* titulum ss. Irenaeus[1]), Cyprianus[2]), Hilarius[3]), Augustinus[4]) deferre non dubitant.

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαρκέλλου, ἡγουμένου τῆς μονῆς τῶν ἀκοιμήτων.

Slav. *Prepodobnago otca našego Markella, igumena obiteli neusypajemych;* rumen. *Cuv. nostru par. Marcelu, egumenulu dela manastirea neadormitîloru.*

S. Marcelli, Abbatis monasterii Acoemetarum, hoc die et Martyrol. Rom. meminit. Fuit is natione Syrus, patria Apameensis, ac primum Ephesi monachus, deinde CPoli inter Acoemetas[5]), demum in Bithyniam concessit, praefuitque monasterio Acoemetarum, quod Irenaeum appellabant, situm in littore, e regione urbis regiae, in quo etiam decessit circa annum, ut Morcellio videtur, 470. Gesta pluribus persecutus est Metaphrastes *tom. cit.* pp. 705—746, quae etiam summatim complexa refert Menol. Basil. h. d. In antiquis

[1]) Contra Haeres. l. 3, c. 16, apud Migne, Patr. gr. tom. 7, p. 924.
[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 4, p. 354.
[3]) Ibid. tom. 9, p. 923.
[4]) Ibid. tom. 39, pp. 1664, 1668, 2149.
[5]) Repete quae de *Acoemetarum* instituto notavimus supra p. 70.

Kalendariis syriacis vat. memoratur die sequenti, quum praesens hic dies ex vetustissimo more tributus sit 12 Apostolis.

λ'. 30. *Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Ἀνυσίας· καὶ τοῦ ὁσίου Ζωτικοῦ πρεσβυτέρου, τοῦ Ὀρφανοτρόφου.*

Slav. *Svjatyja mučenici Anysii, i prepodobnago Zotika orfanotrofa;* rumen. *S. mart. Anisĭa, sî cuv. Zoticu preotulu sî nutritoriulu de meseri.*

S. Anysiae, virginis et martyris Thessalonicae sub Maximiano, praeclara passio breviter expressa legitur in Menol. Basil., copiosius expolita apud Metaphrastem tom. cit. pp. 747—752. Eam et Martyrologium Rom. hodie memorat. *Zoticum* autem, quocum illam Graeci jungunt, die sequenti refert hoc proposito elogio: *S. Zotici, presbyteri, Romani, qui CPolim profectus* sub Constantino Magno *alendorum orphanorum curam suscepit,* ea de causa titulo *τοῦ Ὀρφανοτρόφου* insignitus, atque ab imperatoribus etiam praeclaro illo encomio in corpore juris civilis ornatus *L. omnia 35 Cod. de episc. et cler. et orphanotroph.* (1, 35), quod *beatissimae memoriae vir primus hujusmodi pietatis officium invenerit,* h. e., interprete Baronio, quod, erecto in urbe regia xenodochio, primus ibidem pium hospitalitatis officium erga pauperes exercuerit.

In aliquibus Kalendariis graecis et syriacis hodie etiam leguntur nomina *Theodorae* utriusque, *Caesariensis* et *CPolitanae,* de quibus consuli potest Martinov ad h. d.

λα'. 31. *Τῆς ὁσίας Μελάνης τῆς Ῥωμαίας.*

Slav. *Prepodobnyja Melanii Rimljanyni;* rumen. *Cuvenios'a Melanĭ'a Roman'a.*

Sanctae Melaniae junioris, quae cum viro suo Piniano Roma abscedens et Hierosolymam proficiscens, ibi inter foeminas Deo sacras, vir inter monachos religiosam vitam exercuit, et ambo sancto fine quieverunt, Pinianus an. 431, Melania an. 439 (Martyr. Rom. h. d.).

Admiranda ejus opera brevi conspectui jam exhibuerat Palladius, Helenopolit. episc. in Historia Lausiaca.

c. 119 [1]), fusius explicaverat Metaphrastes *tom. cit.* pp. 753—794 ac per annos singulos, ordine temporis servato, digesserat Baronius in *Annalibus* ab an. 419, nunc tandem ex primigenia „Vita“, ab auctore Sanctae coaevo et familiari diligenter exarata, discimus in Analectis Bollandianis, t. 8, pp. 16—63.

Dicitur *junior (νέα*: Men. Cryptoferrat.; *νεωτέρα*: Pallad) respectu *Melaniae senioris,* aviae suae, quae et ipsa admirabilis sanctimoniae fuit, quamque sic laudant ss. Augustinus et Paulinus Nolanus, ut, Papebrochii judicio, dubitandum vix sit, quin ante mortem (an. 410) resipuerit ab erroribus, in quos ipsam Rufinus Origenista pertraxerat. — Nomen, quod spectat, modo *Melania,* modo *Melanium,* graece *Μελάνιον,* neutrius generis terminatione, apud citatos auctores occurrit.

Ex Kalendariis syr. vat. hodie Sanctae nostrae alia sociant *Zoticum* orphanotrophum, alia martyres *Himyritas in Nedjran.*

In ecclesia Armena ejusmodi est festorum dispositio hujus *περιόδου* anni ecclesiastici.

Apud Catholicos (secund. Kalendar. reformat.).	Apud Schismaticos (secund. Kalendar. antiquum).
Dec. 17. Paregentan Nativitatis Domini. 18. Initium jejunii Nativ. (per dies 7). 22. vel 23. David *τοῦ Θεοπάτορος* et Jacobi, *τοῦ Ἀδελφοθέου.* 24. Vigilia Nativ. (Vesp., Missa, *Φῶτα, προεόρτια,* sicut in Paschate). 25. *Nativitas Domini.* Octava. 26. Stephani protomart.	Dec. Continuatur ordo adventus; deinde quatuor festa majora (*Avak don-k)* 1) David *τοῦ Θεοπάτορος* et Jacobi *τοῦ Ἀδελφοθέου;* 2) Stephani protom.; 3) Petri et Pauli, principum Apost.; 4) Joannis et Jacobi, filiorum tonitrui. Dec. 29. Paregentan Epiphan. 30. Initium jejunii Epiphaniae (per dies 7).

[1]) Apud Migne, Patr. gr. tom. 34, pp. 1227—1230. Historia haec *Lausiaca (Λαυσαϊκόν)* vocatur a *Lauso,* in aula imperiali cubiculario, cui eam Palladius nuncupavit an. 420.

27. vel 28. Petri et Pauli, princ. Apost.
28—30. Joannis et Jacobi, filiorum tonitrui.
Caeteri dies de Octava.
Jan. 1. *Circumcisio et Nomen Domini.*
2, 3, 4. continuatur ordo Advent. (Hissnag-atz).
5. Vigilia Epiphaniae.
6. *Epiphan. et Baptism. Domini.*
7. Dies secundus; Commem. defunct.
13. Dies Octavae.

31. — Jan. 1. 2. 3. 4. } Jejunium Epiph.
5. Vigilia Nativitat. et Epiphan.
6. *Nativitas Domini et Epiphania.*
7. Dies secundus: commem. defunct.
13. Dies Oct. *Baptism. et Nomen Domini.*

De qua festorum differentia inter Catholicos et Schismaticos consuli potest saepius jam laudatus Rmus. Balgy, *Historia doctrinae cath. inter Armenos,* pp. 70 et 322.

Caeterum annus ecclesiasticus Armenorum raris plane festis immobilibus est distinctus; complectitur enim non amplius septem solemnia stata; reliquos dies festos, quos cum Graecis statos habemus Latini, vel in dies dominicos transtulerunt Armeni, vel certis quibusdam diebus, non alicujus mensis, sed hebdomadis, assignarunt, hebdomades autem ex ea, quae ecclesiae Armenae propria est, anni ecclesiastici divisione, in octo *περιόδους*, *πεντηκοστάς* seu *Quinquagenarias* dictas, pendent.

Verum de omnibus his accuratius agendum erit in altera parte commentarii nostri.

Quinam in toto anni circulo dies festi sive mobiles sive immobiles apud Armenos in Austria habeantur, Kalendaria popularia Cernovicii edita communiter indicant, ut ecce: *Bukowinaer Haus-Kalender, Calendariu edat de Sotietatea pe'ntru cultura sî literatura romîna,* utrumque vulgatum typis R. Eckhardt.

DE

KALENDARIO

ECCLESIAE OCCIDENTALIS.

I.

De Sanctis in Kalendarium Breviarii Romani relatis.

Sancti fastis latinis inserti ad ipsos illos dies, quibus consignata eorum memoria legitur in Kalendario ecclesiae occidentalis [1]), in Actis Sanctorum scriptores habent suos, eosque praestantissimos, unde quisque, quantum sibi opus est, facile haurire possit. Praeterea celebrantur in obvio quoque Breviario Romano, omisso tamen plerumque mortis tempore. Quare, quum quam poterimus compendio nobis sit utendum [2]), instituti nostri ratio in praefatione declarata et exercitationum academicarum necessitas id unum exigere videtur, ut ad extremum nominibus illorum coelitum, qui in Hemerologio graeco non occurrerunt, mortis annum adscribamus: mensibus Majo, Septembri, Octobri et Decembri tantum exhibitis nonnullis monumentis, quae hic legisse interfuerit.

JANUARIUS.

5. Com. S. Telesphori Papae et Mart. 154.
11. Com. S. Hygini Papae et Mart. 158.
14. Hilarii Episc., Conf. et Doct. *duplex.* 368. Com. S. Felicis Presb. et Mart. 256.
15. Com. S. Mauri Abbatis. 584.
16. Marcelli Papae et Mart. *semiduplex.* 310.
18. Cathedra S. Petri Romae, *duplex majus.* Com. S. Priscae Virg. et Mart. 267.

---

[1]) Tabulas illius Kalendarii dicimus, quod Commentario nostro praefixum est paginis imparibus, scilicet a 3. ad 25.

[2]) Recole quae superius notavimus p. 52, n. 1.

19. Canuti Regis et Mart. *semiduplex ad libit.* 886. Com. SS. Marii etc. Mart. 270.
23. Raymundi de Pennafort Conf. *semiduplex.* 1275. Com. S. Emerentianae Virg. et Mart.
25. Conversio S. Pauli Apost. *duplex majus.* 34.
28. Agnetis secundo.
29. Francisci Salesii Episc. et Conf. et Doct. *duplex.* 1622.
30. Martinae Virg. et Mart. *semiduplex.* 220.
31. Petri Nolasci Conf. *duplex.* 1256.

FEBRUARIUS.

4. Andreae Corsini Episc. et Conf. *duplex.* 1373.
6. Com. S. Dorotheae Virg. et Mart. 215.
7. Romualdi Abbatis, *duplex.* 1027.
8. Joannis de Matha Conf. *duplex.* 1213.
9. Apolloniae Virg. et Mart. 249.
10. Scholasticae Virginis, *duplex.* 543.
11. VII. Fund. O. Serv. B. M. V. Conf. *duplex.* saec. 13.
14. Valentini Presb. et Mart. 271.
15. Faustini 134. et Jovitae 121. Mart.
22. Cathedra S. Petri Antiochiae, *duplex maj.*
23. Petri Damiani Episc., Conf. et Doct. *duplex.* 1072.

MARTIUS.

4. Casimiri Conf. *semiduplex.* 1483. Com. S. Lucii Papae et Mart. 257.
7. Thomae de Aquino Conf. et Doct. *duplex.* 1274. Com. SS. Perpetuae et Felicitatis Mart. 203.
8. Joannis de Deo Conf. *duplex.* 1550.
9. Franciscae Viduae Romanae, *duplex.* 1440.
17. Patritii Episc. et Conf. *duplex.* 464.
28. Joannis a Capistrano Conf. *duplex.* 1456.

APRILIS.

2. Francisci de Paula Conf. *duplex.* 1508.
4. Isidori Episc., Conf. et Doct. *duplex.* 626.
5. Vincentii Ferrerii Conf. *duplex.* 1419.
13. Hermenegildi Mart. *semiduplex.* 586.

17. Aniceti Papae et Martyris. 173.
21. Anselmi Episc., Conf. et Doct. *duplex.* 1109.
22. Soteris 177. et Caji 296. Pont. et Mart. *semiduplex.*
24. Fidelis a Sigmaringa Mart. *duplex.* 1622.
26. Cleti 89. et Marcellini 304. Pont. et Mart. *semiduplex.*
28. Pauli a Cruce Conf. *duplex.* 1775. Com. S. Vitalis Mart.
30. Petri Martyris, *duplex.* 1252.
31. Catharinae Senensis Virg. *duplex.* 1380.

MAJUS.

3. Com. SS. Alexandri, 132. etc. M. ac Juvenalis Ep. et Conf. 377.
4. Monicae Viduae, *duplex.* 387.
5. Pii V. Papae et Conf. *duplex.* 1572.
6. Joannis ante Portam Latinam, *duplex majus.* 75.
7. Stanislai Episc. et Mart. *duplex.* 1097.
8. Apparitio S. Michaelis Archangeli, *duplex maj.* saec. V.
10. Antonini Episc. et Conf. *duplex.* 1459.
12. Nerei, Achillei 110., Domitillae Virg. atque Pancratii 305. Mart. *semiduplex.*
16. Ubaldi Episc. et Conf. *semiduplex.* 1160.
17. Paschalis Baylon Conf. *duplex.* 1592.
18. Venantii Martyris, *duplex.* 250.
19. Petri Coelestini Papae et Conf. *duplex.* 1296. Com. S. Pudentianae Virg.
20. Bernardini Senensis Conf. *semiduplex.* 1444.
23 *
25. Gregorii VII. Papae et Conf. *duplex.* 1085. **. Com. S. Urbani Papae et Mart. 230.
26. Philippi Nerii Conf. *duplex.* 1591. Com. S. Eleutherii Papae et Mart. 193.
27. Maria Magdalenae de Pazzis Virg. *semiduplex.* 1607. Com. S. Joannis Papae et Mart. 526.
28. Augustini Ep. et Conf. *duplex.* 604.
30. Felicis Papae et Martyris. 274.
31. Angelae Merici Virg., *duplex.* 1540. Com. S. Petronillae Virginis. 93.

* Ad diem vicesimum tertium Maji in fastis latinis etiam insertus est b. Andreas Bobola hieromartyr, ingentibus in eccle-

siam catholicam Ruthenorum meritis insignis, in appendice Breviarii Romani, Societati Jesu propria, hoc encomio celebratus:

Andreas Bobola Polonus, in Palatinatu Sandomiriensi patricia generis nobilitate natus, primam adolescentiam tanta cum verecundiae et innocentiae laude traduxit, ut aetate juvenis, moribus provectus haberetur. Sanctioris vitae studio incensus, paternis opibus abdicatis, Societati Jesu nomen dedit: in qua majores in dies singulos progressus ferens, animum ad virtutes impensius colendas adhibuit, eoque brevi pervenit, ut caeteris ad sanctitatem incitamento et exemplo esset. Religiosae vitae tyrocinio perfunctus, pueros non minus in literarum studiis, quam in christiana pietate instituendos suscepit; et sacerdotio initiatus lucrandis Deo animis se totum plane devovit, universamque ferme Lithuaniam apostolicis expeditionibus peragravit.

Quo in munere semper eodem animi ardore et eadem mentis constantia viginti et amplius annos perseveravit. Christianae doctrinae rudimentis tradendis, sacris concionibus vicatim habendis, catholicis a vitiis ad virtutem, haereticis et schismaticis ab errore ad veritatem traducendis diem pene omnem transigebat; nullis unquam fractus laboribus, nullis periculis territus, et inter adversa omnia fortis animo et invidia major; dignus propterea qui venator animarum et Lithuaniae apostolus passim ab hominibus appellaretur. Quibus rebus catholicae religionis hostes vehementer commoti et ad extremam efferati rabiem, Andream ex insidiis adoriri et ad necem quaerere constituunt.

Quapropter a Cosacis Photiano schismati faventibus comprehensus, quum nec minis, nec promissis adduci potuisset, ut a catholica religione descisceret, nobilissimum vitae et laborum finem oppetiit. Ac primum vestibus exutus et ad sepem alligatus, virgis crudelissime caesus est; mox vinctum inter duos milites, qui summos ei humeros identidem securibus incidebant, Janoviam duxere. Ibi capitis, manuum, pectoris pelle detracta, atque ustulatis ardenti face carnibus, labiis naribusque abscissis, altero illum oculo et lingua multarunt. Tandem aliis, iisque atrocioribus affectum suppliciis semianimem et vulneribus lacerum humi inter sordes lutumque pervolvunt, et gemino acinacis ictu conficiunt. Ita absoluto certamine victor ad palmam evolavit decimo septimo Kalendas Junii, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Sacrum ejus corpus diu sub terra delituit, donec ipso monente, prorsus incorruptum repertum est et suavissimum odorem spirans. Quo prodigio, quod ad haec usque tempora jugiter perdurat, simul cum aliis rite probato, Pius Nonus Pontifex Maximus invictum Christi martyrem coelestium Beatorum coetui adnumeravit.

** Sistendam hoc loco censemus epistolam s. Gregorii PP. VII. d. d. 17. Aprilis anni 1076 *Isjaslavo-Demetrio,* Magno Duci Russorum, quam memoravimus supra pag. 213. Exstat etiam apud

Rmum. Pelesz, *Geschichte der Union,* pag. 138. Est autem hujus tenoris[1]:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Demetrio regi Russorum et reginae uxori ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Filius vester, limina Apostolorum visitans, ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro Apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si apostolicae auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis et petitionibus, quia justa videbantur tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum praebuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio caritatis, ut beatus Petrus vos, et regnum vestrum omniaque vestra bona sua apud Deum intercessione custodiat, et cum omni pace, honore quoque et gloria idem regnum usque in finem vitae vestrae tenere vos faciat, et hujus militiae finito cursu impetret vobis apud supernum Regem gloriam sempiternam. Quin etiam nos paratissimos esse noverit vestrae Nobilitatis Serenitas, ut ad quaecunque justa negotia hujus sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, procul dubio continuo petitionum suarum consequetur effectum. Praeterea ut haec et alia multa, quae literis non continentur, cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos nuntios nostros, quorum unus vester notus est et fidus amicus, qui et ea, quae in literis sunt, diligenter vobis exponent, et quae minus sunt, viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cujus legati sunt, vos mites et affabiles praebeatis et quidquid dixerint, ex parte nostra patienter audiatis atque indubitanter credatis; et quae ibi ex auctoritate apostolicae sedis negotia tractare voluerint et statuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, sed potius eos sincera caritate favendo juvetis. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam.

Data Romae, XV. Kalendas Maii, indictione decima tertia.

JUNIUS.

2. Marcellini, Petri, atque Erasmi Mart. 303.
4. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.* 1608.
5. Bonifacii Episc. et Mart. *dupl.* 755.
6. Norberti Episc. et Conf. *dupl.* 1134.
9. Primi 287. et Feliciani 295. Martyrum.
10. Margaritae Reginae Scotiae Vid. *semid.* 1093.

[1]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 148, p. 424.

12. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* 1479. Com. SS. Basilidis, etc. Mart.
13. Antonii de Padua Conf. *dupl.* 1231.
15. Viti, Modesti atque Crescentiae Mart. 303.
18. Marci et Marcelliani Martyrum. 286.
19. Julianae de Falconeriis Virg. *dupl.* 1340.
20. Silverii Papae et Martyris. 539.
21. Aloysii Gonzagae Conf. *dupl.* 1591.
22. Paulini Episc. et Conf. 131.
25. Guilielmi Abb. *dupl.* 1142.
26. Joannis et Pauli Mart. *dupl.* 362.
28. Leonis II. Papae et Conf. *semid.* 683.

JULIUS.

2. Com. SS. Processi et Martiniani Mart.
8. Elisabeth Reginae Portugalliae Vid. *semid.* 1336.
10. Septem Fratrum et SS. Rufinae ac Secundae Virg. et Mart. *semidupl.* saec. 2.
11. Pii Papae et Martyris. 157.
12. Joannis Gualberti Abb. 1073. Com. SS. Naboris et Felicis Mart.
13. Anacleti Papae et Mart. *semidupl.* 109.
14. Bonaventurae Episc., Conf. et Doct. *dupl.* 1274.
15. Henrici Imperatoris Conf. *semidupl.* 1224.
16. B. M. V. de Monte Carmelo, *dupl. maj.*
18. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* 1614. Com. S. Symphorosae cum 7 filiis Mart. 120.
19. Vincentii a Paulo Conf. *dupl.* 1660.
20. Hieronymi Aemiliani Conf. *dupl.* 1537. Com. S. Margaritae Virg. et Mart. 364.
21. Praxedis Virginis.
23. Apollinaris Episc. et Mart. *dupl.* 94. Com. S. Liborii Episc. et Conf. 397.
28. Nazarii, Celsi, et Victoris Papae Mart. 202. ac Innocentii 417. Papae et Conf. *semid.*
29. Com. SS. Felicis Papae, 365, Simplicii, etc. Martyrum.
30. Abdon et Sennen, Martyrum. 250.
31. Ignatii de Loyola Conf. *dupl.* 1556.

AUGUSTUS.

2. Alphonsi Mariae de Lig. Episc., Conf. et Doct. 1787. *dupl.* Com. S. Stephani Papae et Mart. 260.
4. Dominici Confessoris, *dupl. maj.* 1221.
5. Dedicatio S. Mariae ad Nives, *dupl. maj.* 435.
6. Com. SS. Xysti Papae, etc. Mart. 259.
7. Cajetani C. *dupl.* 1547. Com. S. Donati Ep. et Mart. 382.
9. Com. S. Romani Mart. 258.
11. Com. SS. Tiburtii et Susannae Martyrum. 286.
12. Clarae Virginis, *dupl.* 1253.
13. Com. SS. Hippol. et Cassiani Mart.
14. Com. S. Eusebii C. 290.
16. Hyacinthi Conf. *dupl.* 1257.
18. Com. S. Agapiti Mart. 273.
20. Bernardi Abb. et Doct. *dupl.* 1153.
21. Joannae Franciscae Vid. *dupl.* 1611.
22. Com. SS. Timothei, etc. Mart. 311.
23. Philippi Benitii Conf. *dupl.* 1285.
25. Ludovici Reg. Franc., Conf. *semidupl.* 1270.
26. Zephyrini Papae et Martyris. 219.
27. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.* 1648.
28. Com. S. Hermetis Mart. 132.
29. Com. S. Sabinae Mart. 126.
30. Rosae V. 1617. *dupl.* Com. SS. Felicis etc. Mm. 303.
31. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.* 1340.

SEPTEMBER.

1. Aegidii Abb. 701. Com. SS. 12 Fratrum Mart. 295.
2. Stephani Regis Hungariae Conf. *semid.* *
5. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.* 1160.
8. S. Adriani Mart. 306.
9. Com. S. Gorgonii Mart. 304.
10. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* 1309
11. Com. SS. Proti, etc. Mart. 257.
15. Com. S. Nicomedis Mart. 90.
16. Cornelii 255. et Cypriani 258. Pont. et Mart. *semid.*
17. Impressio Stigmatum S. Francisci, *dupl.*
18. Josephi a Cupertino Conf. *dupl* 1663.

22. Thomae a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* 1555. Com. SS. Mauritii et Soc. Mart. 286.
23. Lini Papae et Mart. *semiduplex.* 76.
24. B. M. V. de Mercede, *dupl. maj.*
29. Dedicatio S. Michaelis Archang., *dupl.* 2. *cl.* 439.
30. Hieronymi Presb., Conf. et Doct. *dupl.* 420.

* Quanta cum sollicitudine curatum ab utroque magistratu sit, ut festum *s. Stephani*, Proto-Regis Hungariae, ab omnibus regnicolis ageretur (supra pp. 30 et 252), praeter alia literae encyclicae ostendunt, quas Rmus. Vicarius capitularis [1]) Munkacsiensis ritus graeci ad clerum amplissimae illius dioecesis dedit d. 22. Januarii 1833. Monumentum non uno ex capite memoratu dignum, ex archivis dioecesanis erutum, hic subjiciendum censemus:

Admodum Reverende Domine Vice-Archidiacone et Parochi!

Nr. 39. In obsequium B. Gratiosi ddto. 5. Septembris a. p. Nro. 24421 emanati, tenoris sequentis, intimati: Quum Altissimum praescriptum in celebrandis catholicorum festis normam recentiori epocha minus observatum fuisse isthic innotuerit, emanata in specie quoad celebrandum s. Stephani Proto-Regis Hungariae festum, Altissima sub ddto. 29. Julii 1831 Nr. 8483 Resolutio regia sub ddto. 5. Octobris 1831, Nro. 25853 regno tenus jam publicata Praettae D. Vestrae ad praecavendas in futurum similes praevaricationes pro directione faciendaque per Dioecesim publicatione ac stricto observamine iterato intimatur: Benignum Gratiosum ddto. 5. Octobris a. p. Nro. 25853 sequentis tenoris intimatum: Sua Majestas Sacratissima circa festum s. Stephani regis per Augustanae et Helveticae confessionis regnicolas, qualiter observandum, clementer resolvere dignata est: Festo s. Stephani Proto-Regis, normalibus regni festis adnumerato, per omnes quamcunque religionem profitentes hoc die in foro externo ab omnibus, quae festis diebus fieri per legem vetita sunt, abstinendum. Caeterum arbitrio evangelicae confessioni addictorum relinquendum esse, an et quo religionis cultu memoriam divi primi Hungariae regis in sacris ipsorum aedibus celebraturi sint. — — Quam Altissimam Resolutionem regiam isthoc Locumtenentiale Consilium Praettae D. Vestrae pro cynosura et stricto observamine intimandum habet jam ddto. 4. Novembris Nro. 1217 anni 1831, ab hinc circulariter publicatam republicando vi hujus Praettae D. Vestrae:

Ut die s. Stephano Proto-Regi sacro, in diem 20. Augusti st. n. incidente, in ecclesiae divinis *commune Apostoli*, in quantum

[1]) Vacavit sedes episcopalis a morte *Alexii Pócsy* († 11. Julii 1831) usque ad 2. Octob. 1837, quo die promotus ad eandem cathedram est *Basilius Popovics*.

speciali officio sancti hujus libri nostri rituales carerent absolvendo, solemniter operentur ac diem hanc per fideles, modalitate circa festa decretalia praescripta, sanctificari procurent[1]); quo in merito summa a Praettis DD. Vestris accuratia deposcitur; nec existimo ullus, festum hoc in diem Transfigurationis Domini[2]) aut diem Dominicam transferri posse, vel vero illud in possessionibus mixti ritus aut religiosis celebrandum non esse, obligatio enim festum hoc die sancto Regi dicata tenendi omnibus, ut e praeveneratis Intimatis clarum est, indispensabiliter incumbit. — In reliquo fraterno cum affectu maneo Unghvarini die 22. Januarii 1833, Praettarum DD. Vestrarum devinctissimus in Christo frater Joannes Csurgowich, vicarius generalis capitularis.

OCTOBER.

1. Remigii Episc. et Conf. *semid. ad libitum, vel simplex de praecepto.* 533.
2. Angelorum Custodum, *dupl. maj.*
4. Francisci Confessoris, *dupl. maj.* 1226.
5. Placidi et Sociorum Martyrum. 546.
6. Brunonis Confessoris, *dupl.* 1101.
7. Marci Papae et Conf. 336.
8. Birgittae Viduae, *dupl.* 1373.
10. Francisci Borgiae Conf. *semidupl.* 1572.
13. Eduardi Regis Conf. *semidupl.* 1066.
14. Callisti Papae et Mart. *dupl.* 222.
15. Teresiae Virginis, *dupl.* 1582.
17. Hedwigis Viduae, *semidupl.* 1243.
18. *
19. Petri de Alcantara Conf. *dupl.* 1562.
20. Joannis Cantii Conf. *dupl.* 1473.
21. Com. SS. Ursulae et Sociarum Virg. et Mart. 451.
26. Evaristi Papae et Martyris. 109.

---

[1]) Sub die 4. Novembris 1831 ab eodem Vicario Capitulari jam praeceptum Vice-Archidiaconis erat, ut instituta Altissimae Resolutionis per gremium Archidiaconatus sui currentatione et inprotocollatione respectivos curatos eo inviarent, ut die s. Stephano Proto-Regi sacro, seu 20. Augusti st. n. festum fori fidelibus annuntiarent et in ecclesia *officium commune Apostoli* assumerent.

In aliis dioecesibus etiam *Officium s. Wladimiri* ad festum s. Stephani accommodatur.

[2]) Hoc est 18. Augusti *n. st.* Vide supra p. 16.

* Quum quae in altera hujus operis parte de cultu festoque sanctissimi Cordis Jesu sumus dicturi, intime cum Actis *b. Margaritae Mariae* cohaereant, operae pretium fore existimamus, si ejus lectiones ex Appendice Breviarii ad d. 25. Octob., aliquibus dioecesibus propria, hic sistamus —, praesertim quod eae in paucorum orientalium adhuc manus pervenerint, et multis, qui nondum viderint, non minus utiles quam gratae futurae sint.

Margarita Maria Alacoque in pago Dioecesis Augustodunensis honesto genere nata, miro praevenientis gratiae instinctu a teneris annis viam perfectionis arripuit, ac primos innocentissimi cordis affectus ad eam interioris vitae formam, ad quam divinitus electa erat, composuit. Puellula vix dum rationis compos nihil magis in deliciis habuit, quam genibus positis, junctisque manibus coelesti sponso sistere se, Ei cor suum dicare, et virginalem devovere castitatem, Ipso interius votum supra aetatem inspirante. Studium placendi Jesu, et pietas in Deiparam, cui se ab illo commendatam novit, pariter crevere cum annis. Ex hoc Christi amore, quem producta ad plures horas meditatio alebat, ingens exarsit patiendi amor, ut Ei, quem unice diligebat, similem se exhiberet. Hinc corpus jejuniis, vigiliis, aliisque asperitatibus ad morbum usque afflixit: animum vero inter diuturnas vexationes, quas patre orbata a famulis pertulit, ad imaginem Ejus, qui mitis est et humilis corde, constanter effingens, brevi ad magnam sanctitatem in ipso saeculo pervenit.

Ordinem Visitationis Sanctae Mariae, quo a propinquis abesset longius, Paredii ingressa, statim in tirocinio cunctis religiosae vitae virtutibus indubium sanctitatis specimen praebuit. Interim Christus sublimioris orationis dono, internis locutionibus, aliisque charismatibus sponsam suam illustrare et ad sua consilia propius disponere instituit. Inter varias apparitiones illa maxime celebris fuit, qua ante Eucharistiam oranti Jesus semetipsum conspiciendum obtulit, et divinum Cor suum in aperto pectore flammis incensum et spinis constrictum ostendit, praecepitque, ut pro tali charitate, et ad reparandas ingratorum hominum injurias illa publicum Cordi suo cultum, magnis propositis gratiarum praemiis, instituendum curaret, et cunctantem humilitatis causa, seque tantae rei imparem dictitantem, promisso auxilio et praenuntiato successu confirmavit. Exinde fidissima Christi sponsa hoc unum spirare, verbis, exemplis, scriptis, jugi vitae suae sacrificio hoc unum quaerere visa est, ut sanctissimo Cordi Jesu interior, exteriorque cultus, qualem Ei placere ab Ipso didicerat, ab omnibus tribueretur, quod et tunc fieri mirabiliter coepit et postea, approbante sancta Sede, quanto fructu sit perfectum, universus orbis catholicus testatur.

Quod enixe a Domino petierat, ut illustria Ejus dona in sui contemptum verterentur, abunde obtinuit. Nunquam enim defuere domi et foris, qui illam misere illusam credentes, aut saltem dubi-

tantes, ejus spiritum dicteriis carperent, vel certe assiduis ac duris subjicerent experimentis: in quibus tamen mitissimae Virginis humilitas, patientia, obedientia, et charitas magis semper eluxerunt. Contumelias quoque ac minas ab extraneis ob nobilem alumnam a tirocinio fortiter dimissam invicta constantia toleravit. Accessere morbi graves et diuturni, quibus levandis remedia a medicis oblata nocebant. Inter haec illa in divino Christi Corde absorpta, et igne charitatis ejus incensa plura et graviora pati semper optabat: extremum morbum patientissime toleranti subito divini judicii cogitatio tantum injecit metum, ut cum tremore ac fletu Crucifixum stringens misericordiam sibi precaretur: sed mox consolationes Dei laetificaverunt animam ejus. Igitur tamquam consummata charitatis victima, die decima septima Octobris ad sponsum evolavit, annos nata tres et quadraginta. Coelestem ejus gloriam miracula confirmarunt, quibus rite probatis, eam Pius Nonus Pontifex Maximus magna piorum gratulatione quartodecimo Kalendas Octobris Anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti beatarum Virginum coetui adscripsit[1]).

NOVEMBER.

4. Caroli Episc. et Conf. *dupl.* 1584. Com. SS. Vitalis, etc. Mart. 304.
8. Com. SS. Quatuor Coronatorum Mart.
9. Dedicat. Basilicae Salvatoris, *dupl.*
10. Andreae Avellini Conf. *dupl.* 1590.
11. Martini Episc. et Conf. *dupl.* 397.
13. Didaci Confessoris, *semidupl.* 1463.
15. Gertrudis Virginis *dupl.* 1334.
18. Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, *dupl.*
19. Elisabeth Viduae, *dupl.* 1231. Com. S. Pontiani Papae et Mart. 238.
20. Felicis de Valois Conf. *dupl.* 1212.
23. Com. S. Felicitatis Mart.
24. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* 1591. Com. S. Chrysogoni.
26. Silvestri Ab. *dupl.* 1267.
29. Com. S. Saturnini Mart. 256.

---

[1]) Qui in Hungaria et Transsylvània exilia haec nostra lectione dignati fuerint, non exiguo suo commodo consulent Rmum. et Cmum. D. Zádori, virum eximia doctrina et ferventi zelo conspicuum, qui quae ad vitam, virtutes, miracula B. Marg. M. Alacoque spectant, fusiori calamo hungarice est prosecutus in peregregio opere *A Jézus Szive Ajtatosságának Története, Mivolta, Hittani Alapja,* pp. 192—270. Budapestini, apud Tettey, 1878.

DECEMBER.

1. *
2. Bibianae Virg. et Mart. *semidupl.* 363.
3. Francisci Xaverii, Conf. *dupl.* 1552.
4. Petri Chrysologi Episc., Conf. et Doct. *dupl.* 450.
10. Com. S. Melchiadis. 314.
11. Damasi Papae et Conf. *semidupl.* 384.
16. Eusebii Episc. et Mart. *semidupl.* 380.
29. Thomae Cantuariensis Ep. et Mart *semidupl.* 1120.

* Beator. Edmundi Campion et soc. Mm. *(Propr. S. J.)*.

Quod ante hos decem annos in Kalendarii parte 3. scripsimus p. 131, firmam spem esse, illustrem Angliae apostolum *Edmundum Campion, e S. J., defensorem ac martyrem divini Primatus Romani Pontificis,* propediem in beatorum coelitum catalogum relatum iri, id anno proxime sequenti jam feliciter effectum est solemni decreto a Leone PP. XIII. edito die 9. Decembris 1886, quo eidem hieromartyri aliisque quatuor ejusdem Societatis alumnis honores Beatorum adjudicantur, communi eorum festivitate diei 1. Decembris affixa, quo beatus Edmundus martyrii palmam accepit Londini an. 1581.

Rationes cultus *oratio propria* declaret, quam in Officio et Missa dicere jubemur:

„Deus, qui verae fidei et Sedis Apostolicae Primatui propugnando beatos martyres tuos Edmundum ejusque socios invicta fortitudine roborasti: eorum precibus exoratus nostrae, quaesumus, infirmitati succurre, ut fortes in fide adversario resistere usque in finem valeamus. Per D. N. J. Ch.“

II.

Specimen anni ecclesiastici cum festis mobilibus.

Cur festa mobilia in Kalendario universali ecclesiae latinae initio commentarii nostri posito (pp. 3 seqq.) exhiberi non potuerunt, dictum est supra pag. 29. Ne vero exemplum anni ecclesiastici cum suis festis mobilibus desit, hic describendum a capite ad calcem judicavimus Kalendarium currentis anni 1895, exhibens Pascha die 14. Aprilis [1]), et qui-

---

[1]) Pascha in hunc diem 14. Aprilis incidit, quando litera dominicalis F concurrit cum una ex sex epactis 5. 4. 3. 2. 1. *: quemadmodum docet *Tabula paschalis nova reformata*, Breviario et Missali Rom. praefixa. Istae epactae quippe, ultimis sex diebus Martii tributae (supra p. 7), indicant *lunam 1.* (paschalem) infra ultimam hebdomadam ejus mensis (26—31) evenire, atque inde *lunam 14.* respondenti feria secundae hebdomadae Aprilis (7—13) esse secuturam.

Hic concursus (literae dominicalis F atque unius ex istis sex epactis) duobus saeculis proxime futuris septies obtinebit; nimirum:

1895	cum	epacta	4.	(27. Mart.)
1963	„	„	5.	(26. Mart.)
1968	„	„	*	(31. Mart.)
1974	„	„	6.	(25. Mart.)
2047	„	„	3.	(28. Mart.)
2058	„	„	5.	(26. Mart.)
2069	„	„	6.	(25. Mart.)

Occursus literae dominicalis F et epactae 2. locum habebit an. 2875. Cum epacta 1. vero litera dom. F demum concurret an. 3247.

Occursus praesentis anni (literae F et epactae 4) prima vice iterum eveniet an. 2267.

Atque rem ita se habere, optimi juvenes heortologiae sacrae cupidi ex regulis *Computi ecclesiastici,* qui ad auxiliares literas disciplinae nostrae pertinet, ex ordine demonstrent.

dem Kalendarium ipsius Urbis Romae, in quo omnes sancti Pontifices Romani celebrantur *ritu duplici.* Ex eo lector et id commodi consequetur, ut simul oculis perspiciat, quomodo Sanctorum alicui dioecesi vel instituto propriorum in ordinando anno ecclesiastico ex recentiorum decretorum praescripto ratio habeatur.

JANUARIUS.

1. Fer. 3. Circumcisio D. N. J. C. *dupl. 2. cl.*
2. Fer. 4. Oct. s. Stephani Protom. *dupl.*
3. Fer. 5. Oct. s. Joannis Ap. et Ev. *dupl.*
4. Fer. 6. Oct. ss. Innocentium Mm. *dupl.*
5. Sabb. Vigil. Epiphaniae. *semid.*
6. Dom. *(vacat)* Epiphania Domini *dupl. 1. cl. cum oct.*
7. Fer. 2. De 2. die infr. oct. *semid.*
8. Fer. 3. De 3. die infr. oct. *semid.*
9. Fer. 4. De 4. die infr. oct. *semid.*
10. Fer. 5. De 5. die infr. oct. *semid.*
11. Fer. 6. De 6. die infr. oct. *semid.*
12. Sabb. De Dom. infra oct. *semid.* Com. oct.
13. Dom. I. post Epiph. Oct. Epiph. *dupl.*
14. Fer. 2. S Hilarii Ep. C. D. *dupl.* Com. s. Felicis.
15. Fer. 3. S. Pauli primi Eremitae C. *dupl.* Com. s. Mauri.
16. Fer. 4. S. Marcelli I. P. M. *dupl.*
17. Fer. 5. S. Antonii Abb. *dupl.*
18. Fer. 6. Cathedrae s. Petri Ap. Romae, *dupl. maj.* Com. s. Pauli et s. Priscae.
19. Sabb. S. Canuti Reg. M. *semid. ad libit.* Com. ss. Marii et soc.
20. Dom. II. post Epiph. ss. Nominis Jesu, *dupl. 2. cl.* Com. ss. Fabiani et Sebastiani Mm. et Dom.
21. Fer. 2. S. Agnetis V. M. *dupl.*
22. Fer. 3. Ss. Vincentii et Anastasii Mm. dupl.
23. Fer. 4. Desponsat. B. M. V. *dupl. maj.* Com. s. Joseph C. ac s. Emerentianae V. M.
24. Fer. 5. S. Timothei Ep. M. *dupl.*
25. Fer. 6. Conversio s. Pauli Ap. *dupl. maj.* Com. s. Petri Ap.
26. Sabb. S. Polycarpi Ep. M. *dupl.*

27. Dom. III. post Epiph. Fest. s. Familiae Jesu, Mariae, Joseph. *dupl. maj.* Com. Dom. III. post Epiph.
28. Fer. 2. S. Joannis Chrysostomi Ep. C. D. (d. a. ex heri) *dupl.* Com. s. Agnetis V. M. secundo.
29. Fer. 3. S. Francisci Salesii Ep. C. D. *dupl.*
30. Fer. 4. S. Felicis IV. P. C. *dupl.*
31. Fer. 5. S. Petri Nolasco C. *dupl.*

FEBRUARIUS.

1. Fer. 6. S. Ignatii Ep. M. *dupl.*
2. Sabb. Purificat. B. M. V. *dupl. 2. cl.*
3. Dom. IV. post Epiph. S. Dionysii P. C. *dupl.* Com. Dom. et s. Blasii Ep. M.
4. Fer. 2. S. Andreae Corsini Ep. C. *dupl.*
5. Fer. 3. S. Agathae V. M. *dupl.*
6. Fer. 4. S. Hyacinthae de Mariscottis V. *dupl.* Com. s. Dorotheae V. M.
7. Fer. 5. S. Romualdi Abb. *dupl.*
8. Fer. 6. S. Joannis de Matha C. *dupl.*
9. Sabb. S. Zosimi P. C. *dupl.* Com. s. Apolloniae V. M.
10. Dom. in Septuag. 2. *cl.* De ea *semid.* Com. s. Scholasticae V.
11. Fer. 2. Apparit. B. M. V. Immacul. *dupl. maj.*
12. Fer. 3. Orationis D. N. J. C. in Monte Olivar. *dupl. maj.* Com. s. Telesphori P. M.
13. Fer. 4. S. Gregorii II. P. C. *dupl.*
14. Fer. 5. S. Agathonis P. C. *dupl.* Com. s. Valentini M.
15. Fer. 6. S. Martinae V. M. (d. a. ex 30 Jan.) *dupl.* Com. ss. Faustini et Jovitae Mart.
16. Sabb. B. Gregorii X. P. C. *dupl.*
17. Dom. in Sexag. 2. *cl.* — De ea *semid.* Com. S. Hygini P. M.
18. Fer. 2. S. Raymundi de Peñafort C. (d. a. ex 23. Jan.) *semid.* Com. S. Simeonis Ep. M.
19. Fer. 3. Commem. solemn. Passion. D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. S. Titi Ep. C.
20. Fer. 4. Annivers. Assumptionis SS. D. N. Leonis Papae XIII. ad Summum Pontificatum. S. Cyrilli Alexandrini Ep. C. D. (d. a. ex 9 huj.) *dupl.*

21. Fer. 5. Ss. Sept. Fundat. Ord. Servor. B. M. V. (d. a. ex 11. huj.) *dupl.*
22. Fer. 6. Cathedrae S. Petri Ap. Antioch. *dupl. maj.* Com. s. Pauli Ap.
23. Sabb. Vigil. S. Mathiae Ap. S. Petri Damiani Ep. C. D. *dupl.* Com. vig.

De S. Mathia Ap. fit 28 huj.

24. Dom. in Quinquag. *2. cl.* De ea *semid.*
25. Fer. 2. S. Felicis III. P. C. *dupl.*
26. Fer. 3. S. Margaritae de Cortona Poenit. *semid.*
27. Fer. 4. Cinerum. — Com. S. Antheri P. M.
28. Fer. 5. S. Mathiae Ap. (f. 24 huj.) *dupl. 2. cl.* Com. fer. (quotidie) in Quadr.

MARTIUS.

1. Fer. 6. Sacrat. Spineae Coronae D. N. J. C. *dupl. maj.*
2. Sabb. S. Simplicii P. C. *dupl.*

Pars verna.

3. Dom. I. in Quadrag. *1. cl.* Annivers. Coronat. Ss. D. N. Leonis XIII. quem Deus diu sospitem servet. — De ea *semid.*
4. Fer. 2. S. Lucii I. P. M. *dupl.*
5. Fer. 3. S. Casimiri Reg. C. (d. a. ex heri) *semid.*
6. Fer. 4. Quat. Temp. De ea vel de s. Josepho *sem.*
7. Fer. 5. S. Thomae de Aquino C. D. *dupl.* Com. ss. Perpetuae et Felicitatis Mm.
8. Fer. 6. Quat. Temp. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. s. Joannis de Deo C.
9. Sabb. Quat. Temp. S. Franciscae Rom. Vid. *dupl.*
10. Dom. II. in Quadrag. *2. cl.* De ea *semid.* Com. ss. quadraginta Mm.
11. Fer. 2. De ea vel de ss. Angelis *semid.*
12. Fer. 3. S. Gregorii I. P. C. D. *dupl.*
13. Fer. 4. De ea vel de s. Josepho *semid.*
14. Fer. 5. De ea vel de ss. Sacram. *semid.*
15. Fer. 6. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. s. Zachariae P. C.
16. Sabb. De eo vel de Im. Conc. B. M. V. *semid.*
17. Dom. III. in Quadrag. *2. cl.* De ea *semid.* Com. S. Patritii Ep. C.

18. Fer. 2. S. Gabrielis Archang. *dupl. maj.*
19. Fer. 3. S. Joseph C. Sponsi B. M. V. Cathol. Eccl. Patroni, *dupl. 1. cl.*
20. Fer. 4. S. Cyrilli Hierosol. Ep. C. D. (d. a. ex 18 huj.) *dupl.*
21. Fer. 5. S. Benedicti Abb. *dupl. maj.*
22. Fer. 6. Sacror. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. s. Catharinae Fliscae Adurnae Vid.
23. Sabb. De ea vel de Im. Conc. B. M. V. *semid.*
24. Dom. IV. in Quadrag. quae dic. Laetare, *2. cl.* De ea *semid.*
25. Fer. 2. Annuntiat. B. M. V. *dupl. 2. cl.*
26. Fer. 3. De eo vel de ss. Petro et Paulo Ap. *semid.*
27. Fer. 4. S. Joannis Damasceni C. D. *dupl.*
28. Fer. 5. S. Xysti III. P. C. *dupl.*
29. Fer. 6. Pretiosiss. Sanguin. D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. s. Joannis a Capistrano C.
30. Sabb. quod dic. Sitientes. De eo vel de Immac. Concept. B. M. V. *semid.*
31. Dom. Passionis, *1. cl.* De ea *semid.*

APRILIS.

1. Fer. 2. De ea.
2. Fer. 3. S. Francisci de Paula C. *dupl.*
3. Fer. 4. De ea.
4. Fer. 5. S. Isidori Ep. C. D. *dupl.*
5. Fer. 6. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.* Com. s. Vincentii Ferr. C.
6. Sabb. S. Xisti I. P. M. *dupl.*
7. Dom. Palmar. *1. cl.* De ea *semid.* Com. s. Coelestini I. P. C.
8. Fer. 2. Maj. Hebd. De ea.
9. Fer. 3. Maj. Hebd. De ea.
10. Fer. 4. Maj. Hebd. De ea.

    De S. Leone I. P. C. D. fit 22. Jun.
11. Fer. 5. in Coena Domini, *dupl. 1. cl.*

    De s. Julio I. P. C. hoc anno nihil.
12. Fer. 6. in Parasceve, *dupl. 1. cl.*

    De s. Hermenegildo Reg. M. hoc anno nihil.

[1]) Abhinc *1. cl.*

13. Sabb. Sanctum *dupl. 1. cl.*

Incipit Tempus Paschale.

De ss. Justino ac Tiburtio et Soc. Mm. hoc anno nihil

14. Dom. Pasch. Resurrectionis D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum oct.*
15. Fer. 2. Pasch. *dupl. 1. cl.*

De s. Benedicto Josepho Labre C. hoc anno nihil.

16. Fer. 3. Pasch. *dupl. 1. cl.*
17. Fer. 4. infr. oct. Pasch. *semid.* Com. s. Aniceti P. M.
18. Fer. 5. infr. oct. Pasch. *semid.*
19. Fer. 6. infr. oct. Pasch. *semid.* Com. s. Leonis IX. P. C.
20. Sabb. quod dic. in Albis, *semid.*

De s. Anselmo Ep. C. D. fit 13 Sept.

21. Dom. quae dic. in Albis, I. post Pasch. De ea *dupl.*
22. Fer. 2. Ss. Soteris et Caji Pp. Mm. *dupl.*
23. Fer. 3. S. Georgii M. *semid.*
24. Fer. 4. S. Fidelis a Sigmaringa M. *dupl.*
25. Fer. 5. S. Marci Ev. *dupl. 2. cl.*
26. Fer. 6. Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm. *dupl.*
27. Sabb. S. Anastasii I. P. C. *dupl.*
28. Dom. II. post Pasch. S. Pauli a Cruce C. *dupl.* Com. Dom. ac s. Vitalis M.
29. Fer. 2. S. Petri M. *dupl.*
30. Fer. 3. S. Catharinae Senens. V. Almae Urbis Patronae secund. *dupl. 2. cl.*

MAJUS.

Ab hac die usque ad ultimam Octobris inclusive additur in Miss. Collect. N. 18. Ad repellendas tempestates.

1. Fer. 4. Ss. Philippi et Jacobi Ap. *dupl. 2. cl.*
2. Fer. 5. S. Athanasii Ep. C. D. *dupl.*
3. Fer. 6. Invent. S. Crucis D. N. J. C *dupl. 2. cl.* Com. ss. Eventii et Soc.
4. Sabb. S. Monicae Vid. *dupl.*
5. Dom. III. post Pasch. Patrocin. S. Joseph. C. Spons. B. M. V. *dupl. 2. cl.* Com. s. Pii V. P. C. et Dom.
6. Fer. 2. S. Joannis Ap. ante Portam Latinam, *dupl. maj.*
7. Fer. 3. S. Benedicti II. P. C. *dupl.*

8. Fer. 4. Apparit. s. Michaelis Archang. *dupl. maj.*
9. Fer. 5. S. Gregorii Nazianzeni Ep. C. D. *dupl.*
10. Fer. 6. S. Antonini Ep. C. *dupl.* Com. ss. Gordiani et Epimachi Mm.
11. Sabb. S. Alexandri I. P. M. *dupl.*
12. Dom. IV. post Pasch. De ea *semid.* Com. ss. Nerei et soc. Mm.
13. Fer. 2. S. Stanislai Ep. M. (d. a. ex 7 huj.) *dupl.*
14. Fer. 3. S. Paschalis I. P. C. *dupl.* Com. s. Bonifacii M.
15. Fer. 4. S. Isidori Agricolae C. *dupl.*
16. Fer. 5. S. Ubaldi Ep. C. *semid.*
17. Fer. 6. S. Joannis Nepomuceni M. (d. a. ex heri) *dupl.*
18. Sabb. S. Venantii M. *dupl.*
19. Dom. V. post Pasch. S. Petri Coelestini P. C. *dupl.* Com. Dom. et s. Pudentianae V.
20. Fer. 2. Rogat. — S. Bernardini Senen. C. *semid.* Com. Rogat.
21. Fer. 3. Rogat. (de qua nihil in Off.) S. Felicis a Cantalicio C. *semid.*
22. Fer. 4. Rogat. (de qua nihil in Off.) Vigil. Ascens. S. Paschalis Baylon. C. (d. a. ex 17 huj.) *dupl.* Com. Vig.

    De s. Joanne Bapt. De Rossi C. hoc anno nihil.

23. Fer. 5. Ascensio D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum oct.*
24. Fer. 6. B. M. V. sub titul. Auxilium Christianorum, *dupl. maj.* Com. Oct.
25. Sabb. S. Gregorii VII. P. C. *dupl.* Com. Oct.
26. Dom. infr. oct. Ascens. S. Philippi Neri C. *dupl. 2. cl.* Com. Dom. tant.
27. Fer. 2. S. Joannis I. P. M. *dupl.*
28. Fer. 3. S. Urbani I. P. M. *dupl.*
29. Fer. 4. S. Bonifacii IV. P. C. *dupl.* Com. oct.
30. Fer. 5. Oct. Ascens. *dupl.* Com. s. Felicis I. P. M.
31. Fer. 6. S. Angelae Merici V. dupl. Com. fer. ac s. Petronillae V.

JUNIUS.

1. Sabb. Vigil. Pent. De ea. *semid.*

De ss. Eugenio I. P. C. ac Marcellino et Soc. Mm. hoc anno nihil.

2. Dom. Pentecostes, *dupl. 1. cl. cum oct.*

De s. Maria Magdal. de Pazzis V. hoc anno nihil.

3. Fer. 2. Pent. *dupl. 1. cl.*

De S. Francisco Caracciolo C. hoc anno nihil.

4. Fer. 3. Pent. *dupl. 1. cl.*
5. Fer. 4. Quat. Temp. infr. oct. Pent. *semid.* Com. s. Bonifacii Ep. M.
6. Fer. 5. infr. oct. Pent. *semid.* Com. s. Norberti Ep. C.
7. Fer. 6. Quat. Temp. infra oct. Pent. *semid.* Com. s. Augustini Cantuariensis Ep. C.
8. Sabb. Quat. Temp. infr. oct. Pent. semid. Com. s. Ferdinandi III. Reg. C.
9. Dom. I. post Pent. *1. cl.* Ss. Trinitatis, *dupl. 2. cl.* Com. Dom. et ss. Primi et Feliciani Mm.
10. Fer. 2. S. Margaritae Scotor. Regin. Vid. *semid.*
11. Fer. 3. S. Barnabae Ap. *dupl. maj.*
12. Fer. 4. S. Leonis III. P. C. *dupl.* Com. ss. Basilidis et soc. Mm.

De s. Antonio de Padua C. hoc anno nihil.

13. Fer. 5. Ss. Corporis Christi, *dupl.* 1. *cl. cum oct*
14. Fer. 6. S. Basilii Ep. C. D. *dupl.* Com. oct.
15. Sabb. S. Joannis a s. Facundo C. (d. a. ex 12 huj.) *dupl.* Com. oct. ac ss. Viti et soc. Mm.
16. Dom. infr. oct. ss. Corporis Christi, II. post Pent. De ea *semid.* Com. oct.
17. Fer. 2. De fer. 2. infr. oct. *semid.*
18. Fer. 3. De fer. 3. infr. oct. *semid.* Com. ss. Marci et Marcelliani Mm.
19. Fer. 4. S. Julianae de Falconeriis V. *dupl.* Com. oct. ac ss. Gervasii et Protasii Mm.
20. Fer. 5. Oct. Ss. Corporis Christi, *dupl.* Com. s. Silverii P. M.

De s. Aloisio G. hoc anno nihil.

21. Fer. 6. Sacrat. Cordis Jesu, *dupl. 1. cl.*
22. Sabb. Vigil. Nativ. s. Joannis Bapt. S. Leonis I. P. C. D. (f. 11. April) *dupl.* Com. vig. ac s. Paulini Ep. C.
23. Dom. III. post Pent. De ea *semid.*
24. Fer. 2. Nativit. s. Joannis Baptistae, Praecurs. D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum oct.*
25. Fer. 3. S. Gallicani M. dupl. Com. oct.
26. Fer. 4. Ss. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Com. oct.

27. Fer. 5. S Gulielmi Abb. (d. a. ex 25. huj.) *dupl.* Com. oct.
28. Fer. 6. Vigil. Ss. Petri et Pauli Ap. S. Leonis II. P. C. *dupl.* Com. oct. et vig.
29. Sabb. Ss. Apostol. Petri et Pauli Almae Urbis Patronor. principal. *dupl. 1. cl. cum oct.*
30. Dom. IV. post Pent. Commemor. s. Pauli Ap. *dupl. maj.* Com. s. Petri Ap., Dom. et oct. s. Joan.

JULIUS.

1. Fer. 2. Oct. Nativ. S. Joannis Bapt. *dupl.* Com. oct. ss. Ap.
2. Fer. 3. Visitat. B. M. V. *dupl. 2. cl.* Com. oct. et ss. Processi et Martiniani Mm.
3. Fer. 4. S. Pauli I. P. C. *dupl.* Com. oct.
4. Fer. 5. S. Irenaei Ep. M. *dupl.* Com. oct.
5. Fer. 6. Ss. Cyrilli et Methodii Ep. Cc. *dupl.* Com. oct.
6. Sabb. Oct. ss. Petri et Pauli Ap. *dupl.*
7. Dom. V. post Pent. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dupl. 2. cl.* Com. B. Benedicti XI. P. C. ac Dom.
8. Fer. 2. B. Eugenii III. P. C. *dupl.*
9. Fer. 3. Prodigior. B. M. V. *dupl. maj.*
10. Fer. 4. Ss. Sept. Fratr. ac Rufinae et Secundae Vv. Mm. *semid.*
11. Fer. 5. S. Pii I. P. M. *dupl.*
12. Fer. 6. S. Joannis Gualberti Abb. *dupl.* Com. ss. Naboris et Felicis Mm.
13. Sabb. S. Anacleti P. M. *dupl.*
14. Dom. VI. post Pent. S. Bonaventurae Ep. C. D. *dupl.* Com. Dom.
15. Fer. 2. S. Henrici Imper. C. *semid.*
16. Fer. 3. B. M. V. de monte Carmelo *dupl. maj.*
17. Fer. 4. S. Leonis IV. P. C. *dupl.*
18. Fer. 5. S. Camilli de Lellis C *dupl.* Com. ss. Symphorosae et filiorum Mm.
19. Fer. 6. S. Symmachi P. C. *dupl.*
20. Sabb. S. Hieronymi Aemiliani C. *dupl.* Com. s. Margaritae V. M.
21. Dom. VII. post Pent. S. Alexii C. (d. a. ex 17. huj.) *dupl.* Com. Dom. et s. Praxedis V.
22. Fer. 2. S. Mariae Magdalenae Poenit. *dupl.*
23. Fer. 3. S. Apollinaris Ep. M. *dupl.* Com. s. Liborii Ep. C.

24. Fer. 4. Vigil. s. Jacobi Ap. S. Vincentii a Paulo C. (d. a. ex 19 huj.) *dupl.* Com. vig. ac s. Christinae.
25. Fer. 5. S. Jacobi Ap. *dupl. 2. cl.* Com. s. Christophori M.
26. Fer. 6. S. Annae Matris B. M. V. *dupl. 2. cl.*
27. Sabb. S. Veronicae de Julianis V. (d. a. ex 9 huj.) *dupl.* Com. s. Pantaleonis M.
28. Dom. VIII. post Pent. Ss. Victoris I. P. M. Innocentii I. P. C. Nazarii et Celsi Mm. *dupl.* Com. Dom.
29. Fer. 2. S. Felicis II. P. M. *dupl.* Com. ss. Simplicii et Soc. Mm.
30. Fer. 3. S. Marthae V. (d. a. ex heri) *dupl.* Com. ss. Abdon et Sennen. Mm.
31. Fer. 4. S. Ignatii C. *dupl.*

AUGUSTUS.

1. Fer. 5. S. Petri ad Vincula, *dupl. maj.* Com. s. Pauli Ap. ac ss. Machabaeor. Mm.
2. Fer. 6. S. Stephani I. P. M. *dupl.*
3. Sabb. Inv. Corp. s. Stephani Protom. *semid.*
4. Dom. IX. post Pent. I. Aug. s. Dominici C. *dupl. maj.* Com. Dom.
5. Fer. 2. Dedicat. S. Mariae ad Nives, *dupl. maj.*
6. Fer. 3. Transfig. D. N. J. C. titul. principal. Cathedr. Roman. *dupl. 1. cl. cum oct.*
7. Fer. 4. S. Cajetani C. *dupl.* Com. Oct. ac s. Donati Ep. Mm.
8. Fer. 5. Ss. Cyriaci et Soc. Mm. *semid.* Com. oct.
9. Fer. 6. Vigil. s. Laurentii M. S. Emygdii Ep. M. *dupl.* Com. oct., vig. ac s. Romani M.
10. Sabb. S. Laurentii M. *dupl. 2. cl. cum oct.*
11. Dom. X. post Pent. II. Aug. S Xysti II. P. M. *dupl.* Com. Dom., octavar. ac ss. Tiburtii et Susannae Mm.
12. Fer. 2. S. Clarae V. *dupl.* Com. octavar.
13. Fer. 3. Oct. Transfig. D. N. J. C. *dupl.* Com. oct. s. Laur. et ss. Hippolyti et Cassiani Mm.
14. Fer. 4. Vigil. Assumpt. B. M. V. S. Hormisdae P. C. *dupl.* Com. oct., vig. ac s. Eusebii C.
15. Fer. 5. Assumptionis B. M. V. *dupl. 1. cl. cum oct.*
16. Fer. 6. S. Rochi C. *dupl.* Com. octavar.
17. Sabb. Oct. S. Laurent. M. *dupl.* Com. oct. Ass.
18. Dom. XI. post Pent. III. Aug. S. Joachim C. Patris B. M. V. *dupl. 2. cl.* Com. s. Hyacinthi C., Dom. ac S. Agapiti M.

19. Fer. 2. B. Urbani II. P. C. *dupl.* Com. oct.
20. Fer. 3. S. Bernardi Abb. C. D. *dupl.* Com. oct.
21. Fer. 4. S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid. *dupl.* Com. oct.
22. Fer. 5. Oct. Assumpt. B. M. V. *dupl.* Com. ss. Timothei et Soc. Mm.
23. Fer. 6. S. Philippi Benitii C. *dupl.*
24. Sabb. Vigil. s. Bartholom. Ap. S. Alphonsi M. de Ligorio Ep. C. D. (d. a. ex 2. huj.) *dupl.* Com. vig.

De Purissimo Corde B. M. V. fit 12 Sept.

25. Dom. XII. post Pent. IV. Aug. S. Bartholomaei Ap. *dupl. 2. cl.* Com. Dom.
26. Fer. 2. S. Zephyrini P. M. *dupl.*
27. Fer. 3. S. Joseph Calasanctii C. *dupl.*
28. Fer. 4. S. Augustini Ep. C. D. *dupl.* Com. s. Hermetis M.
29. Fer. 5. Decollat. S. Joannis Bapt. *dupl. maj.*
30. Fer. 6. S. Rosae Limanae V. *dupl.* Com. ss. Felicis et Adaucti Mm.
31. Sabb. S. Raymundi Nonnati C. *dupl.*

Pars autumnalis.

Dom. V. Aug. cum sua Hebd. hoc anno omittit.

SEPTEMBER.

1. Dom. XIII. post Pent. I. Sept. Commemor. omn. ss. S. R. E. Summor. Pontif. *dupl.* Com. Dom., S. Ludovici R. C., et s. Aegidii Abb. ac ss. duodecim fratrum Mm.
2. Fer. 2. S. Stephani Reg. C. *semid.*
3. Fer. 3. S. Elisabeth Regin. Vid. (d. a. ex 8 Jul.) *semid.*
4. Fer. 4. S. Rosae Viterbiens. V. *dupl.*
5. Fer. 5. S. Laurentii Justiniani Ep. C. *semid.*
6. Fer. 6. S. Philumenae V. M. (d. a. ex 11. Aug.) *dupl.*
7. Sabb. S. Hadriani III. P. C. *dupl.*
8. Dom. XIV. post Pent. II. Sept. Nativit. B. M. V. *dupl. 2. cl. cum oct.* Com. Dom. et s. Hadriani M.
9. Fer. 2. S. Sergii I. P. C. *dupl.* Com. oct. et s. Gorgonii M.
10. Fer. 3. S. Hilari P. C. *dupl.* Com. oct.
11. Fer. 4. S. Nicolai a Tolentino C. (d. a. ex heri) *dupl.* Com. oct. et ss. Proti et Hyacinthi Mm.
12. Fer. 5. Purissimi Cordis B. M. V. (f. 25 Aug.) *dupl. maj.*

13. Fer. 6. S. Anselmi Ep. C. D. (f. 21. April.) *dupl.* Com. oct.
14. Sabb. Exaltat S. Crucis D. N. J. C. *dupl. maj.* Com. oct.
De octava Nativit. B. M. V. hoc anno nihil.
De Sept. Dolor. B. M. V. fit Dom. seq.
15. Dom. XV. post Pent. III. Sept. Ss. Nominis B. M. V. *dupl. maj.* Com. Dom. ac s. Nicomedis M.
16. Fer. 2. Ss. Cornelii P. et Cypriani Ep. Mm. *dupl.* Com. ss. Euphemiae et soc. Mm.
17. Fer. 3. Impressio Sacr. Stigmat. S. Francisci C. *dupl.*
18. Fer. 4. Quat. Temp. S. Joseph a Cupertino C. *dupl.* Com. fer.
19. Fer. 5. Ss. Januarii Ep. et Soc. Mm. *dupl.*
20. Fer. 6. Quat. Temp. Vigil. s. Matthaei Ap. et Ev. S. Agapiti I. P. C. *dupl.* Com. fer. et vig.
21. Sabb. Quat. Temp. S. Matthaei Ap. et Ev. *dupl. 2. cl.* Com. fer.
22. Dom. XVI. post Pent. IV. Sept. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.* Com. s. Thomae a Villanova, Dom. et ss. Mauritii et soc. Mm.
23. Fer. 2. S. Lini P. M. *dupl.* Com. s. Theclae V. M.
24. Fer. 3. B. M. V. de Mercede, *dupl. maj.*
25. Fer. 4. Ss. Eustachii et Soc. Mm. (d. a. ex 20. huj.) *dupl.*
26. Fer. 5. S. Eusebii P. M. *dupl.* Com. ss. Cypriani et Justinae V. Mm.
27. Fer. 6. Ss. Cosmae et Damiani Mm. *semid.*
28. Sabb. S. Wenceslai Ducis M. *semid.*
29. Dom. XVII. post Pent. I. Oct. Dedicatio s. Michaelis Archang. *dupl. 2. cl.* Com. Dom.
30. Fer. 2. S. Hieronymi C. D. *dupl.*

OCTOBER.

1. Fer. 3. S. Gregorii Ep. M. *dupl.* Com. s. Remigii Ep. C.
2. Fer. 4. Ss. Angelorum Custodum *dupl. maj.*
3. Fer. 5. De ea vel de ss. Sacram. *semid.*
4. Fer. 6. S. Francisci C. *dupl. maj.*
5. Sabb. S. Gallae Vid. *dupl.* Com. ss. Placidi et soc. Mm.
6. Dom. XVIII. post Pent. II. Oct. Sacrat. Rosarii B. M. V. *dupl. 2. cl.* Com. Dom. et s. Brunonis C.
7. Fer. 2. S. Marci P. C. *dupl.* Com. ss. Sergii et Soc. Mm.
8. Fer. 3. S. Birgittae Vid. *dupl.*

9. Fer. 4. Ss. Dionysii Ep. ac Soc. Mm. *semid.*
10. Fer. 5. S. Francisci Borgia C. *semid.*
11. Fer. 6. B. Joannis Leonardi C. *dupl.*
12. Sabb. Off. B. M. in Sabb. *simpl.* vel Off. vot. Im. Concept. B. M. V. *semid.*
13. Dom. XIX. post Pent. III. Oct. Maternit. B. M. V. *dupl. maj.* Com. Dom. et s. Eduardi regis C.
14. Fer. 2. S. Callisti I. P. M. *dupl.*
15. Fer. 3 S. Teresiae V. *dupl.*
16. Fer. 4. S. Victoris III. P. C. *dupl.*
17. Fer. 5. S. Hedwigis Vid. *semid.*
18. Fer. 6. S. Lucae Ev. *dupl. 2. cl.*
19. Sabb. S. Petri de Alcantara C. *dupl.*
20. Dom. XX. post Pent. IV. Oct. Puritatis B. M. V. *dupl. maj.* Com. s. Joannis Cantii C. et Dom.
21. Fer. 2. S. Hilarionis Abb. *simpl.* Com. ss. Ursulae et soc. Vv. Mm. — Vel de ss. Angelis cum *semid.* commem. s. Hilarionis et ss. Ursulae et soc. Vv. Mm.
22. Fer. 3. De ea vel de ss. Petro et Paulo Ap *semid.* —
23. Fer. 4. SS. Redemptoris, *dupl. maj.*
24. Fer. 5. S. Raphaelis Archang. *dupl. maj.*
25. Fer. 6. S. Bonifacii I. P. C. *dupl.* Com. ss. Chrysanthi et Dariae Mm.
26. Sabb. Vigil. Ss. Simonis et Judae Ap. S. Evaristi P. M. *dupl.* Com. vig.
27. Dom. XXI. post Pent. V. Oct. De ea *semid.*
28. Fer. 2. Ss. Simonis et Judae Ap. *dupl. 2. cl.*
29. Fer. 3. De ea vel de ss. Petro et Paulo Ap. *semid.*
30. Fer. 4. De ea vel de s. Joseph, *semid.*
31. Fer. 5. Vigil. omn. Sanctor. S. Siricii P. C. *dupl.* Com. vig.
    Cessat Collecta — Ad repellendas tempestates.

NOVEMBER.

1. Fer. 6. Omnium Sanctorum, *dupl. 1. cl. cum oct.*
2. Sabb. Commemor. omn. Fidelium Defunctorum. De 2. die infr. oct. *semid.*
3. Dom. XXII. post Pent. I. Nov. De ea *semid.* Com. oct.
4. Fer. 2. S. Caroli Ep. C. *dupl.* Com. oct. et ss. Vitalis et Agricolae Mm.

5. Fer. 3. De 5. die infr. oct. *semid.*
6. Fer. 4. De 6. die infr. oct. *semid.*
7. Fer. 5. De 7. die infr. oct. *semid.*
8. Fer. 6. Oct. omn. Sanctor. *dupl.* Com. Quatuor. Coron. Mm.
9. Sabb. Dedicat. Basilicae ss. Salvatoris Cathedr. Roman. *dupl. 1. cl. cum oct.*

   Dom. II. Nov. cum sua Hebd. hoc anno omitt.
10. Dom. XXIII. post Pent. III. Nov. Patrocin. B. M. V. *dupl. maj.* Com. s. Andreae Avellini C. et ss. Triphonis et soc. Mart.
11. Fer. 2. S. Martini Ep. C. *dupl.* Com. s. Mennae M.
12. Fer. 3. S. Martini I. P. M. *dupl.*
13. Fer. 4. S. Nicolai I. P. C. *dupl.*
14. Fer. 5. S. Deusdedit P. C. *dupl.*
15. Fer. 6. S. Gertrudis V. *dupl.*
16. Sabb. Oct. Dedicat. Basil. ss. Salvatoris, *dupl.*
17. Dom. XXIV. post. Pent. IV. Nov. S. Gregorii Thaumaturgi Ep. C. *dupl.*
18. Fer. 2. Dedicat. Basilicar. Ss. Petri et Pauli Ap. *dupl. maj.*
19. Fer. 3. S. Pontiani P. M. *dupl.*
20. Fer. 4. S. Felicis de Valois C. *dupl.*
21. Fer. 5. Praesentat. B. M. V. *duplex maj.*
22. Fer. 6. S. Caeciliae V. M. *dupl.*
23. Sabb. S. Clementis I. P. M. *dupl.*
24. Dom. XXV. et ult. post Pent. V. Nov. S. Joannis a Cruce C. *dupl.* Com. s. Chrysogoni M.
25. Fer. 2. S. Catharinae V. M. *dupl.*
26. Fer. 3. S. Silvestri Abb. *dupl.* Com. s. Petri Alexandr. M.
27. Fer. 4. S. Elisabeth Regin. Vid. (d. a. ex 19 huj.) *dupl.*
28. Fer. 5. S. Gregorii III. P. C. *dupl.*
29. Fer. 6. Vigil. s. Andreae Ap. S. Gelasii I. P. C. *dupl.* Com. s. Saturnini M.
30. Sabb. S. Andreae Ap. *dupl. 2. cl.*

DECEMBER.

1. Dom. I. Adv. 1. cl. De ea *semid.* Com. s. Didaci C.
2. Fer. 2. S. Bibianae V. M. *semid.*
3. Fer. 3. S. Francisci Xaverii C. *dupl.*

4. Fer. 4. S. Petri Ch. Ep. C. D. *dupl.* Com. s. Barbarae V. M.
5. Fer. 5. S. Stanislai Kostkae C. (d. a. ex 13 Nov.) *dupl.* Com. s. Sabbae Abb.
6. Fer. 6. S. Nicolai Ep. C. *dupl.*
7. Sabb. Vigil. Immacul. Concept. B. M. V. S. Ambrosii Ep. C. D. *dupl.*
8. Dom. II. Adv. Immac. Concept. B. M. V. *dupl. 1. cl. cum oct.*
9. Fer. 2. S. Eutychiani P. M. *dupl.*
10. Fer. 3. Translat. Almae Domus Lauret. *dupl. maj.*
11. Fer. 4. S. Damasi I. P. C. *dupl.*
12. Fer. 5. S. Melchiadis P. M. *dupl.*
13. Fer. 6. S. Luciae V. M. *dupl.*
14. Sabb. S. Josaphat Poloc. Ep. M. (d. a. ex 14 Nov.) *dupl.*
15. Dom. III. Adv., *Gaudete*, 2. cl. De ea *semid.* Com. diei oct.
16. Fer. 2. S. Eusebii Ep. M. *semid.*
17. Fer. 3. S. Leonardi a P. Maur. C. (d. a. ex 26 Nov.) *dupl.*
18. Fer. 4. Quat. Temp. Exspectat. Partus B. M. V. *dupl. maj.*
19. Fer. 5. B. Urbani V. P. C. *duplex.*
20. Fer. 6. Quat. Temp. Vigil. s. Thomae Ap. De ea.
21. Sabb. Quat. Temp. S. Thomae Ap. *dupl. 2. cl.*
22. Dom. IV. Adv. 2. cl. De ea.
23. Fer. 2. De ea.
24. Fer. 3. Vigil. Nativ. Domini. De ea.
25. Fer. 4. Nativitas D. N. J. C. *dupl. 1. cl. cum oct.* Com. S. Anastasiae in 2. Missa.
26. Fer. 5. S. Stephani Protom. *dupl. 2. cl. cum oct.*
27. Fer. 6. S. Joannis Ap. et Ev. *dupl. 2. cl. cum oct.*
28. Sabb. Ss. Innocentium Mm. *dupl. 2. cl. cum oct.*
29. Dom. infr. oct. Nativ. S. Thomae Cantuar. Ep. M. *dupl.*
30. Fer. 2. De infr. oct. Nativ. *semid.*
31. Fer. 3. S. Silvestri I. P. C. *dupl.*

Rationes officiorum Urbi Romae propriorum, quae huic anno ecclesiastico illata conspiciuntur, breviter declaratas invenies in Actis literariis *Correspondance de Rome,* 1848—1849, seconde édition, sub titulo *Remarques sur le Propre de Rome,* pp. 29—30.

III.

De Martyrologio Romano ejusque Kalendario.

Quum Martyrologium Romanum ad Primam in Choro tantum legatur ideoque plerisque omnibus clericis divinum officium privatim recitantibus praesto non sit, in gratiam eorum, qui plenioris notitiae libri toties in Heortologio adhibiti cupidi sunt, laborem Martyrologii aliunde requirendi aut omnimodam penuriam libri sublevaturi, speciminis gratia integram annuntiationem festorum ac Sanctorum ad certos quosdam dies relatorum oculis subjiciendam existimamus. Seligimus autem quatuor dies ex iis, quibus etiam sancti ecclesiae orientalis colendi proponuntur, nimirum 1. Januarii, 1. Augusti, 6. et 25. Decembris. Ad eos igitur festa ac Sanctorum encomia sic inscripta leguntur in forma extensa:

JANUARIUS.

1 Kalendis Januarii. Luna. A*

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

n	p	q	r	s	t	u	A	B	C
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

D	E	F	Fr	G	H	M	N	P
24	25	26	26	27	28	29	30	1

Circumcisio Domini Nostri Jesu Christi, et Octava Nativitatis ejusdem. — Romae sancti Almachii martyris, qui, jubente Alipio Urbis praefecto, quum diceret: Hodie Octavae

Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum, et a sacrificiis pollutis: a gladiatoribus occisus est. — Ibidem via Appia coronae sanctorum militum triginta martyrum sub Diocletiano imperatore. — Item Romae sanctae Martinae virginis, quae sub Alexandro imperatore diversis tormentorum generibus cruciata, tandem gladio martyrii palmam adepta est; cujus festivitas celebratur tertio Kalendas Februarii. — Apud Spoletum sancti Concordii presbyteri, et martyris, temporibus Antonini imperatoris; qui primo fustibus caesus, dehinc equuleo suspensus, ac postea in carcere maceratus, ibique angelica visitatione consolatus, demum gladio vitam finivit. — Eodem die sancti Magni martyris. — Caesareae in Cappadocia depositio sancti Basilii episcopi, cujus celebritas decimooctavo Kalendas Julii, qua die ordinatus fuit episcopus, potissimum recolitur. — In Africa beati Fulgentii ecclesiae Ruspensis episcopi, qui tempore Vandalicae persecutionis, ob catholicam fidem eximiamque doctrinam ab Arianis multa perpessus, et in Sardiniam relegatus, tandem ad propriam ecclesiam redire permissus, vita et verbo clarus, sancto fine quievit. — Teate in Aprutio citra natalis sancti Justini ejusdem civitatis episcopi, vitae sanctitate ac miraculis clari. — In territorio Lugdunensi, monasterio Jurensium, sancti Eugendi abbatis, cujus vita virtutibus et miraculis plena refulsit. — Apud Silviniacum sancti Odilonis abbatis Cluniacensis, qui primus Commemorationem omnium fidelium defunctorum prima die post festum omnium Sanctorum in suis monasteriis fieri praecepit: quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit. Etruriae in Monte Senario beati Bonfilii confessoris, unius ex septem institutoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, quam cum impense coluisset, ab ipsa in coelum repente evocatus est. — Alexandriae depositio sanctae Euphrosynae virginis, quae in monasterio virtute abstinentiae ac miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum martyrum et confessorum atque sanctarum virginum. ℟. Deo gratias.

Sic semper terminatur lectio Martyrologii.

AUGUSTUS.

1 Kalendis Augusti. Luna. xxv. xxiv. C.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

n	p	q	r	s	t	u	A	B
19	20	21	22	23	24	25	26	27

C	D	E	F	Fr	G	H	M	N	P
28	29	1	2	1	2	3	4	5	6

Romae in Exquiliis dedicatio sancti Petri ad Vincula. — Antiochiae passio sanctorum septem fratrum Machabaeorum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho Epiphane rege. Eorum reliquiae Romam translatae in eadem ecclesia sancti Petri ad Vincula conditae fuerunt. — Romae passio sanctarum virginum Fidei. Spei et Caritatis, quae sub Hadriano principe martyrii coronam adeptae sunt. — Item Romae via Latina sanctorum martyrum Boni presbyteri, Fausti et Mauri, cum aliis novem, qui in Actis sancti Stephani Papae describuntur. — Philadelphiae in Arabia sanctorum martyrum Cyrilli, Aquilae, Petri, Domitiani, Rufi et Menandri, una die coronatorum. — Perge in Pamphylia sanctorum martyrum Leontii, Attii, Alexandri et aliorum sex agricolarum, qui in persecutione Diocletiani sub Flaviano praeside decollati sunt. — Gerundae in Hispania natalis sancti Felicis martyris, qui post diversa tormentorum genera a Daciano tamdiu jussus est laniari, donec invictum Christo spiritum redderet. — Vercellis sancti Eusebii episcopi et martyris, qui ob confessionem fidei catholicae a Constantio principe Scythopolim et inde in Cappadociam relegatus, postmodum ad ecclesiam suam reversus, persequentibus Arianis martyrium passus est: ejus autem memoria decimooctavo Kalendas Januarii celebrior habetur, quando episcopus fuit ordinatus. — In territorio Parisiensi sancti Justini martyris. — Viennae sancti Veri episcopi. — Wintoniae in Anglia sancti Ethelwoldi episcopi. — In Pago Lisuino sancti Nemesii confessoris.

DECEMBER.

D xv. Octavo Idus Decembris. Luna. 6

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
m	n	p	q	r	s	t	u	A	B	C
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8

D	E	F	Fr	G	H	M	N	P
9	10	11	10	11	12	13	14	15

Myrae quae est metropolis Lyciae, natalis sancti Nicolai episcopi et confessoris, de quo inter plura miraculorum insignia illud memorabile fertur, quod imperatorem Constantinum ab interitu quorumdam se invocantium, longe constitutus, ad misericordiam per visum monitis deflexit et minis. — In Africa sanctarum mulierum Dionysiae, Dativae, Leontiae et religiosi viri nomine Tertii, Aemiliani medici, et Bonifacii, cum aliis tribus, qui omnes in persecutione Vandalica sub Hunnerico rege Ariano pro defensione Catholicae fidei gravissimis et innumeris suppliciis cruciati, confessorum Christi numero sociari meruerunt. — Ibidem sancti Majorici filii sanctae Dionysiae, qui cum esset adolescentulus, ac tormenta pavesceret, matris obtutibus verbisque corroboratus, caeteris fortior factus, in tormentis reddidit spiritum, quem amplexata mater domi sepelivit, et ad ejus sepulchrum assidue orare consuevit. — Eodem die sancti Polychronii presbyteri, qui tempore Constantii imperatoris, cum ad altare Missas ageret, invasus est ab Arianis et jugulatus. — Granatae in Hispania passio beati Petri Paschasii martyris, Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, et episcopi Giennensis, cujus festivitas Clementis Papae Decimi jussu celebratur decimo Kalendas Novembris. — Romae sanctae Asellae virginis, quae (ut beatus Hieronymus scribit) ab utero matris benedicta, vitam jejuniis et orationibus usque ad senectam produxit.

DECEMBER.

25 Octavo Kalendas Januarii. Luna. xxvi. B

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
n	p	q	r	s	t	u	A	B	C		
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27		
D	E	F	Fr	G	H	M	N	P			
28	29	30	29	1	2	3	4	5			

Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit coelum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo-nono: A diluvio vero anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimoseptimo: A nativitate Abrahae anno bis millesimo quintodecimo: A Moyse et egressu populi Israel de Aegypto, anno millesimo quingentesimodecimo: Ab unctione David in regem anno millesimo trigesimosecundo; Hebdomada sexagesimaquinta juxta Danielis prophetiam: Olympiade centesima nonagesimaquarta: Ab urbe Roma condita anno septingentesimo quinquagesimosecundo: Anno imperii Octaviani Augusti quadragesimosecundo, toto Orbe in pace composito, sexta mundi aetate, Jesus Christus aeternus Deus, aeternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, *(Hic dicitur alta voce, et omnes genua flectunt)* in Bethlehem Judae nascitur ex Mariae Virgine factus Homo.

(Hic autem altius et in tono passionis.)

Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. *(Quod sequitur, legitur in tono lectionis Martyrologii, et surgunt omnes.)*

Eodem die natalis sanctae Anastasiae, quae tempore Diocletiani, primo diram et immitem custodiam a viro suo Publio perpessa est, in qua tamen a Chrysogono confessore Christi multum consolata et confortata fuit; deinde a Floro praefecto Illyrici diutina custodia macerata, ad ultimum manibus et pedibus extensis ligata est ad palos, et circa eam ignis accensus, in quo martyrium consummavit in insula Palmaria,

ad quam cum ducentis viris et septuaginta feminis deportata fuerat, qui variis interfectionibus martyrium celebrarunt. — Romae in coemeterio Aproniani sanctae Eugeniae virginis, quae tempore Gallieni imperatoris post plurima virtutum insignia, post sacros virginum choros Christo aggregatos, sub Nicetio Urbis praefecto diu agonizans, novissime gladio jugulata est. — Nicomediae passio multorum millium martyrum, qui cum in Christi Natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus imperator januas Ecclesiae claudi jussit, et ignem circumcirca parari, tripodemquae cum thure prae foribus poni, ac praeconem magna voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent et Jovi thus adolerent: cumque omnes una voce respondissent, pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in coelis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est. — Barcinone in Hispania natalis sancti Petri Nolasco confessoris, ac fundatoris Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, virtute et miraculis clari; cujus festum colitur jussu Alexandri septimi pridie Kalendas Februarii.

De notis chronographicis ac Kalendario Martyrologii Romani.

In Martyrologio Romano singuli dies notis Kalendarii Romani exprimuntur, ut puta: *kalendis Januarii, pridie nonas Julii, idibus Augusti,* etc. Notis Romanis additur vox *luna,* cui lector diem annuntians ex 31 numeris in capite cujusque diei positis illum adjungit, qui diem mensis lunaris designat v. g. *luna prima, luna decima, luna vicesima etc.* Ut autem sciatur, *quota luna sit pronuntianda,* singulis diebus totius anni — verba sunt rubricae computisticae Martyrologio praefixae — supra sanctorum historias dispositae ordinatim sunt literae 30, quot nimirum sunt epactae, ex quibus cyclus epactarum compositus est. Earum literarum autem haec est significatio: litera *a* denotat epactam I., *b* epactam II., *c* epactam III., et sic deinceps aliae ex ordine alphabeti literae alias epactas significant, ita tamen, ut literae minores ultra *u* non progrediantur ac praeterea aliae quinque (*o* min.,

I, K, L, O maj.) confusionis vitandae causa omittantur [1]), quemadmodum in subjecta tabella perspicuum est. Quinque porro literae, quae non adhibentur ad denotandas epactas, initiales sunt quinque dictionum technici hujus versiculi:

ornabit Justus Κύριος Laudabilis Omnes.

Reliquis alphabeti literis numeri epactarum ita respondent:

VALOR EPACTALIS LITERARUM MARTYROLOGII.

a = I.	m = XII.	D = XXIII.
b = II.	n = XIII.	E = XXIV.
c = III.	p = XIV.	Fr[2]) = XXV.
d = IV.	q = XV.	F = 25.
e = V.	r = XVI.	G = XXVI.
f = VI.	s = XVII.	H = XXVII.
g = VII.	t = XVIII.	M = XXVIII.
h = VIII.	u = XIX.	N = XXIX.
i = IX.	A = XX.	P = *
k = X.	B = XXI.	
l = XI.	C = XXII.	

Substituuntur autem hujusmodi triginta literae in locum 30 numerorum epactarum, secundum antiquam Ecclesiae consuetudinem, quae loco aureorum numerorum literas ponebat, ne forte in luna pronuntianda fiat error et confusio inter numeros cycli epactarum et numeros designantes, quot dies habeat luna. Caeterum ad inveniendos dies lunares non utimur nisi decem et novem epactis, quot nimirum sunt numeri aurei; et currente saeculo quidem eum ordinem epactarum tenemus, quem symbole haec cum respondentibus literis Martyrologii exhibet [3]).

---

[1]) Literas has de industria neglectas dicunt, nimirum *o* quod cum zero arithmetico conveniat, I *maj.* quod cum epacta unitatis Romano charactere scriptae coïncidat, K *maj.* quod saepe in typo non satis distinguatur a k *parvo* etc.

[2]) Distinguenda est litera F, cui appositum est signum r; ab altera lit. F: illa in Martyrologio rubro colore scribitur respondetque epactae XXV; haec vero nigra est atque epactae 25. convenit.

[3]) Cfr. *Comput. ecclesiast.* n. 70.

LITERÆ MARTYROLOGII AUREIS NUMERIS ET EPACTIS RESPONDENTES SÆCULO XIX.

Aur. Num.	Epact.	Lit. Mart.	Aur. Num.	Epact.	Lit. Mart.
1	*	P	11	XX	A
2	XI	l	12	I	a
3	XXII	C	13	XII	m
4	III	c	14	XXIII	D
5	XIV	p	15	IV	d
6	XXV	F	16	XV	q
7	VI	f	17	XXVI	G
8	XVII	s	18	VII	g
9	XXVIII	M	19	XVIII	t
10	IX	i			

Ad annuntiandum igitur *quota sit luna,* sumatur primum numerus aureus anni currentis vel etiam epacta currens, deinde quaeratur litera, quae in tertio ordine propositae tabellae illi numero aureo vel epactae respondet; et eadem haec litera vocabitur *litera Martyrologii* per totum illum annum, quia per numerum, qui in ipso Martyrologio singulis anni diebus sub ea reperitur, ostendet, quota luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni. Exemplo sint anni 1863 et 1882, quibus aureus numerus est 2 et epacta XI. Hinc numero aureo 2 vel epactae XI. respondentem vides in suprascripto diagrammate literam *l.* Unde singulis diebus annuntiabitur in Martyrologio luna adjecto illo numero, qui in serie numerorum et literarum canoni sanctorum praefixa respondet literae *l.* Haec de literis epactalibus Martyrologii [1]).

[1]) Independenter a proposita tabula literarum Martyrologii inveniri potest litera Mart. anni sequentis, data litera anni currentis, practico hoc modo: sit invenienda litera Martyrologii pro anno 1864, data litera anni 1863, quae est *l.* Haec litera ultimo Decembris indicat lunam 22. Altero die, h. e. 1. Januarii anni sequentis, erit luna 23. Vide quaenam litera habeatur supra 23. et invenies C, quae litera Martyrologii erit anni 1864. Quod si ultimo Decembris sit luna 29. ac proinde dubium exoriatur, an 1. Januarii futura sit luna 30. vel 1. sequentis lunationis, videndum est, utrum luna currens sit 29 an 30 dierum, de quo cf. *Comput. eccles.* n. 52. III.

Reliquae vero literae, quae in margine exteriore Martyrologii recte descendunt, sunt literae Dominicales, quibus hebdomadae, dies Dominici atque hebdomadum feriae designantur. Quum igitur annis 1863 et 1882 habeatur litera Dominicalis *d*, haec ipsa litera in margine Martyrologii occurrens denotabit diem Dominicum per totum hunc annum. Hinc literae Dominicali adjungi insuper in Martyrologio solet numerus epactalis, sicut in ipso Kalendario e regione literae Dominicalis posita est. Quoniam igitur numerus epactalis XI. literae Martyrologii *l* respondet, ubicunque in Martyrologio literae Dominicali adjuncta est epacta XI, semper in serie literarum et numerorum in capite singulorum dierum praefixa litera *l* subjectum habebit numerum 1, quod signum est, illum esse primum diem mensis lunaris. Sic lunam primam hoc anno invenies sub litera *l* (ipsius epactae significativa) 20. *januarii,* 18. *februarii,* 20. *martii,* 18. *aprilis* . . . 12. *octobris.* 11. *novembris* et 10. *decembris.* In margine denique interiore Martyrologii dies mensium vulgaribus numerorum notis sunt expressi.

Ex his autem sequitur, Martyrologium Romanum pro Kalendario servire posse: namque praeter festa immobilia, quae ibi singulis diebus recensentur, etiam festum paschale et alia festa mobilia, item novilunia, plenilunia, aliaque ex Kalendario peti solita deprehenduntur literis Dominicalibus, numeris epactarum et literis Martyrologii ibidem appositis.

Qui Martyrologii usus kalendarius adhuc magis in oculos incurret, si ipsae ejus notae cum pentastichis Kalendarii tabulis diligenter conferantur. Exemplo sit mensis

JANUARIUS.

MARTYROLOGIUM.	KALENDARIUM.			
	Cycl. Ep.	L. D.		Dies m.
1. Kal. Jan. Luna . A *	*	A	Kal.	1
2. IV. Non. Jan. Luna B XXIX.	XXIX	B	IV	2
3. III. Non. Jan. Luna C XXVIII.	XXVIII	C	III	3
4. Prid. Non. Jan. Luna D XXVII.	XXVII	D	Prid.	4
5. Non. Jan. Luna . E XXVI.	XXVI	E	Non.	5
6. VIII. Idus Jan. Luna F XXV.	XXV	F	VIII	6

Si itaque Martyrologium Romanum post Gregorianam Kalendarii reformationem ad manum habeas, alio Kalendario non indigebis.

TABELLÆ TEMPORARIÆ LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS.

Ab anno 1862 ad annum 1899.

Annis Domini	Aur. Num.	Epactae	Lit. Mart.	Annis Domini	Aur. Num.	Epactae	Lit. Mart.
1862. 1881.	1	*	P	1872. 1891.	11	XX	A
1863. 1882.	2	XI	l	1873. 1892.	12	I	a
1864. 1883.	3	XXII	C	1874. 1893.	13	XII	m
1865. 1884.	4	III	c	1875. 1894.	14	XXIII	D
1866. 1885.	5	XIV	p	1876. 1895.	15	IV	d
1867. 1886.	6	XXV	F	1877. 1896.	16	XV	q
1868. 1887.	7	VI	f	1878. 1897.	17	XXVI	G
1869. 1888.	8	XVII	s	1879. 1898.	18	VII	g
1870. 1889.	9	XXVIII	M	1880. 1899.	19	XVIII	t
1871. 1890.	10	IX	i				

Ab anno 1900 ad annum 1975.

Annis Domini				Aur. Num.	Epactae	Lit. Mart.
1900	1919	1938	1957	1	XXIX	N
1901	1920	1939	1958	2	X	k
1902	1921	1940	1959	3	XXI	B
1903	1922	1941	1960	4	II	b
1904	1923	1942	1961	5	XIII	n
1905	1924	1943	1962	6	XXIV	E
1906	1925	1944	1963	7	V	e
1907	1926	1945	1964	8	XVI	r
1908	1927	1946	1965	9	XXVII	H
1909	1928	1947	1966	10	VIII	h
1910	1929	1048	1967	11	XIX	u
1911	1930	1949	1968	12	*	P
1912	1931	1950	1969	13	XI	l
1913	1932	1951	1970	14	XXII	C
1914	1933	1952	1971	15	III	c
1915	1934	1953	1972	16	XIV	p
1916	1935	1954	1973	17	25	Fr
1917	1936	1955	1974	18	VI	f
1918	1937	1956	1975	19	XVII	s

ΠΡΟΣΘΗΚΗ

ΗΜΕΡΟΛΟΓΙΩΝ ΤΙΝΩΝ ΕΘΝΙΚΩΝ.

APPENDIX

KALENDARIORUM QUORUNDAM NATIONALIUM.

Praemonitum.

Quo exercitationes academicae facilius possint ad vitae usum actionemque totae conferri, coronidis instar hic varia Kalendaria nationalia inter se et cum Heortologio graeco comparandi copiam facimus: pluribus diversis Kalendariis scilicet in extremum hunc locum primi tomi congestis, *russiaco Ruthenorum catholicorum, arabico omnibus christianis nationibus Syriae communi, croatico ecclesiastico-civili Serborum ab ecclesia catholica sejunctorum, ac demum duobus Kalendariis syriacis.*

De literis in Kalendario Ruthenorum singulis diebus affixis consuli praeter alios potest Jachimovicz, *Abhandlung über die Regeln, nach welchen die Slaven gr. Ritus den Ostertag berechnen.* Lemberg. Stauropigianisches Institut. 1836

Ex arabico plura festa et cognomina Sanctorum lector addiscet, quae in aliis Kalendariis non occurrunt: ut ecce *festum miraculosae imaginis in Monasterio Saidanaja* [1]), die 24. Martii relatum; titulum *judicis Doctorum* sancto Dionysio Areopagitae tributum. Qui autem hic dicuntur *Romani,* ipsi sunt Graeco-Melchitae, ritum ecclesiae CP. servantes, prout supra jam annotavimus in praefatione.

Quae ad eos spectant, qui Serbis sunt proprii, scriptorem habent praeclarissimum J. E. Martinov, ad cujus *annum ecclesiasticum graeco-slavum* lectores, qui ad hagiologiam serbicam accuratius cognoscendam curas studiaque adjungere voluerunt, transmittimus: ex eo duo tantum exempla Kalendario subjunxisse contenti, nimirum *Sabbae I. archiepiscopi Serbiae* (14. Januar.) et *Urosii regis* (2. Decemb.).

Kalendarium ecclesiae Antiochenae Syrorum brevissimis, ubi opus fuerit, notationibus ad lectoris commodum exornabimus.

---

[1]) Videri de eo potest Asseman, *Biblioth. orient.* tom. 1, praef., § 11.

МѢСЯЦОСЛОВЪ

ЦѢЛОГО РОКУ.

KALENDARIUM

TOTIUS ANNI.

СѢЧЕНЬ, JANUARIUS.

1	є	**Обрѣзанье Господне и св. Василія В.**
2	д	Сильвестра папы римского.
3	г	Малахія пророка, Гордія.
4	в	Соборъ 70 апостоло̂въ, Теоктиста.
5	а	Навечеріє Богоявленья. Теопемпта (По̂стъ).
6	з	**Св. Богоявленье Господне.**
7	ѕ	† Соборъ св. Іоанна Предтечи.
8	є	Георгія, Емиліяна испов., Доминика, Юліяна.
9	д	Полиєвкта, Євстратія.
10	г	Григорія Ниссійск., Дометіяна, Маркіяна.
11	в	† Теодосія Великого.
12	а	Татіянны Євпраксіи.
13	з	Єрмила, Стратоника.
14	ѕ	Св. Отець убитыхъ въ Синаи и Раитѣ.
15	є	Павла Тивейского и Іоанна Кущника.
16	д	† Поклоненьє оковамъ св. апост. Петра.
17	г	† Антонія Великого.
18	в	† Атанасія и Кирила.
19	а	Макарія, Євфросины.
20	з	Євтимія Великого.
21	ѕ	Максима испо̂вѣд., Євгенія, Валеріяна.
22	є	Тимотея апост., Анастасія.
23	д	Климента мученика.
24	г	Ксеніи преподобной.
25	в	† Григорія богослоба.
26	а	Ксенофонта преп. Теодора, Іосифа.
27	з	† Перенесеньє мощей св. Іоанна Золотоуста.
28	ѕ	Эфрема преподобнаго.
29	є	Игнатія богонос., Романа, Якова, Филотея.
30	д	**Трехъ Святителѣвъ: Василія В., Григорія богосл. и Іоанна Золот.** Ипполита.
31	г	Кира и Іоанна безсребрен.

ЛЮТЫЙ, FEBRUARIUS.

1	к	Трифона мученика.
2	а	**Стрѣтенье Господне.**
3	з	Симеона преп. и Анны пророч.
4	ѕ	Исидора преподобного.
5	є	Агатіи мученицѣ.
6	д	Вукола преподобного.
7	г	Партенія еписк., Луки.
8	к	Теодора стратилата, Захаріи пророка.
9	а	Никифора мученика.
10	з	Харалампія мученика.
11	ѕ	Власія мученика.
12	є	Мелетія Антіох., Марины.
13	д	Мартиніяна, Зои, Фотины.
14	г	Авксентія, Кирила (учит. Славянъ 869.
15	к	Онисима, Пафнутія, Євфросины.
16	а	Памфила, Валент., Павла. Порфир., Флявіян.
17	з	Теодора Тирона, Маріямны.
18	ѕ	Льва Папы.
19	є	Архипа, Максима, Теодота.
20	д	Льва Еписк., Садока, Агатона.
21	г	Тимотея преп., Євстатія.
22	к	Євгеніи муч., Петра преп., Атанасія.
23	а	Поликарпа епископа.
24	з	† Знайденье чест. головы. св. Іоанна предтечѣ
25	ѕ	Тарасія епископа.
26	є	Порфирія, Севастіяна.
27	д	Прокопія преподобного.
28	г	Василія испов., Марины и Домники.
29	к	Кассіяна преподобного.

МАРТЪ, MARTIUS.

1	г	Євдокіи преподобнои.
2	в	Теодота мученика.
3	а	Євтропія муч., Клеоника, Василиска.
4	з	Герасима, Павла, Юліянны.
5	ѕ	Конона мученика.
6	є	Св. 42 мучениковъ въ Аморіи. Теодора, Теоф.
7	д	Василія, Єфрема, Євгенія. Павла.
8	г	Теофилякта преподобного.
9	в	† Св. 40 мучен. въ Севастійск. озерѣ утопл.
10	а	Кодрата, Кипріяна, Крискента.
11	з	Софронія патріярхи.
12	ѕ	Теофана, Григорія двоєсл. папы.
13	є	Перенесенье мощей св. Никифора.
14	д	Венедикта преп., Александра пресв.
15	г	Агапія мученика.
16	в	Савина, Юліяна муч., Александра папы.
17	а	† Алексея человѣка божого.
18	з	Кирила архіеп. Єрус., Александры, Клявдіи.
19	ѕ	Хризанта, Даріи, Томы патріярхи.
20	є	Преп. Отець убитыхъ въ монаст. св. Савы.
21	д	Якова преп.
22	г	Василія муч., Исаакія преп.
23	в	Никона мученика.
24	а	Захаріи преп., Якова исп., Артемія, Артемон.
25	з	**Благовѣщенье пресв. Богородицѣ.**
26	ѕ	† Соборъ св. архангела Гавріила.
27	є	Матроны мученицѣ.
28	д	Иларіона нового, Стефана чудотв., Іоны муч
29	г	Марка преп, Кирила діякона.
30	в	Іоанна лѣствичника, Іоанна безмолвного.
31	а	Ипатія епископа.

ЦВѢТЕНЬ, APRILIS.

1	з	Маріи Єгипетскои.
2	ѕ	Тита преп., Амфіяна, Єдесія.
3	є	Никиты испов., Теодосіи.
4	д	Іосифа преп., Георгія преп., Плятона.
5	г	Теодула и Агатопода мучениковъ.
6	в	Євтихія епископа.
7	а	Георгія епископа, Серапіона.
8	з	Иродіона, Келестина папы.
9	ѕ	Євпсихія мученика.
10	є	Терентія муч., Максима.
11	д	Антипы еписк., Фармутія.
12	г	Василія епископа.
13	в	Артемона мученика.
14	а	Мартина папы, Антонія муч.
15	з	Аристарха, Трофима, Савы муч. Анастас.
16	ѕ	Агапіи, Ирины муч.
17	є	Симеона преп., Акакія, Агапита папы.
18	д	Іоанна преп., Космы, Іоанна еписк.
19	г	Іоанна старопечерника, Пафнутія.
20	в	Теодора преп., Анастасія преп.
21	а	Януарія, Прокула, Фавста, Десидер., Євтих.
22	з	Теодора преп., Натанаила, Луки, Климента.
23	ѕ	† Георгія великомученика. Александры.
24	є	Савы мученика.
25	д	Марка эвангелиста.
26	г	Василія муч., Глафиры.
27	в	Симеона єродника Господнѣго.
28	а	Ясона, Сосипатра, Максима, Кинтиліяна.
29	з	Св. 9. мучениковъ въ Кизицѣ, Мемнона преп
30	ѕ	Якова апостола.

МАЙ, MAJUS.

1	є	Єреміи пророка.
2	д	† Бориса и Глѣба. Атанасія патріярха.
3	г	Теодосія печерского, Тимотеа муч., Мавры.
4	в	Пелягіи мученицѣ.
5	а	Ирины мученицѣ.
6	з	Іова праведного.
7	ѕ	Памятка явившогося чест. Креста, Акакія.
8	є	† Іоанна богослова, Арсенія.
9	д	† Перенесенье мощей св. Николая, Исаіи.
10	г	Симона Зилота апостола.
11	в	Методія (учителя Славянъ), Мокія.
12	а	Єпифанія єписк., Германа патр.
13	з	Гликеріи, Александра Кипрского.
14	ѕ	Исидора мученика.
15	є	Пахомія великого.
16	д	Теодора, Вита, Модеста, Крискентія.
17	г	Андроника, Юніи.
18	в	Теодота муч., Александры, Клавдіи, Юліи.
19	а	Патрикія єпископа.
20	з	Талалея мученика.
21	ѕ	† Константина и Єлены.
22	є	Василиска мученика.
23	д	Михаила єпископа.
24	г	Симеона преп., Мелетія, Іоанна, Стефана.
25	в	† Трете знайденье чест. головы св. Іоанна
26	а	Карпа апостола.
27	з	Терапонта мученика.
28	ѕ	Никиты єписк., Єллядія, Євтихія.
29	є	Теодосіи дѣвы.
30	д	Исаакія преподобного.
31	г	Єрмія апостола.

ЧЕРВЕНЬ, JUNIUS.

1	в	Юстина философа.
2	а	Александра еписк., Никифора патріярха.
3	з	Лукиліяна, Клявдія, Ипатія, Павла, Діонисія.
4	ѕ	Митрофана патріярха.
5	є	Доротея мученика.
6	д	Висаріона чудотв., Иларіона.
7	г	Теодота еписк.
8	в	Теодора стратилата, Єфрема.
9	а	Кирила Александр., Теклѣ, Марты, Маріи.
10	з	Тимотея мученика, Александра, Антонина.
11	ѕ	Вартоломея и Варнавы апостолôвъ.
12	є	† Онуфрія Великого, Петра Атоньского.
13	д	Акилины мученицѣ.
14	г	Єлиссея прор., Методія патр.
15	в	Амоса прор., Іеронима преп.
16	а	Тихона чудотворця.
17	з	Мануила, Исмаила, Инокентія.
18	ѕ	Леонтія мученика.
19	є	† Юды апостола, Зосима.
20	д	Методія Патарского.
22	г	Юліяна Тарсійского.
21	в	Эвсевія, Юліяніи муч.
23	а	Агрипины мученицѣ.
24	з	**Рождество св. Іоанна Крестителя.**
25	ѕ	Февроніи мученицѣ.
26	є	Давида преподобного.
27	д	Самсона преподобного.
28	г	Перенесенье мощей Кира и Іоанна безсребр
29	в	**Петра и Павла и апостолôвъ.**
30	а	Соборъ 12. апостолôвъ.

ЛИПЕНЬ, JULIUS.

1	з	Св. безсребрен. Космы и Даміяна.
2	ѕ	† Положенье честь. ризы пр. Богор. Ювеналія.
3	є	Іакинта муч., Анатолія патр.
4	д	Андрея Критского, Марты преп.
5	г	Атанасія Атоньского, Лямпада преп.
6	в	Сисоя преп.
7	а	Томы преп., Акакія, Киріякіи.
8	з	Прокопія мученика.
9	ѕ	Панкратія муч., Теодора еписк.
10	є	Антонія Печерского, Маврикія и Даніила м.
11	д	Ольги княгинѣ, Євфиміи муч.
12	г	Михаила преп., Прокла и Илярія муч.
13	в	Соборъ св. арханг. Гавріила, Стефана преп.
14	а	Акилы, Онисима преп.
15	з	† Володимира князя Руси, Кирика и Юлиты.
16	ѕ	Атиногена мученика.
17	є	Марины мученицѣ.
18	д	Іакинта и Емиліяна муч.
19	г	Макрины преп., Дія преп.
20	в	† Иліи пророка.
21	а	Симеона преп., Іоанна, Єзекіила прор.
22	з	Маріи Магдалины, Фоки.
23	ѕ	Трофима, Теофиля, Аполинарія.
24	є	† Бориса и Глѣба муч., Христины.
25	д	† Успеніє св. Анны, Олимпіады и Євпраксіи
26	г	Єрмолая муч., Параскевы муч.
27	в	† Панталеймона мученика.
28	а	Прохора, Никанора, Тимона, Пармена.
29	з	Калинника, Теодотіи, Серафины.
30	ѕ	Силы, Крискента, Андроника, Юлиты.
31	є	Євдокима преподобного.

СЕРПЕНЬ, AUGUSTUS.

1	д	† Происходженьє ч. Креста; св. Макавеѣвъ.
2	г	Перенесеньє мощей св. Стефана діякона.
3	в	Исаакія, Далмата, Фавста.
4	а	7 дѣтей въ Ефезѣ. Євдокіи муч.
5	з	Євсигнія мученика.
6	s	**Преображеньє Господне.**
7	є	Дометія мученика.
8	д	Ємиліяна еписк., Елевтерія и Леонида.
9	г	Маѳія апостола.
10	в	Лаврентія мученика.
11	а	Евпля мученика.
12	з	Фотія и Аникиты мученикôвъ.
13	s	Максима исповѣдника.
14	є	Михея пророка.
15	д	**Успеньє пресв. Богородицѣ.**
16	г	Перенесеньє нерукотвор. обр. Госп. Діомида.
17	в	Мирона, Павла, Юліяни.
18	а	Флора и Лавра мученикôвъ.
19	з	Андрея муч., Тимотея, Акетіи и Теклѣ.
20	s	Самуила пророка.
21	є	Тадея апостола.
22	д	Агатоника, Северіяна.
23	г	Лупа муч., Иринея еписк.
24	в	Євтиха ученика св. Іоанна богослова.
25	а	Вартоломея и Тита апостолôвъ.
26	з	Адріяна муч., Наталіи.
27	s	Пимена преподобного.
28	є	Мойсея преп., Августина еписк., Анны.
29	д	† Усѣкновеньє головы св. Іоанна Крестит.
30	г	Александра, Іоанна и Павла патріярхôвъ.
31	в	Положеньє чест. пояса пресв. Богородицѣ.

ВЕРЕСЕНЬ, SEPTEMBER.

1	а	† Початокъ церк. року, Симеона Столпн.
2	з	Маманта муч., Іоанна постника.
3	ѕ	Антима муч., Теоктиста преп.
4	є	Вавилы мученика, Мойсея прор.
5	д	Захаріи пророка.
6	г	† Чудо св. Михаила, Евдоксія муч., Архипа.
7	в	Созонта мученика.
8	а	**Рождество пресв. Богородицѣ.**
9	з	† Іоакима и Анны, Северіяна муч.
10	ѕ	Минодоры, Митродоры и Нимфодоры муч.
11	є	Теодоры преподобнои.
12	д	Автонома священо-мученика.
13	г	Корнилія сотника.
14	в	**Воздвиженьє честного креста.**
15	а	Никиты мученика.
16	з	Евфиміи, Іосафата Полоцкого.
17	ѕ	Софіи мученицѣ: Вѣры, Надѣѣ и Любви
18	є	Эвменія епископа.
19	д	Трофима, Савватія и Доримедонта мучен.
20	г	Євстатія муч., Плякиды, Татіянны, Агапія.
21	в	Кодрата апостола.
22	а	Фоки муч., Іоны прор., Іоны пресв.
23	з	† Зачатіє св. Іоанна Крестителя.
24	ѕ	Теклѣ первомученицѣ.
25	є	Євфросины преподобнои.
26	д	† Іоанна Апостола смерть.
27	г	Калистрата мученика.
28	в	Харитона преподобного.
29	а	Киріяка преподобного.
30	з	Григорія мученика.

ЖОВТЕНЬ, ОСТОВЕR.

1	s	† Покровъ пресв. Богород., Ананіи, Романа
2	є	Кипріяна муч., Юстины мученицѣ.
3	д	Діонисія священомученика.
4	г	Єротея епископа.
5	в	Харитины мученицѣ.
6	а	† Томы апостола.
7	з	Сергія и Вакха мучениковъ.
8	s	Пелягіи преподобнои.
9	є	Якова (Альфеова) апост., Андроника, Атап.
10	д	Євлампія мученика, Євлямпіи.
11	г	Филипа діякона, Теофана епископа.
12	в	Прова, Тараха, Андроника, Космы.
13	а	Карпа еписк., Папилы діяк., Агатоника
14	з	† Парескеви преп., Назарія, Гервазія
15	s	Євтимія преп., Лукіяна муч.
16	є	Лонгина сотника.
17	д	Осіи пророка, Андрея Критского.
18	г	Луки евангелиста.
19	в	Іоила прор., Уара муч.
20	а	Артемія великомученика.
21	з	Иларіона преподобного.
22	s	Аверкія епископа.
23	є	† Якова апостола.
24	д	Ареты муч., Атанасія.
25	г	Маркіяна и Мартирія мучениковъ.
26	в	**Димитрія великомученика.**
27	а	Нестора мученика.
28	з	† Параскеви м. (Пятницѣ), Терент., Неонилѣ
29	s	Анастасіи муч., Аврамія преп.
30	є	Зиновія, Зиновіи, Петра еписк., Клявдія.
31	д	Стахія, Амплія, Урбана, Наркисса.

ЛИСТОПАДЪ, NOVEMBER.

1	г	† Космы и Даміяна безсребр., Теодотіи.
2	в	Акиндина муч., Іосафата Полоцкого.
3	а	Акепсимы еписк., Іосифа пресв., Аиталя діяк.
4	з	Іоанникія преп., Никандра еписк.
5	ѕ	Галактіона мученика.
6	є	Павла еписк.
7	д	Іерона муч., Лазаря преп.
8	г	**Соборъ св. архистратига Михаила.**
9	в	Онисифора и Порфирія муч., Матроны преп.
10	а	Ераста, Олимпа, Родіона, Сосипатра, Терція
11	з	Мины, Виктора и Винкентія муч., Теодора.
12	ѕ	Іоанна патріярха, Александра, Нила преп.
13	є	† Іоанна Золотоустого.
14	д	† Филипа апостола.
15	г	Гурія, Самона и Авива муч. (пôстъ.)
16	в	† Матѳея евангелиста.
17	а	Григорія Новокесарійского.
18	з	Плятона и Романа мученикôвъ.
19	ѕ	Авдія прор., Варлаама, Іосафа.
20	є	Григорія Декаполита, Прокла еписк.
21	д	**Введеньє въ храмъ пресв. Богородицѣ.**
22	г	Филимона, Кикиліи муч.
23	в	Амфилохія еписк., Григорія Акрагант.
24	а	† Єкатерины муч., Меркурія.
25	з	Климента папы, Петра Александр.
26	ѕ	Алипія столпника.
27	є	Якова муч., Паллядія преп.
28	д	Стефана и Иринарха мученикôвъ.
29	г	Парамона, Филумена, Висаріона, Акакія
30	в	† Андрея апостола.

СТУДЕНЬ, DECEMBER.

1	а	Наума пророка, Филярета.
2	з	Аввакума пророка.
3	ѕ	Софонія прор., Теодула преп.
4	є	† Варвары великомученицѣ, Іоанна Дамаск.
5	д	† Савы преподобного.
6	г	**Николая еписк., Миръ ликійск. чудотв.**
7	в	Амвросія еписк.
8	а	Патапія преподобного.
9	з	**Зачатьє прес. Богородицѣ ѡ̂дъ св. Анны.**
10	ѕ	Мины, Єрмогена и Євграфа мученикѡ̂въ.
11	є	Даніила столпника.
12	д	Спиридона епископа.
13	г	Євстратія, Авксептія, Євгенія, Ореста. Лукіи.
14	в	Тирса, Левкія, Филимона, Аполонія.
15	а	Єлевтерія муч., Павла преп.
16	з	Аггея пророка.
17	ѕ	Даніила прор., Ананіи, Азаріи и Мисаила.
18	є	Севастіяна мученика.
19	д	Вонифатія мученика.
20	г	Игнатія богоносца.
21	в	Юліяніи мученицѣ.
22	а	Анастасіи мученицѣ.
23	з	10 мученикѡ̂въ въ Критѣ.
24	ѕ	Навечеріє рожд. Христового, Євгеніи муч.
25	є	**Рождество Христове.**
26	д	**Соборъ пресв. Богородицѣ, Іосифа обруч.**
27	г	**Стефана первомученика.** Теодора.
28	в	2000 мученикѡ̂въ въ Ником. спален., Домны.
29	а	14000 дѣтей убитыхъ въ Вифтлеемѣ. Маркел.
30	з	Анисіи муч., Зотика преп.
31	ѕ	Меляніи преподобнои.

* تابع شهر كانون الاول *

عدد

١٣ القديسة لوسيا س م بدء صيام الميلاد م

١٧ بدء صيام الميلاد س *

١٩ بدء صيام الميلاد ا *

٢٠ اغناتيوس المتوشح بالله ر

٢١ توما الرسول لا س ا م * تدخل الشمس برج الجدى
واول الاربعينية

٢٤ بارامون الميلاد لا ر س

٢٥ ميلاد السيد المسيح بطاله *

٢٦ تهنية مريم العذرا بميلاد السيد بطاله ر ا س م
استيفانوس ريس الشمامسة واول الشهدا س م *

٢٧ يوحنا الانجيلى بطاله لا استيفانوس ريس الشمامسة ر *

٢٨ ذكر اطفال بيت لحم س م *

٢٩ داود الملك م قتل اطفال بيت لحم ر

٣٠ انيسا الشهيدة *

٣١ سلبستروس البابا لا س م *

MENSIS NOVEMBER, شهر تشرين الثانى

عدد

١ جميع القديسين والقديسات بطالة لا ا س م
٥ مار اسيا الحكيم م *
٨ روسا الملايكة مار ميخائيل وجبراديل م بطالة ر ا س
١٢ يوحنا الرحوم مار ديدكوس م
١٣ مار ستانيسلاوس لا م
١٤ فيلبوس الرسول ر
١٦ متى الانجيلى ر
١٨ مار رومانوس *
٢١ دخول السيدة للهيكل م بطاة ر ا س وفيه تدخل
الشمس برج القوس *
٢٢ سيسيليا البتول س م *
٢٥ كاترينا البتول الشهيدة *
٢٧ الشهيد يعقوب المقطع *
٣٠ اندراوس الرسول *

MENSIS DECEMBER, شهر كانون الاول

عدد

٣ مار فرنسيس كسافاريوس م *
٤ بربارة الشهيدة * *
٥ سابا الناسك *
٦ نيقولاوس اسقف ميرا م بطالة ر
٧ امبروسيوس معلم الكنيسة *
٨ حبل القديسة حنة بوالدة الاله بطالة لا ا م
٩ حبل القديسة حنة بوالدة الاله بطالة ر س
١١ بدء صيام الميلاد ر *

* تابع شهر ايلول *

عدد

٢١ تدخل الشمس برج الميزان *

٢٤ تقلا اولى الشهيدات ر *

٢٧ القديسين قزما وداميانوس م *

٢٨ خاريطون المعترف ر م *

٢٩ اية مار ميخاييل م خاريطون المعترف س

٣٠ ايرونيموس معلم الكنيسة س م

MENSIS OCTOBER, شهر تشرين الاول

عدد

٢ ملايكة الحراس س م

٣ ديونوسيوس قاضى العلما *

٤ مار فرنسيس السارافيمى م

٦ توما الرسول ر *

٧ سركيس وباخوس *

٨ بلاجيا البتول *

٩ يعقوب الرسول *

١٣ ادناوس الشهيد *

١٥ مار اسيا الحكيم س القديسة تراازيا س م

١٧ لوقا الانجيلى *

٢٠ ارتاميوس سلطان مصر *

٢١ ايلاريون الناسك تدخل الشمس برج العقرب *

٢٦ ديمتريوس الشهيد بطاله ر

٢٨ سمعان ويهوذا الرسولين لا س م

٢٩ انسطاسيا الرومانية *

٣١ بارامون جميع القديسين لا

* تابع شهر اب *

عدد

٩ ابتدا صيام السيدة ا *

١٠ القديس لورنسيوس والقديسة فيلومنا

١٤ بارامون السيدة لا *

١٥ انتقال سيدتنا مريم العذرا للسما بطاله *

١٦ مار ركوس شفيع الوبا س م

١٨ الملكة هيلانه س م *

٢١ تدخل الشمس برج السنبلة *

٢٢ القديس لويس ر

٢٤ برتولماوس الرسول س م

٢٥ القديس لويس ملك فرانسا م برتولماوس وتيطوس الرسولين ر * *

٢٨ الانبا موسى الحبشى ر م مار اغوسطينوس معلم الكنيسة س م *

٢٩ قطع راس السابق المجيد يوحنا المعمدان بطاله ر ا س *

٣١ وضع زنار والدة الاله ر *

MENSIS SEPTEMBER, شهر ايلول

عدد

١ سمعان العمودى الحلبى ر س ايجيديوس شفيع المعترفين م *

٣ سمعان العمودى الحلبى م

٤ موسى النبى *

٨ ميلاد العذرا بطاله *

٩ يواكيم وحنه والدى العذرا *

١٤ ارتفاع الصليب الكريم بطاله *

١٧ طبع جروحات مار فرنسيس م صوفيا وابنايها الثلاث ر *

MENSIS IULIUS, شهر تموز

عدد
١ القديسين قزما وداميانوس ر س
٢ وضع ثوب السيدة والدة الاله ر زيارة العذرا خالتها م *
٣ انطوليوس الاسقف ر س م نقل اعضا توما الرسول س م *
٧ توما الناسك *
١٥ القديس كرياكوس وامه يوليطا ر س مار يعقوب اسقف نصيبين س م
١٦ ثوب السيدة السنوى س م
١٧ مارينا الشهيدة ر م *
١٩ ارسانيوس البار س م *
٢٠ مار الياس الحى ومرغريتا الشهيدة * بطاله ر ا س م *
٢١ دانيال النبى س م سمعان الصالوض ر
٢٢ مار نهرا ومريم المجدلية تدخل الشمس درج الاسد *
٢٥ يعقوب الرسول س م حنه ام والدة الاله ر
٢٦ حنه ام والدة الاله لا س م *
٢٧ بندلايمون الطبيب * وفيه طلوع شعرة اليمانية * *
٢٩ مرتا اخت العازر س م *
٣١ تلاميذ مار مارون ومار اغناطيوس لا م

MENSIS AUGUSTUS, شهر آب

عدد
١ الشهدا المكابيين ابتدا صيام السيدة ر
٣ غفران الممنوح على يد مار فرنسيس والقديس الفونسيوس لا م
٤ عبد الاحد منشى الوردية م
٦ تجلى ربنا يسوع المسيح بطاله
٧ مار دوميط ابتدا صيام السيدة س م

* تابع شهر نيسان *

عدد

٢٣ القديس جيورجيوس الشهيد بطاله ر ا س م * *

٢٥ مرقص الانجيلى *

٣٠ يعقوب الرسول اخى يوحنا الثاولوغوس ر

MENSIS MAIUS, شهر ايار

عدد

١ فيلبوس ويعقوب الرسولين س م *

٣ وجود الصليب الكريم على يد القديسة هيلانه س م *

٨ يوحنا الحبيب الانجيلى ر س ارسانيوس الكبير ر *

١٤ الانبا بوخوميوس س م *

١٥ الانبا بوخوميوس ر سيدة الزرع س م

٢٠ تدخل الشمس برج الجوزا *

MENSIS IUNIUS, شهر حزيران

عدد

١١ برنابا الرسول *

١٣ القديس انطونيوس البدوانى لا س م

١٤ اليشع النبى ر م *

١٦ القديس كرياكوس وامه يوليطا م

١٧ ابتدا صيام الرسل ر *

٢١ مار لويس غونزاغا لا م وفيه تدخل الشمس برج السرطان واول مربعانية الصيف

٢٣ بارامون مار يوحنا لا

٢٤ ميلاد القديس يوحنا المعمدان بطاله

٢٥ فرونيا البتول ابتدا صيام الرسل س م

٢٧ شمشوم ضايف الغربا ر م

٢٨ بارامون الرسل لا *

٢٩ القديسين الرسولين بطرس وبولس بطاله

٣٠ الرسل اجمالاً *

* تابع شهر شباط *

عدد
٢١ تدخل الشمس برج الحوت *
٢٢ قيام كرسى القديس بطرس فى انطاكيه س م
٢٤ متيا الرسول س م يدخل سعد السعود *

MENSIS MARTIUS, شهر ادار

عدد
٢ مار يوحنا مارون م وقوع جمرة التراب
٧ بولس البسيط وتوما اللاهوتى س م
٨ يدخل سعد الخبايا وبرد المجوز ايام ٨
٩ الشهدا الاربعين بطاله ر ا س *
١٧ يوسف الرامى وجرترودا البتول
١٩ القديس يوسف البتول بطاله لا ا س م
٢٠ اخر الخمسينية *
٢١ تدخل الشمس برج الحمل ويطلع النيروز
٢٤ ذكر ايقونة والدة الاله فى دير صيدنايا
٢٥ بشارة سيدتنا والدة الاله بطاله ولص اليمين م ×
٣٠ يوحنا السلمى *
٣١ عاموص النبى *

MENSIS APRILIS, شهر نيسان

عدد
١ مريم المصرية التايبة ر
٢ مريم المصرية التايبة س م
١٠ حزقيال النبى *
١٧ سمعان اسقف فارس ر س
١٨ تاسيا التايبة *
٢١ تدخل الشمس برج الثور *

* تابع شهر كانون الثاني *

عدد

١٨ قيام كرسي مار بطرس الرسول في رومية م اتناسيوس وكيرللس ر س

١٩ مكاريوس المصري ر *

٢٠ تدخل الشمس برج الدلو *

٢١ انيسا البتول الشهيدة س م *

٢٤ تيموتاوس تلميذ بولس الرسول م

٢٥ ايمان مار بولس واعتماده م غريغوريوس الناولوغوس ر *

٢٧ يوحنا فم الذهب ر س م *

٢٨ افرام السرياني ر س كيرللس الاسكندري م

٢٩ فرنسيس سلاسيوس اخر الاربعينية

٣٠ باسيليوس الكبير وغريغوريوس الناولوغوس ويوحنا فم الذهب ر اول الخمسينية مع اول سعد الذابح * *

MENSIS FEBRUARIUS, شهر شباط

عدد

١ مار افرام السرياني واغناطيوس النوري م

٢ دخول السيد المسيح للهيكل بطاله *

٣ سمعان الشيخ الكاهن تختلف الرياح

٤ البار ايسيدوروس الفرمي ر م *

٥ اغاتا الشهيدة * *

٩ القديس مار مارون الناسك س بطاله م

١١ يدخل سعد البلع *

١٤ مارونيوس الناسك ر

١٦ وقوع جمرة الماء *

١٨ سمعان الشهيد اخي الرب اسقف اورشليم

* تمهيد *

اعلم انه من كون الطوايف تختلف في ترتيب بعض الاعياد والتذكارات فجعلنا لكل طايفة اشارة كما ترى* لا لاتين ر روم ا ارمن س سريان م موارنة* فحينما يكون اختلاف بما ذكر فانك ترى اشارة طايفة التي يكون واقعٌ عندها ذاك العيد او التذكار بمحلها وحينما يكون ذلك العيد او التذكار عند جميع الطوايف فلا حاجة الى شي من الاشارات المذكورة *

شهر كانون الثاني. MENSIS JANUARIUS.

عدد

١ ختانة السيد المسيح ومار باسيليوس وغريغوريوس بطاله *

٢ مكاريوس الاسكندري م *

٥ سمعان العمودي الكبير س م وبارامون ر

٦ اعتماد الرب والظهور الالهي بطاله *

٧ مديح يوحنا المعمدان م بطاله ر ا س

١٤ ميخا النبي ر ملاخيا ويوليان الشيخ م

١٥ يوحنا الكوخي ر س م مكاريوس المصري وحبقوق وميخا النبي م *

١٦ وجود سلسلة القديس بطرس الرسول ر

١٧ مار انطونيوس الكبير اب الرهبان بطاله م *

* كتاب *

* اعياد السنة *

حسب ترتيب كلٍ من الخمسة

* طوايف *

CATALOGUS

FESTORUM ANNI

SECUNDUM COMPUTUM OMNIUM
QUINQUE NATIONUM.

De Fastis Ecclesiae Serbicae
Notitia praeliminaris

exhibens selecta quaedam monumenta de catholica fide veterum Serborum.

I.

Ex literis Innocentii PP. III.

d. 8. Januarii in eundem fere modum scriptis Principibus Viris
Vulcano regi Dalmatiae et Diocleae
et
Stephano Magno Jupano totius Serbiae.

„*Intelligentes per literas tuas nostro apostolatui praesentatas tuae devotionis ardorem, quod videlicet Romanam Ecclesiam matrem tuam super omnia post Deum diligere et honorare proponis et mandatis nostris omnimodis inhaerere.*“ (Apud Migne, Patr. lat. tom. 214, pp. 481—482.)

II.

Ex literis Stephani Magni Jupani Serbiae

d. mense Septembri 1199 ad Innocentium PP. III.

Innocentio Dei gratia Summo Pontifici et universali Papae Romanae Ecclesiae . . . Stephanus. Magnus Jupanus totius Serviae salutem, tanquam patri suo spirituali.

„*Gratulamur Magnae Sanctitati Vestrae, quia non tradidisti nos in oblivionem filios tuos, sed recordatus es de nobis. Nos autem semper consideramus in vestigia sanctae Romanae Ecclesiae, sicut bonae memoriae pater meus, et praeceptum sanctae Romanae Ecclesiae semper custodire.*“ (Ibid. p. 726.)

III.

Ex canone 6. synodi Diocleensis

ejusdem anni 1199, cui Serbia per episcopum suum Theodorum subscripsit.

„*Sacrosancta Romana Ecclesia mater est omnium ecclesiarum et magistra.*“ (Ibid. p. 727; apud Hardouin. conc. tom. 6. part. 2, p. 1953. Cfr. etiam Asseman. *Kal. E. U* tom. 5, pp. 32—33.)

KOLEDAR SRBA

GRCKO-IZTOČNIH.

KALENDARIUM SERBORUM

GRÆCO-ORIENTALIUM.

SIEČANJ, Januarius

1. **Obrezavanje Hristovo**
2. Silvestar papa
3. Malahija prorok
4. Zbor 70 apostola
5. Teopempto i Teona
6. **Bogojavljenje**
7. Zbor Ivana Krst.
8. Georgij i Emilijan
9. Polijevkto
10. Grigorij Nis.
11. Teodosij
12. Tatijana
13. Jermilo
14. **Sava I. arh. srb.**
15. Pavao Tiv.
16. Verige ap. Petra
17. Antonij Veliki
18. Arh. Maksim *(Georg. II.)*
19. Makarij Misirski
20. Jevtimij Veliki
21. Maksim izp.
22. Timotej
23. Klimente
24. Ksenija
25. Grigorij bogosl.
26. Ksenofonte
27. Prienos mošti Jov.
28. Jefrem Sirin
29. Prienos mošti Ignat.
30. Tri jerarha.
31. Kir i Jovan

VELJAČA, Februarius.

1. Trifon
2. **Sretenije**
3. Simeon
4. Isidor Pilusijski
5. Agata
6. Vukol
7. Partenij
8. Teodor i Zaharija
9. Nikifor
10. Haralampij
11. Gjuragj Kratovac
12. Sava II. arh. srbski
13. Simeon Nemanja
14. Aksentij
15. Onisim
16. Pamfil
17. Teodor
18. Lav papa
19. Arhip
20. Lav
21. Timotej prepodobni
22. Mavrikij
23. Polikarpo
24. Obret. glave Jov. Kr.
25. Tarasij
26. Porfirij
27. Prokopij
28. Vasilij izp.

OŽUJAK, Martius.

1. Jevdokija
2. Teodot vlad. Kirinejski
3. Jevtropij
4. Prienos Većesl. Češk.
5. Konon
6. 42 mučenika
7. Svešten. vlad. hers.
8. Teofilakto
9. 40 mučenika
10. Kodrat
11. Sofronij
12. Teofan i Grigorij
13. Prienos mošti Nikif.
14. Venedikto.
15. Agapij
16. Savin
17. Aleksij
18. Kiril
19. Hrisanto i Darija
20. Jovan prepodobni
21. Jakov vlad.
22. Vasilij
23. Nikon
24. Artemij
25. **Blagoviest**
26. Zbor arh. Gavrila
27. Mationa
28. Ilarijon
29. Marko vlad.
30. Jovan Ljestvičnik
31. Ipatij

TRAVANJ, Aprilis

1. Marija Mis.
2. Tit Čudotvorac
3. Nikita
4. Josip Pjesmopisac
5. Teodul i Agaton
6. Jevtihij
7. Georgij vlad.
8. Irodijon
9. Jevpsihij
10. Terentij
11. Antipa
12. Vasilij
13. Artemon
14. Martin papa
15. Aristarh
16. Agapija
17. Simeon
18. Jovan Dekap.
19. Jovan staropeć.
20. Teodor Trihina
21. Januarij
22. Teodor Sik.
23. **Georgij**
24. Sava muč.
25. Marko evangj.
26. Vasilij
27. Janikij I. arhiep.
28. Jason i Sosipatar
29. Vasilij vl. crnog. *(ostroški)*
30. Jakov Zevedejev

SVIBANJ, Majus

1. Jeremija prorok
2. Atanasij Veliki
3. Timotej i Mavro
4. Pelagija
5. Irina
6. Jov. mnogostradalni
7. Znamenje krsta
8. Jovan apostol
9. Nikolaj
10. Simon Zil. apost.
11. Kiril i Metodij
12. Epifanij
13. Glikerija
14. Isidor i Maksim
15. Pahomij
16. Teodor i Jefrem
17. Andronik
18. Teodot
19. Patrikij
20. Talalej
21. Konstantin i Jelena
22. Vladimir kralj
23. Mihailo vlad.
24. Simeon i Nikita
25. Treće obr. glav. Pred.
26. Karpo i Alfej
27. Teraponte
28. Nikita
29. Teodosija
30. Isak
31. Jermina

LIPANJ, Junius.

1. Justina
2. Nikifor Carigradski
3. Lukilijan
4. Mitrofan Carigradski
5. Dorotej i Igor
6. Visarijon
7. Teodot
8. Kiril Aleksandrijski
9. Teodor
10. Timotej
11. Vartolomej i Varnava
12. Onufrij
13. Akilina
14. Jelisej prorok
15. Car Lazar
16. Tihon
17. Manoilo
18. Leontij
19. Juda apostol
20. Metodij
21. Julijan
22. Jevsevij
23. Agripina
24. **Ivanj dan**
25. Fevronija
26. David Selunski
27. Samson i Sevir
28. Prien. mošti K. i. J.
29. **Petar i Pavao** ap.
30. Svih 12 apostola

SRPANJ, Julius	KOLOVOZ, Augustus
1. Kuzm. i Dam.	1. Krstov dan
2. Polaganje halj. Bog.	2. Prienos arh. Stefana
3. Jakinto	3. Isak
4. Andrija Kritski	4. 7 djetića Efeških
5. Atanasij Atonski	5. Evgenij
6. Sisoj i Lukija	6. **Preobraženje**
7. Toma i Akanij	7. Dometij
8. Prokopij velikomuč.	8. Emilijan
9. Pankratij	9. Matija apostol
10. 45 muč. u Nikopolju	10. Lavrentij
11. Jefimija i Olga	11. Evplo
12. Proklo i Ilarij	12. Fotij
13. Zbor arh. Gavrila	13. Maksim izp.
14. Akila	14. Miheja prorok
15. Kirik i Julita	15. **Velika gospa**
16. Atinogen	16. Ubrus Hristov
17. Marina	17. Miron
18. Jakinto i Emilijan	18. Flor i Lavro
19. Makrena	19. Andrija Strat.
20. **Ilijin dan**	20. Samuilo prorok
21. Simeon	21. Tadej apostol
22. Marija Magd.	22. Agatonik muč.
23. Trofim	23. Lup i Irinej
24. Hristina	24. Jevtihij
25. Uspenije sv. Ane	25. Vartolomej
26. Paraskeva (Trnova Petka)	26. Adrijan
27. Pantelija velikomuč.	27. Pimen Vel.
28. Prokor i Nikanor	28. Mojsij Murin
29. Kalinik	29. **Usjekovanje**
30. Angjelina Brankov.	30. Zbor srbskih svetit.
31. Jevdokim	31. Pojas Bogorodičin

RUJAN, September

1. Simeon St.
2. Jovan Postnik
3. Janikij II. srb. patr.
4. Vavila
5. Zaharija i Jelisava
6. Jevdoksij
7. Jovan arhp. Novgorodski
8. **Mala gospa**
9. Joahim i Ana
10. Minodora
11. Teodora
12. Avtonom
13. Kornilij stotnik
14. **Krstov dan**
15. Nikita i Filotej
16. Jevfimija i Ljudmila
17. Sofija
18. Jevmenij
19. Trofim i Teodor
20. Jevstatij
21. Kodrat
22. Foka vlad. Jona pr.
23. Začetak Jov. Krst.
24. Simon kralj srbski
25. Jevrosima
26. Jovan apost. i evang.
27. Kalistrat
28. Hariton i Većeslav
29. Kirjak i Teofan
30. Grigorij Jermenski

LISTOPAD, October

1. Pokrov Bog.
2. Kiprijan i Justina
3. Dionisij Ariopag.
4. Stefan Štiljanović
5. Haritina
6. Toma apostol
7. Sergij
8. Pelagija
9. Stefan Branković III.
10. Evlampij
11. Filip apostol
12. Prov i Tarah
13. Karpo
14. **Sveta Petka**
15. Jevtimij
16. Longin stotnik
17. Osija prorok
18. Luka evang.
19. Jovan Rilski
20. Artemij
21. Ilarijon Veliki
22. Averkij
23. Jakov apostol
24. Areta muč.
25. Markijan i Mart.
26 **Mitrov dan**
27. Nestor
28. Arhiep. Arsenij I.
29. Anastasija
30. Milutin kralj
31. Stahij i Amplij

STUDENI, November	PROSINAC, December
1. Kuzma i Damj.	1. Naum pr.
2. Akindin	2. Uroš car
3. Gjurgjic	3. Sofonija prorok
4. Janikij veliki	4. Varvara
5. Galaktijon	5. Sava
6. Pavao izp.	6. **Nikolj dan**
7. 33 muč. u Militini	7. Amvrosij
8. **Mihailo arhang.**	8. Patapij
9. Onisifor	9. Začetak Bogorodičin
10. Erast i Olimpo	10. Jovan Branković VI.
11. Stefan Dečanski	11. Danilo i Luka
12. Jovan Milostivi	12. Spiridijon
13. Jovan Zlatoust	13. Orest i Lukija
14. Filip apostol	14. Tirso i družina
15. Gurij (post božiću)	15. Elevterij
16. Matej evangj.	16. Agej prorok
17. Grigorij vlad.	17. Danilo, Ananija
18. Platon i Roman	18. Sevastijan
19. Avdija prorok	19. Arhiep. Danilo II.
20. Grigorij Dekapol.	20. Ignatij B.
21. **Uvod bogorod.**	21. Julijana
22. Filimon	22. Anastasija
23. Aleksandar Nevski	23. 10 muč. na Kritu
24. Katarina	24. Evgenija
25. Klimente papa	25. **Božić** (rodj Hrist)
26. Alimpij Stupnik	26. **Zbor bogorod.**
27. Jakov Persijanac	27. **Stefan prvomuč.**
28. Stefan Novi	28. 20 tisuća mučenika
29. Paramon	29. Mladenci
30. Andrija prvozvani	30. Anisija
	31. Melanija, Jos., David

Respectus Kalendarii Serbici.

Ecclesiae Serborum id proprium esse vides, ut ejus Sancti fere omnes ad duplicem ordinem episcoporum et regum pertineant. Ex eremitis duos tantum in fastos suos retulit, s. *Petrum Korišium*, qui tempore Stephani Dušani floruit, et s. *Joannicium Devičensem*, qui vitam asceticam in eremo exercuit saeculo XV. Utrumque non minus virtutis laude quam prodigiorum fama celebratum refert Martinov mense Novembri: et Joannicium quidem ad d. 5., Petrum vero ad d. 25.

Praeter sanctos indigenas plures ex tabulis Ruthenorum et Bulgarorum in Kalendarium hoc nostrum assumpti leguntur, ut ecce: ad 11. Febr. *Georgius Junior,* martyr in Bulgaria, † 1541; ad 22. Maji *Wladimirus,* rex Dalmatiae, † 1019; ad 5. Jun. *Igor,* Magnus Dux Černigoviensis et Kioviensis, † 1147; ad 7. Sept. *Joannes Novgorodiensis,* archiepiscopus, † 1186; ad 19. Oct. *Joannes Rylensis,* † 946 [1]); ad 23. Novemb. *Alexander Nevensis,* Magnus Dux, † 1263 [2]). Eos omnes Martinov egregie illustrat, actis ex fontibus slavicis diligenter delibatis; unde nil opus est, aliud quidpiam hic afferri, praeter duos illos commentarios, quos Kalendario nos subjuncturos esse praemonendo diximus p. p. 414. Hos igitur benevolo animo lector accipiat.

I.

De s. Sabba I., archiepiscopo Serbiae.

Tres filios procreavit cum uxore Anna s. Stephanus Nemania, hujus nominis secundus, Serbiae megajupanus, seu magnus comes, Vulcanum, Stephanum et Rastcum: quorum primus, tamquam primogenitus regnum Dalmatiae et Diocleae

---

[1]) Admirandam ejus vitam descriptam vide in Act. SS., Octobris t. 9, pp. 683—690. A sancto nostro dictum est celeberrimum monasterium Rylense, cujus mentio etiam in recentioribus turbis politicis Bulgariae et Macedoniae identidem occurrit.

[2]) De hoc principe vere catholico videatur „Zeitschrift für kath. Theologie“ 1894, pp. 277—279.

obtinuit; secundus, qui et Primocoronatus appellari solet, Rasciae principatum accepit; Rastcus vero, tertio loco genitus, anno 1169, regente adhuc Serbiam patre, a quo ob pietatis sensus prae caeteris fratribus diligebatur, aulicas turbas pertaesus, anno aetatis suae decimo septimo, venatus causa egressus, cum quodam monacho athonite, natione Russo, qui ipsi amplectendae vitae religiosae auctor hortatorque exstiterat, a caetero nobilium comitatu secessit, rectaque Montem Atho[1]) petens, in monasterio russico S. Pantaleonis cum religioso habitu nomen Sabbae suscepit; et mox hegumeni imperio ad Vatopedi coenobium transiit. Diu conquisitus, cum illic tandem a submisso per sollicitum patrem centurione detectus fuisset, crines quos jam attonderat vestesque ad patrem deferendas curavit, exaratis literis coelestis pietatis plenis: quibus denique non modo assensum impetravit, verum et patrem optimum eo permovit, ut et ipse, abdicato regno ac saeculi curis, monasticam vitam amplexus, in angusta Studenicensis coenobii cella, assumpto Simeonis nomine, se abdiderit: unde postmodum in Montem Atho transivit, ibique ad mortem usque degit[2]). Mariti sui exemplum imitata est Anna, in religione Anastasia dicta. Post haec Sabbas, ad presbyteri ac archimandritae munera per metropolitam Thessalonicensem provectus, fratrum principum Vulcani et Stephani rogatu Chilandarii[3]) gubernationem suscepit, quod e ruderibus excitaverat et ad religiosum instauraverat nitorem, vivo adhuc parente suo Simeone. Pro cujus coenobii negotiis, cum subinde Constantinopolim proficiscitur[4]), magna illic honoris significatione ac gaudio susceptus est ab imperatore ac patriarcha

---

[1]) Repete quae de Monte Athos deque ejus per illa tempora cum Sede Romana unione scripsimus supra pp. 179—180.

[2]) Sanctus Simeon Nemania, cognomento *τοῦ Μυροβλύτου*, in Serborum Fastis occurrit 13. Februarii, quo die obdormivit anno 1200. Ibi et praeclarum de eo commentarium Martinov scripsit.

[3]) De celeberrimis his monasteriis Vatopedii et Chilandarii praeter auctores jam citatos p. 181 videsis quae ex Joanne Comneno dat Montfauconius, *Palaeograph. graec.* l. 7, pp. 464—474.

[4]) Ea tempestate CPolitanum imperium cum patriarchatu in ditione ac potestate Latinorum erat; nam anno 1204, die 12. Aprilis, feria 2. hebdomadis 6. Quadragesimae, duce Balduino Flandro, capta a Latinis est CPolis; a Graecis vero nonnisi anno 1261 recuperata.

Germano (quem Gervasium alii appellant), eo etiam nomine, quod imperatoris Nicaeni Theodori Lascaris filia Radoslao, Stephani Primocoronati filio primogenito, nupta esset. Atque tunc, anno scilicet 1221, ab imperatore et patriarcha designatus fuit Sabbas totius Serbiae ac Maritimae archiepiscopus. Quam dignitatem, quum diu renuisset, victus demum fratrum, discipulorum et monachorum precibus, admisit, avitasque ditiones repetiit ad erudiendam et praeceptis orthodoxae et catholicae pietatis informandam gentem suam. Sedens porro in throno Ecclesiae Serbiae, cum fratre suo Stephano, Vulcani successore, de sincera religione ac pietate restituenda Serbiae sollicitus, cum graeci ritus episcopatus pauci adhuc, nec pares populorum necessitati viderentur, eosdem ad duodecim numero provexit fundavitque. Et quidem primum in Cholmia in Stopa templo B. M. Virginis; secundum in Zenta in ecclesia S. Michaelis; tertium in Debra in templo S. Nicolai; quartum in Budimlia in aede S. Georgii; quintum in Rassa in ecclesia SS. Apostolorum Petri et Pauli; sextum in Chvostno, aede B. M. Virginis Studenicensi; septimum in Prizren, in templo B. Virginis; octavum in Gračanica, itidem in aede B. M. Virginis; nonum in Toplica ad S. Nicolai; decimum in Braničevo in aede S. Nicolai; undecimum Belgradi in templo B. Mariae; ultimum denique episcopatum instituit in Moravica in aede S. Archilii. Et in mandatis dedit per has omnes ditiones doceri, tenerique quam constantissime veram catholicamque fidem, a sanctis Apostolis et Ecclesiae Doctoribus traditam. His omnibus rite peractis, ad coronationem Stephani megajupani processit. Quapropter praedictorum omnium antistitum concilium convenire jussit in magno archiepiscopio Pechiensi, ibique coram clero universo, nobilitate majori minorique et magna populi multitudine fratrem suum regali diademate coronavit, unde *Primocoronatus,* Pervověnčan, vulgo appellari coepit[1]). Diadema vero, quo eum decoravit,

[1]) Sub nomine *Simonis* honoratur die 24. Septembris. Praeclara ejus facta ac nominatim arctissimam cum Romana Sede unionem a Martinov explicatam invenies in *Anno eccl.* gr. sl. ad ipsum hunc diem. — Stephani (Simonis) filius Sabbas (II.), patrui sui in archiepiscopatu post s. Arsenium successor in Kalendario nostro memoratur die 12. Febr., apud Martinov autem die 8., ubi et Acta illustrantur. Hujus Sabbae in eadem

impetraverat ab Honorio III. papa per episcopum Methodium, quem ideo Romam missum fuisse extra omnem controversiam positum est. Quae coronatio, anno 1222 facta, et legatio arctissimam s. Sabbae cum Romano pontifice conjunctionem reddit manifestam. Post annos aliquot inter labores apostolicos exactos dimisit sanctus archipraesul episcopales infulas, et Arsenium [1]), virum sanctitate conspicuum, successorem instituit; ipse vero solitudinis amantissimus in Montem Atho, ex quo ad infulas provectus fuerat, rursum secessit, postquam ecclesiam Serbiae multa auctoritate, prudentia et dexteritate rexisset, omnibus semper affabilis, cunctosque paterno affectu excipiens, nec ulla locorum distantia aut asperitate a lustrandis fidelium coetibus impeditus. Post haec duplicem peregrinationem instituit ad invisendam Terram sanctam: ex qua dum secundo per Bulgariam revertitur, morbo correptus, in coelum evolavit anno Domini 1237, meritis onustus miraculisque in vita et post mortem admodum clarus. Eodem anno corpus ejus, omnis corruptionis expers illaesumque, a Vladislao rege ex illustri urbe Ternobo in patriam revectum, et in coenobio Mileševo, in ecclesia Ascendentis Domini, ab Arsenio conditum est; ibique per trecentos et sexaginta annos magno peregrinorum concursu celebratum [2]) fuit, donec scilicet ab impiis Turcis, postquam Miločevum oppidum expugna-

Sede successorem secundum, Joannicium I., ecclesiasticae Serborum tabulae referunt die 27. April.

[1]) Vitam Arsenii paucis exornavit Martinov *op. cit.* ad 28. Octobris, quo die nomen ejus consignatum in Kalendario vide supra p. 444.

[2]) Quanta veneratione sanctum Sabbam veteres Serbi fuerint prosecuti, erui vel ex eo potest, quod provinciam illam ducalem, ubi corpus ejus jacebat, *Ducatum sancti Sabbae* appellarint, et Duces ipsi titulo *Custodum sepulchri sancti Sabbae* sint gloriati. Is porro Ducatus ipsa est *Herzegowina,* quam nuperrime in jus Augustissimi Imperatoris Nostri transiisse alias jam animadvertimus. Prae caeteris omnibus provinciis illarum regionum *Ducatus* dicitur, a voce *Herzog,* quod a principibus possideretur, qui ex concessione Friderici III. imperatoris *Ducum* dignitate ibidem insignes existerent. Hujus Ducatus mentio occurrit in *Vita s. Basilii, episcopi Herzegowinae,* atque hoc titulo patriarchae Ipekiensis, qui circa annum 1648 in Cernogoram seu Montem-nigrum secedens ibidem vitam eremiticam duxit, fastis ecclesiasticis adscriptus, ut vides, ad d. 29. Aprilis, de quo plura recognoscere poteris apud Martinov ad d. 22. Decembris.

runt, tumulo extractum est et flammis sacrilegis absumptum mense Aprili, die 27, festo S. Simonis martyris, anno 1595. Quae ubi primum sancti viri exuvias invaserunt, ab ipso rogo ad coelum usque magna barbarorum confusione mille coloribus speciosam nubeculam assurrexisse ferunt, portentum non obscurum cladis Turcarum, quae sacrilegum facinus cum ipsius ducis infami post cladem interitu statim consecuta est. Quam nos hic brevissime perstrinximus vitam S. Sabbae, fusiori calamo exaravit Dometianus, ejus discipulus et in coenobio Caryarum hieromonachus, anno creationis 6751 et reparatae salutis 1243, non autem 1264, uti passim traditur; quod opus, apprime catholicum et, sive pietatem spectes, sive veritatis sincerae studium, sive denique rerum quae ibi enarrantur copiam ac varietatem, valde commendabile, nondum lucem, qua tamen dignissimum est, vidit. Exstant alia quoque scripta vitam sancti hujus antistitis adumbrantia. Non omnia conveniunt cum veritate; quam notam potissime meretur lucubratio Muravievii de S. Sabba, qualis legitur in Vitis Sanctorum, pag. 209 et seq. — Quae hactenus hoc loco excusa est Vitae epitome, prius edita fuit in *Trifolio Serbico* [1]. Notae in *Anno eccl. gr. sl.* adjectae p. 44. fontes genuinos indicant, unde plura haurias.

II.

De s. Stephano Orosio V., rege seu imperatore Serbiae.

Stephanus Urošius, hujus nominis quintus, quem Latini Orosium vocant, fuit ultima Nemaniorum propago. Natus est anno 1338 patremque habuit *Stephanum Dušanum,* cognomento *Validum,* qui sceptrum tenuit ab anno 1336 ad annum 1356, matrem vero Helenam, Joannis Cantacuceni Graecorum imperatoris filiam. Stephanus Dušanus is fuit qui magnis rebus gestis Serborum reges omnes antecellit; imperio in

[1]) *Trifolium Serbicum coronae ss. Cyrilli et Methodii inserendum, seu Breviarium Vitarum patronorum Serbiae, ss. Sabbae, Simeonis et Simonis, adjecta Vita auctore Tomco Marnavicio cum notis Joannis Bollandi et J. E. Martinov* (in Actis SS. Januarii tom. 2, pp. 261—265). Bruxellis, apud Greuse, anno millenario ss. Cyrilli et Methodii (1863).

Macedoniam et Thessaliam prolato, se imperatorem Romaniae, Slavoniae et Albaniae dici voluit; quin magistratuum nomina et munera in Serbiae regnum invexit ad aulae Constantinopolitanae imaginem, atque equestrem ordinem S. Stephani instituit. Idem, in sacris perinde ac in civilibus rebus ambitioni consulens, Serbiae archiepiscopos patriarchali titulo ac dignitate donavit ad formam Ecclesiae Byzantinae, eo forte principio innixus apud Graecos solemni, imperium sine patriarchatu stare cogitarive non posse. Utut est, patriarchae titulum, quem Graeci ecclesiae Serbicae invidebant, et objectis etiam excommunicationis fulminibus abrogatum ibant, Innocentius PP. VI., pro summa in Ecclesias potestate ultro largitus est ac ratum habuit, quamvis ob neglectam petitionem pallii eum redarguerit paterne; verumtamen cum non videatur Honorius III. a s. Sabba I., Serbiae archiepiscopo, efflagitasse, ut veterem illum morem observaret, privilegio aut forte diversae orientalium disciplinae consuetudine factum est, ut ille ritus in ecclesia Serbica nunquam viguerit. Illud praeterea memoratu dignum est, quod quidam de Stephano Dušano referunt scriptores, eum, coacta scilicet Serbicorum episcoporum synodo, circa annum 1355, omnes Graecos episcopos Photiani lolii satores, toto quam late patebat Serbiae imperio expulisse et ejecisse, quam ob causam a Callisto, patriarcha Constantinopolitano, tum ipse imperator tum universae Serbiae episcopi anathemate sunt confixi. Illius severitatis regiae edictique synodalis in Graecos episcopos non alia causa in animum venit, quam, quod post regium edictum et inhibitionem sub poenis formidabilibus latam de non profanandis Latinorum sacramentis, abstinendoque ab eorum vexatione et injuriis, graecanici episcopi disciplina Caerularii imbuti (quorum multi aucto per Romaniam Macedoniamque imperio in ditione Stephani numerabantur), insigni contumacia sacra Latinorum, Baptismum, Confirmationem ac Eucharistiam in azymo confectam spernerent, opprimendisque ritus hujus fidelibus haud desinerent, perversisque suis doctrinis Serbos quoque in eandem impietatem commoverent. Quumque huic regiae ordinationi justissima subesset causa, nihil prorsus reformidavit imperator patriarchae Constantinopolitani anathema. Factum istud celeberrimum incidit in annum 1355, quo nempe Sabbas

IV. Joannicio [1]) successit, et quo ipso Urošius, Dušani filius, juvenis annorum decem et septem, nuptias suas solemni pompa celebravit. Duxit autem uxorem Annam seu Ancam, Alexandri Valachici principis et Clarae filiam, ut in confesso est ex literis Urbani V. ad eandem Claram jam viduam, quam alibi *„non solum catholicam, sed claris dictae fidei meritis insignitam“* pronuntiavit Pontifex modo laudatus. Quod vero scriptores latini de repudio primae conjugis et nuptiis illegitimis cum Voisavi Caesaris filia Elisabetha perhibent, nescio unde hauserint; et certe fidem merentur nullam. Quum diem extremum sibi imminere sensisset Dušanus, provinciarum praefectos ad fidem Urošio filio sancte servandam gravibus juramentis obstrinxit. Imperium enim in praefecturas partitus erat adhuc vivens valensque, retento sibi summo imperio; Acarnaniae praeposuerat Simeonem, fratrem suum; Vukašino, Ugliešae et Goico fratribus potissimum tractum illum, qui a Pheris excurrit, velut maxime bellis obnoxium, commendavit; Lazaro et Vuko Brankovičio, ejus genero, Sirmium et Mačvam et provincias Danubio Savoque finitimas, Terram Stephani regis olim dictas; Altomanoque Chulmiam commiserat regendas, ut caetera silentio praetermittam. Mortuo igitur patre anno 1356 regni gubernacula arripuit Urošius, annos decem et novem natus. „Imperium auspicatus“, ut domestici scriptoris verbis utar, „ecclesiam honoribus Natae Virginis Mariae in urbe Scopia, regum domicilio, exstruxit; cui mater Helena, in Monte Nigro supra Segligovo pari pietate alteram dedicavit. Princeps juvenis cum facilis esset mitissimaque indole, amorem omnium in se provocavit; ac, dum ex matris suae agebat consiliis, regiminis optimi spem mentibus suorum ingessit. Verum cum brevi post, rejectis maternis et seniorum consiliis, juvenes audire coepit, instar Roboami, ad extremum periit: aut, ut viciniore utamur exemplo, sicut Michaelem,

---

[1]) *Joannicius II.,* solo archiepiscopi titulo insignis ab anno 1340, patriarcha renuntiatus 1350, sanctorum catalogo adscriptus est ad d. 3. Septembris, quem honorem etiam *Danieli II.,* immediato ejus in archiepiscopatu decessori (1326—1340), tributum vide supra ad d. 19. Decembris. — Totam seriem patriarcharum Serbiae ab anno 1350 ad annum 1765, quo patriarchatus Serbiae finem accepit, ex fontibus serbicis accurate proponit Martinov ad d. 22. Decemb.

Bulgarorum regem, servi sui Basilii, ita Urošium immatura juvenum consilia perdidere. Itaque anno ejus imperii decimo sexto ostenderunt se violatores sacramenti complures proceres, ac praecipue Vukašinus, qui licet ab Urošio despotae dignitate et mox etiam regali Serbiae et Romaniae corona auctus esset, ad extremum tamen imperatorem suum, mortalium ingratissimus, imperio et vita ipsa exturbavit. Peremerunt itaque Urošium rex Vukašinus, Uglieša [1]) despota et Goico fratres et quadrifariam partiti imperium Serbicum, servatis sibi titulis regis, despotae ac Caesaris, Amuratem, Orchanis filium, Knezim nominarunt." Hactenus annalista Serbus, admodum brevis. Sane malorum omnium initium ex Simeonis patrui ambitione belloque adversus Urošium gesto, secessione Helenae matris, quae peculiare sibi regnum Pheris constituit, ac neglectu meliorum consiliorum repetendum est; quae omnia primo imperii biennio evenerunt. Annus tertius, salutis nostrae 1359, transactus est inter civilia bella duorum summorum Serbiae praefectorum, Vukašini et Lazari, et quae his successerunt bella Hungarica. Annos tres sequentes occuparunt motus, quos partim Nicephorus despota in Thessalia, partim Matthaeus Cantacucenus ad Pheras, ac denique Joannes Palaeologus adversus Bulgaros, Helenae foederatos, concitaverunt. His malis ultimam manum addidit nimia Urošii facilitas in augendo Vukašino rege, et despota Uglieša, Vukašini fratre. Hinc enim invidiae, suspiciones, mutuae procerum collisiones et bella ad se invicem, inobedientia erga Urošium tanta, ut solum imperatoris nomen retineret; unde postremo pernicies ejus originem traxit. Malum diu toleravit Urošius; tandem ejus impatiens, detractum sibi a Vukašino et Uglieša imperium armis recuperare statuit, suadentibus potissimum Lazaro comite et Nicolao Altomano jupano, atque auxilia opesque universas offerentibus perlibenter. Ergo proelium acre committitur anno, ut videtur, 1371; profligato Altomano, quem Lazarus reliquerat solum, Urošius in Vukašini manus venit,

[1]) Joannes Uglieša, despota Serbiae (*Ἰωάννης Οὔγκλεσης, δεσπότης Σερβίας*) partium sibi subditarum ecclesias de potestate sedis Pekiensis statim subtractas Philotheo, patriarchae CP., tunc tamen catholico, subjecit an. 1371, Majo mense. Acta vide apud Migne, Patr. gr. tom. 152, pp. 1439—1445.

et privati instar nulloque honore domi est retentus, quin et crudelius tractatus. Unde cum anno exeunte fuga se Ragusam subducere molitur, fratrum consilio et sacrilega Vukašini manu ferali ictu capiti inflicto exanimatus est in campo Merularum seu Kosovo, ob cladem Serbis ibi non multo post illatam celeberrimo. Occubuit autem non multo post, die secunda Decembris, qua a Serbis ut martyr honoratur, in medio regni sui, haerede nullo relicto, et luctu patriae maximo. Ita imperium Serbicum, quod ex Graecorum dissidiis creaverat Stephanus rex, ex domesticis pariter dissidiis in Urošio filio desiit, nondum expletis ab erectione annis septem et viginti. Sepulcrum nactus est Urošius prope castrum Petricum in ecclesia Beatae Virginis Assumptae, supra Nerodymiliam. Post lapsum annorum aliquot, cum beneficiis prodigiisque inclaruisset, reliquiae, de sepulcro levatae, venerationi publicae sunt expositae; quae hodiedum suavem exhalant odorem, et sanitatem praebent accedentibus cum fiducia. Dein ob Turcarum irruptiones corpus translatum est in monasterium Jaslense Sirmii, in Francochorio situm, qui mons nunc Fruška-Gora nuncupatur. De religione Urošii [1]) et orthodoxia fidenter affirmat Pejačević, *Histor. Serborum,* p. 305, eum cum matre sua Helena catholicae Ecclesiae dogmata complexum,

[1]) Quod Tomcus de Serborum regum cum Romana ecclesia unione generatim asserit in *Vita s. Sabbae,* id verum esse non putat Asseman. *Kal. E. U.* ad 12. Januarii. tom. 6, p. 58; quapropter legenda omnino sunt, quae Martinov acute, ut solet, de iis Serborum principibus disputat, qui ecclesiasticis Fastis inserti conspiciuntur, scilicet: ad 30. Octobris *Stephanus* (Urošius II.) *Milutinus* (1275—1321), filius Stephani (Urošii I.) et Helenae, Francorum regis filiae; ad 11. Novembris *Stephanus Dečanensis* (1322—1333), martyr, Stephani Milutini filius; ad 15. Junii *Lazarus,* post obitum s. Urošii, totius Serbiae rex (1372—1389), martyr, maritus s. Angelinae (Milicae), quae in religione nomen Euphemiae assumpsit; ad 9. Octobris *Stephanus* (Brankovičius III.), Serbiae despota (1395—1427) praecedentium ss. Lazari et Angelinae filius; ad 30. Julii *Angelina,* uxor s. Stephani Caeci (anno 1438 a Turcis oculorum lumine orbati), fratris despotae s. Lazari II. Greblanovič; obiit an. 1477, cum marito suo, qui tanquam martyr colitur die 11. Octobris. Ambo eorum filii pariter sanctorum cultu honorantur: et ad 18. Januarii quidem *Georgius,* qui et *Maximus,* despota, monachus et archiepiscopus Valachiae, obiit an. 1516; ad 10. Decembris vero *Joannes* (Brankovičius VI.) despota; vivere desiit an. 1503.

ac obedientiam erga Romanam sedem fuisse professum. Qua in re quaestionem absolvit dubiumque tollit Lucae Waddingi testimonium, quod huc propterea retulisse juvabit, utpote haustum ex monumentis Fratrum Minorum, qui per regna ista late sparsi agebant. Waddingus igitur, postquam retulit opera Innocentii VI., Summi Pontificis, finem bello Hungarico Venetoque anno 1358 esse tandem impositum, et Dalmatiam a Ludovico, Hungariae rege, in fidem receptam, sic in rem nostram prosequitur: Superatis itaque multis dificultatibus atque obtenta pontificis facultate, selectum Ludovicus conscripsit militem contra Rasciae regem; arces et munitissima quaeque loca occupavit, ipsum regem cepit. Sed quum postea in manus Ludovici ex formula ab Innocentio praescripta jurasset, inque fide et obedientia tum Romanae Ecclesiae, tum regum Hungariae se futurum promisisset, magnifice donatus, regno reddito, dimissus est. (Annal. Minor., t. 8, p. 111, n. 6). Id quod ad annum 1359, non alteri quam Urošio V., qui Serbiae regio nomine tunc imperabat, evenisse debuit, et aperte asserit Samuel Timon in synopsi chronologica; etsi vulgari scriptorum latinorum praejudicio, ut observat Pejačević, orthodoxiam regis ad fictionem simulationemque trahat. Urošii interitu stirps Nemanica desiit, regnumque Serbicum seu Rascianum prorsus interiit. Vukašinus sceleris patrati justas poenas dedit: quum enim post primam victoriam dein ad Ciarnomenum a Turcis esset victus ejusque exercitus profligatus anno 1371, ipsum ex acie fuga elapsum a quodam ex suis armigeris, Nicolao Harsevič nomine, torque aureo ingentis pretii, quem inhiabat, e collo detracto, interfectum alii, alii Maricae fluctibus haustum esse tradunt. Exinde proceres et dynastae arma adversus se invicem sumpserunt, et licet inter se discordes essent, tamen veluti quadam conjuratione facta, ad vastissimum illud regnum dilacerandum conspirasse videbantur, donec Turcarum barbaricae tyrannidi est subjectum.

De Kalendario Bulgarorum.

Quemadmodum ecclesia Bulgara in corpore juris canonici splendidis testimoniis comprobatur olim fuisse cum Sede Romana unita, ita et Romanorum Pontificum singulare studium in religionis morumque integritatem Bulgarorum manifesto compertum est. Res clarissime lucet ex canonibus superius in Vita Borisi principis adductis p. 151 [1]). Firmatur praeterea celeberrima illa decretali, *Quum venisset,* quam Innocentius PP. III. ad praesulem ecclesiae Bulgarae dedit an. 1204 [2]), quamque, ut latius pateret, Gregorius PP. IX. authentico suo canonum codici insertam voluit sub titulo *De sacra unctione* (I, 15). Quare dignum et justum est, ut descripto jam anno ecclesiastico graeco-slav., cui et ecclesia Bulgara est assueta, appendiculam adjiciamus, qua nominatim *septem* ejus *sancti patres* exhibeantur, qui praecipuam venerationem apud Bulgaros habent.

De septenariis patribus et apostolis Bulgarorum.

Septem igitur sancti viri numerantur, qui peculiari honore a Bulgaris coluntur tanquam Bulgariae Apostoli et spiritales parentes: nimirum *Cyrillus* et *Methodius,* Slavorum Apostoli, et quinque eorum discipuli *Clemens* et *Nahum, Gorazdus, Sabas* et *Angelarius,* vulgo *οἱ ἅγιοι ἑπτάριθμοι, sancti septenarii,* appellati.

Nahum, sanctis Cyrillo et Methodio in natione slavica convertenda atque in libris liturgicis in slavicum idioma transferendis assiduus et diligens adjutor, Romamque euntibus comes

---

[1]) De Boriso praeter fontes ibidem indicatos consuli merentur recentissimi commentarii a Valentino Lah vulgati in *Archiv für kath. Kirchenrecht,* t. 40, pp. 274—293.

[2]) De literarum commercio inter Innocentium PP. III. et Bulgaros videatur idem Lah, *Archiv. cit.,* t. 44, pp. 193—256.

fuit continuus. Postea Moravia pulsus, in Bulgariam venit ac *s. Clementi*, episcopo Velicensi, initio quidem fuit in evangelizanda natione Bulgara auxiliator, deinde vero, ut communior fert opinio, in episcopali munere successor. Honoratur tum solus die 20. Junii, tum etiam die 17. Julii conjunctim cum aliis sex memoratis Bulgariae apostolis [1]).

S. Clemens, Cyrilli et Methodii, ut in opere evangelico, ita et in passione socius, Pannonia pulsus, Bulgaris dux in pietate colenda factus et ipse, episcopus Velicensis seu Tiberiopolitanus constitutus, plenus dierum ac meritorum vita functus an. 916, ter colitur in anno, diebus 17. et 27. Julii et 22. Novemb. Plura ex Actis primigeniis dat Martinov *an. eccl. gr. sl.* d. 27. Julii, repulsa etiam falsa schismatis criminatione, quam recentiores quidam scriptores, graecanicae Vitae temere innixi, in virum sanctissimum conferre sunt ausi. Quod post Pejačevich [2]) Martinov tradit *l. c.*, s. Clementem promotum fuisse ad dignitatem metropolitae Achridani cum juribus legati Apostolici in Illyrico et Bulgaria, id verum esse non putat V. Lah, quamvis et ipse bonis rationibus doceat, antiquam ecclesiae Bulgarae autocephaliam fuisse a Romanis Pontificibus legitime firmatam [3]), juribus Legati seu Vicarii Apostolici Sedi Achridanae in perpetuum affixis [4]).

S. Gorazdus, natione Moravus, a s. Methodio sibi in archiepiscopatu Moraviae et Pannoniae successor designatus 885, anno proxime sequenti vero cum caeteris s. Methodii alumnis e Moravia ejectus abiit in Bulgariam, ubi a Boriso rege honorifice exceptus, reliquum vitae in excolenda Bulgarorum vinea strenue laboravit. Fastis Sanctorum adscriptus

---

[1]) Quae huic diei assignata est *Ἀκολουθία τῶν ἁγίων ἑπταρίθμων*, in ipso titulo festi eorundem nomina hoc ordine effert: *Κύριλλος*, *Μεθόδιος*, *Σάββας*, *Ναούμ*, *Γοράσδος*, *Κλήμης*, *Ἀγγελάριος*. Ita *Proprium ecclesiae Bulgarae,* edit. Moschopoli in Macedonia an. 1741.

[2]) *Histor. Serbiae.* Colocae, 1797, p. 64.

[3]) In *Archiv für kath. Kirchenrecht,* t. 42, pp. 100—114.

[4]) Achrida sive Acrida (Ocrida), notissima Bulgariae seu Dardaniae urbs, patria Justiniani imperatoris, ab ipso *ἡ πρώτη Ἰουστινιανή*, *Justiniana prima,* nuncupata et *μητροπόλεως αὐτοκεφάλου* dignitate nobilitata (Novell. 11), postea auctoritate Sedis Apostolicae ad eundem gradum restituta est. Cfr. V. Lah, *l. c.*

est die 17. Julii. Cum accuratiori ejus Vita Martinov ibidem etiam reliquorum duorum septenariorum *Sabae* et *Angelarii* paucas, quae colligi poterant, notitias exhibet.

Corollar. Immerito omnino atque injuste *Ginzel* [1]), acatholicorum placita secutus, quinque s. Methodii discipulos (Clementem, Nahum, Gorazdum, Angelarium et Sabbam) in Bulgariam profectos, in schismatis et haereseos insimulationem vocat. Quemadmodum enim, schismate post mortem Photii extincto an. 891, universa ecclesia graeca deinceps latinae ecclesiae unita mansit usque ad Michaelem Caerular. [2]), ita nominatim ecclesia Bulgarorum cum latina adeo arcte erat conjuncta, ut reges seu Tsari Bulgariae hujus periodi omnes fuerint auctoritate Romani Pontificis coronati [3]). Ecclesia Bulgara tum demum violenter fuit ab ecclesia Romana avulsa, quum imperator CP. Basilius II., Bulgaroktonus, Bulgariam subegisset an. 1019 [4]).

De hodierno statu ecclesiae Bulgarae ritus graeci catholicae videantur Romanae *Missiones catholicae* an. 1895, pp. 593—594. Constitutionem ecclesiae cum Sede apostolica non unitae describit Jireček C., *Das Fürstenthum Bulgarien,* Prag, 1891. Cfr. *Archiv für kath. Kirchenrecht,* t. 66, pp. 385—388.

---

[1]) *Geschichte der Slavenapostel Cyrill u. Method,* p. 94. Wien 1861.

[2]) Relegas superius notata pp. 209—210, 212—213; 306.

[3]) Videatur V. Lah, *l. c.* pp. 89—99.

[4]) Cfr. Lah, *Archiv,* t. 44, p. 194.

Kalendaria ritus Syriaci.

„Ritus syriacus in quatuor classes dispescitur; scilicet alius est ritus syriacus purus, alius syro-chaldaicus, alius syro-maronita, alius syro-malabaricus“ [1]).

Exercitationum academicarum in seminariis sive collegiis instituendarum causa, visum est, Kalendaria ritus syriaci puri et ritus syro-maronitae praesenti hoc tomo exhibere, reliquis duobus, ritu syro-chaldaico et ritu syro-malabarico, in alterum tomum rejectis.

I.

KALENDARIUM RITUS SYRIACI PURI.

Kalendarium ecclesiae Syrorum purorum cum pluribus aliis iisque rarioribus studiorum nostrorum adjumentis acceptum referimus eximiae benevolentiae duorum virorum orientalium, qui nihil in se curae passi sunt desiderari, ut nos in adornanda nova editione juvarent. Et initio quidem Rmus. David, archiep. Damascen. Syrorum, ὁ μακαρίτης, quum operi nostro ad absolutionem perfectionemque annum ecclesiasticum suae nationis deesse censeret, ipse codicem festorum ex libris liturgicis sua manu exscriptum nobis e longinquo Oriente ultro misit, ut eum futurae Kalendarii nostri editioni insereremus. Deinde cl. P. L. Cheikho S. J., professor universitatis Berytensis in Syria, pro ea, qua et ipse praestat, exquisita humanitate manuscriptum recognoscere atque ad fidem authentici catalogi festorum, *Magno Officio ecclesiae Antiochen. Syrorum* [2]) praefixi, vulgo *Phinqit* seu *Phenchita* [3]), exigere dignatus est, quo exactissime vulgaretur. Quod hic cum

---

[1]) Ita Missiones catholicae cura s. Congregationis de Prop. Fide descriptae, an. 1895, p. 605.

[2]) Edit. Mausilii (Mossul) an. 1886.

[3]) Cfr. Asseman. *B. o.,* tom. 3, part. 2, p. 386. Vocabulum cognationem non dubiam habet cum graec. *πίναξ, πινακίδιον.*

honorifica et grata utriusque viri mentione praeterire nec voluimus nec potuimus.

In subjiciendis commentariis brevitati servivimus, lectore ad illos Sanctos amandato, qui in Kalendario nostro occurrunt. Paucas animadversiones sive ex recentioribus Actorum syriacorum editionibus sive ex antiquis codicibus vaticanis msc. desumptas, illustrando argumento idoneas, nec facile obvias, lector sacrae heortologiae cupidus lubens, puto, videbit adjectas.

Festa immobilia Ecclesiae Antiochenae Syrorum.

Tešrîn el-evvel seu prior. October.

D. M.

1. Ananias apost. *2. cl.* — Abai mart. *3. cl.*

   Ananiae, disciculi, apostoli Damasci (C. 77), qui Paulum baptizavit. C. 69. — Kal. I, 293; II, 608.

   Abai, mart. sub Sapore rege. Cfr. Assem. *B. o.* I, 192, et *Kalendar. Eccles. univ.*, VI, p. 263.

2. Cyprianus ep. et Justina virgo, martyres Antiochiae Pisidiae. *3. cl.*

   Kal. I, 294; II, 590. Acta syriaca ss. Cypriani et Justae (Justinae) dat Bedjan, *Acta MM. et SS.* t. 3, pp. 322—344.

3. Dionysius areopagita, episc. Lutetiae. *2. cl.*

   Dionysii, discipuli s. Pauli, episcopi Athenarum. C. 21. Kal. I, 295, 414; II, 48, 609.

4. Dometius mart. *2. cl.*

   Dometio, Persae (C. 21), ‚paralyticorum sanatori', jungitur Calistena, martyr, ‚oculorum sanatrix'. C. 37. — Kal. I, 238; II, 43.

5. Mamelchtina mart. *3. cl.*

   Mamelchtinae, ‚cantatricis ex Bethgarma'. C. 37. — Kal. I, 296.

6. Thomas Apostolus. *1. cl.*

   Coronatio Thomae Apostoli, et regis Indiae et Misadi ejusque filii Joannis et matris ejus Tartariae, et decem monachorum Cartumiensium, qui *fraterculi* ('achônê) vocantur, et 483 martyrum. C. 37. — Kal. I, 296—298; II, 341—343, 597.

7. Sergius et Bacchus, martyres. *1. cl.*

   Coronatio ss. inclytorum martyrum Sergii et Bacchi. C. 21. Acta syriaca habes apud Bedjan, t 3, pp. 283—322. — Kal. I, 298; II, 582, 640.

D. M.

8. Barsamia ep. Edessae et mart. *3. cl.*
Videatur Moesinger in Commentario paulo inferius indicando. ad 14. h. — Kal. II, 413, 569.

10. Olympius et Olympia martyres. 3. *cl.*
Occidentalibus sunt notissimi martyres Eulampius atque Eulampia. — Kal. I, 299; II, 604—605.

11. Philippus unus ex septem diaconis. *3. cl.*
Kal. I, 300; II, 608.

12. Probus, Tarachus et Andronicus, mart. *3. cl.*
Kal. I, 301; II, 610.

13. Carpus, martyr. *3. cl.*
Kal. I, 165.

14. Šarbel ep. Antioch. et Babai, mart. *2. cl.*
Šarbelis et Babaeae, sororis ejus. C. 37. — Edessae in Syria ss. martyrum Sarbelii episcopi et Barbaeae sororis ejus, qui a beato Barsimaeo episcopo baptizati in persecutione Trajani sub Lysia praeside martyrio coronati sunt. Martyrol. rom. ad d. 28. Januar [1]).

15. Esaias Alepensis et Asja, confessores. *1. cl.*
S. Isaiae Alepensis, et mors s. Asjae, ascetae, qui et Pantaleon. C. 68 et 69. — Mar Isaias, eremita, ex agmine *(d'men st'ta)* septuaginta duorum Mar Eugenii sancti [2]), viri admirabilis, . . genere erat ex urbe Haleb et cuius pater Symmachus vocabatur. Et erat vir dives et propter multitudinem divitiarum vocabant eum regem urbis Haleb". Ex *Hist. syr.* apud Wright, *Catalogue of the Syriac Manuscripts*, part. 3, pag. 1129, Cod. 970, 39. — Acta habet Bedjan, t. 3, pp. 534—572.

„Historiam sancti et eremitae perfecti et ascetae et in gloriam Dei ingressi Mar Asja" refert idem Wright l. c. p. 1124, Cod. 960, 4. — Vocabulum Āsyā est nomen appella-

---

[1]) Eorum gesta ex variis synaxariis et martyrologiis collecta exhibent Bollandiani ad d. 29. Januar., ejus mensis t. 4, p. 538—539. Iis non ita pridem insignis accessio facta est genuinis Actis syriacis a Moesinger latine vulgatis atque illustratis in proprio libro: *„Acta ss. martyrum Edessenorum Sarbelii, Barsimaei, Guriae, Samonae et Abibi ex fontibus . . collecta, explanata atque defensa"*. Oeniponte, Wagner 1874. — Ipsa Acta in exemplari syriaco exstant apud Cureton, *Ancient syriac Documents* indeque assumpta iterum exhibentur a Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* t. 1, p. 95—173.

[2]) Videantur inferius notata ad 20. April.

D. M.

tivum significans *medicum;* cur vero sancto nostro factum sit nomen proprium, ibidem ita declaratum invenimus: „Quum idem s. Marcus cogitaret, quo nomine eum appellaret, dixit ei Deus voce alta et forti: *Āsyā* vocabitur puer, quia instrumentum bonum est mihi et sanationem multam ego impertiam per manus ejus et exibit nomen ejus in omnem terram“. — Sanctus Asjā, quem in Cod. 69 etiam *Pantaleonem* vocari vidimus, sedulo distinguendus est ab homonymo s. martyre et medico nicomediensi, fastis latinis, graecis ac syris inscripto ad d. 27. Julii. Uterque sanctus et nomine divinitus indito et coelesti dono curationum insignis extitit.

16. Longinus martyr. *3. cl.*

Coronatio martyris Longini centurionis. C. 21. — Kal. I, 302—303; II, 611.

18. Lucas Evangelista. *1. cl.*

Kal. I, 304; II, 610, 614.

21. Hilarion, solitarius, confessor. 2. *cl.*

Kal. I, 304—305; II, 43.

23. Jacobus Apost., frater Domini. *1. cl.*

Kal. I, 305; II, 622.

25. Phetion, martyr in Perside. *3. cl.*

Phetionis, martyris et eremitae (C. 69), „advocati tribulatorum“. C. 37. — Assem. *B. o.* passim. — Acta syriaca, cum interpretatione latina doctisque commentariis, vulgavit Corluy in Actis *Analecta Bollandiana,* t. 7, p. 1—44. — Kal. II, 669.

26. Demetrius, martyr. 2. *cl.*

Kal. I, 308; II, 25, 26, 613. — „Commemoratio terrae motus“ C. 19, de quo supra actum est p. 308.

27. Capitolina virgo. *3. cl.*

Ss. Capitolinae et Erotheidis et sociarum martyrum C. 22. — Reperiuntur in Martyrol. rom. h. d. 27. Oct.

Tešrîn et-tsânî, sive alter. November.

1. Omnes Sancti *(more Latinorum). 1. cl.*

Kal. I, 313.

2. Acindynos et socii martyres. 2. *cl.*

Sancti martyres quinque Acindyni et soc. C. 77. — Kal. I, 315.

D. M.

6. Paulus episc. CPolitanus et mart. *2. cl.*

Coronatio hieromartyris Pauli Confessoris. C. 77. — S. Pauli confessoris C. 19. — Episcopi CP. C. 21. — Martyris et Confessoris. C. 68. — Pauli, qui passus est ab Arianis. C. 37. — Kal. I, 316; II, 49, 530, 617, 702.

7. Triginta tres martyres Melitinae. *3. cl.*

Martyris Hieronis et 33 sociorum Melitinae. C. 77. — Kal. I, 319.

8. Archangeli Michael, Gabriel, Raphael et omnes Angeli. *1. cl.*

Synaxis Angelorum. C. 37. — Kal. I, 319; II, 546, 617.

9. Porphyrius et Onesiphorus, martyres. *3. cl.*

Kal. I, 320.

11. Mena et socii martyres. *3. cl.*

Menae, martyris aegyptii et soc. C. 77. — Kal. I, 320; II, 617.

12. Joannes Eleemosynarius, episc. Alexandriae. *2. cl.*

S. Joannis Eleemosynarii, patriarchae Alexandrini, qui uxorem et duos filios habuit. C. 78. — Kal. I, 327.

13. Joannes Chrysostomus Doctor et episc. CPolitanus. *1 cl.*
Miles, episc. in Perside et mart. *3 cl.*

Commemoratio Patris nostri Chrysostomi, *quum in exilium pulsus esset.* C. 20. — Kal. I, 328; II, 48, 609, 618.

Commemoratio Milis et ejus discipuli (Eborae). C. 69. — Kal. II, 617.

Cfr. Asseman. *B. o.* I, p. 12—13, et Martyrol. Rom. 22. April.

14. Philippus Apostolus. *1. cl.*

Philippi Ap. et septem filiarum ejus. C. 78. — Kal I, 329; II, 618.

15. Guria, Šamona et Habib, martyres. *2. cl.*

Ss. Confessorum et martyrum Šamonae, Guriae et Abibi Edessae. C. 78. — Confessorum Edessae S. G. et a. C. 69. Martyr. Edessae Sam. et Ab. C. 77. — Kal. I, 329; II, 133, 618.

De actis martyrii videatur Moesinger, superius adductus ad d. 14. Octob., p. 461.

16. Matthaeus Apostolus. *1. cl.*

Matthaei Evangelistae, pro lacte mulierum. C. 37. — Kal. I, 330; II, 610, 640.

D. M.

17. Gregorius Thaumaturgus, episc. Caesareae. *2. cl.*

Gregorii thaumaturgi et Ignatii Nurana, qui Romae coronatus est. Cc. 77 et 78 (die 17) et (C. 37) d. 16. — Kal. I, 330; II, 621.

18. Romanus martyr. *2. cl.*

Obitus Romani martyris et puerorum sociorum ejus. Romani, qui absque lingua locutus est. C. 37 (ad 15. Mart.). — C. 37. — Kal. I, 331; II, 618.

19. Barlam et Azad martyres. *3. cl.*

Commemoratio Barlami, qui morti addictus est propter incendium. C. 20. — Kal. I, 331; II, 615.

Commemoratio Azad et soc. C. 20. Cfr. Assemani, *B. o.* I, p. 189, et Martyrol. rom. d. 22. April.

20. Gregorius episc. Decapoleos. *2. cl.*

Kal. I, 332. — Profestum Deiparae. C. 77.

21. Praesentatio B. M. V. *1. cl.*

Festum praesentationis Dominae in templo, tertio suo anno. C. 78. — Kal. 1, 332; II, 620.

22. Caecilia martyr romana. *3. cl.*

Commemoratio magnae martyris Caeciliae. C. 20. — Kal. I, 333.

24. Clemens Papa rom. et martyr. *1. cl.*

Kal. I, 334; II, 48, 623.

25. Catharina martyr. *2. cl.*

Kal. I, 335; II, 605.

27. Jacobus Intercisus mart. *2. cl.*

S. Jacobi Persae. C. 9; Jacobus Intercisus *(mĕpassĕkā)* C. 19. — Kal. I, 336; II, 623 [1]).

30. Andreas Apostolus. *1. cl.*

Kal. I, 338; II, 623.

Kanûn el-evvel seu prior. December.

4. Barbara et Juliana, martyres. *1. cl.* — Joannes Damascenus, Doctor. *2. cl.*

Barbarae et Julianae martyrum. C. 69. Acta syriaca

---

[1]) In cod. syr. vat. N. 69. die 29. refertur festum s. Jacobi Doctoris Sarugensis, an. 833 (graec.), cujus *Laudes* supra signatas vidimus p. 227.

D. M.

prostant apud Bedjan, t. 3, pp. 345–355. — Kal. I, 341; II, 606.

J. Damascen. Kal. I, 341; II, 316, 369.

Joannes filius Mansuris Damasc. C. 77. — Joannis Damasceni auctoris canonum. C. 20. — Obitus s. Joannis et ss. mart. Barbarae et Julianae. C. 21.

5. Julianus Saba, confessor. *2. cl.*

Julianus Sabas *illustris* (*žahjā*). C. 69. — Obitus s. Sabae. C. 21. — In Syria sancti Juliani Sabae senioris, qui Valentis imperatoris tempore fidem catholicam Antiochiae pene collapsam virtute miraculorum erexit. *Martyrol. rom.* ad d. 14. Januar. Alius est ab illo s. Saba, quem Graeci Latinique eodem hoc die colunt. Kal. I, 344. Res a s. Juliano Saba *illustri* praeclare gestas multis persequuntur Bollandiani ad d. 18. Octob., ejus mensis t. 8, p. 346—358.

6. Nicolaus thaumaturgus, episc. Myrrhae. *1. cl.*

Sancti Zachae sive Nicolai. C. 69. — Commemoratio s. Nicolai. C. 19. — Kal. I, 347; II, 49, 625.

7. Ambrosius Mediolanensis, Ecclesiae doctor et pontifex. *2. cl.*

Ambrosius episc. Mediolani. C. 20. — Kal. I, 348.

8. Conceptio B. M. V. *(more Latinorum). 1. cl.*

In C. 20 refertur ad diem sequentem: Conceptio Annae, quum Mariam Deiparam concepit. — Kal. I, 348; II, 625.

10. Behnam et Sara, soror ejus et sociae martyres in Perside *1. cl.*

Behenami et sociorum ejus. C. 77.

Res gestas clarissimorum martyrum Behnami et sororis ejus Sarae primus ex antiquo codice londinensi erutas summatim exhibuit Hoffmann, *Auszüge aus syrischen Acten persischer Märtyrer,* p. 17—19; nunc vero. ipsis actis propositis, accuratius explicat Bedjan, *Acta martyrum* et *Sanctorum* t. 2, n. 8. Eas, quia teste Assemano parum notae, in brevissimum compendium contractas hic narrasse, operae fuerit pretium. Juvenis princeps *Behnam* quum se in venatione exerceret, Dei monitu sanctum eremitam Mattai, in cacumine montis degentem, quaesivit et per eum in fide christiana eruditus baptizatusque paulo post cum *Sara* sorore, quae et ipsa in Christum crediderat, a proprio parente martyrio affectus est

11. Daniel Stylita, confessor. *3. cl.*

Kal. I, 351; II, 43.

12. Spiridion thaumaturgus, confessor. *2. cl.*

Kal. I, 352; II, 49.

D. M.

13. Lucia virgo et martyr. *3. cl.*

Kal. I, 353.

14. Abraham Cidunajan. solitarius. *3. cl.*

Obitus Abrahae Chidonitae. C. 78. — Acta syriaca egregiis prolegominis ac commentariis a professore Lamy illustrata exstant in *Analectis Bolland.*, t. 10, p. 1—49. Ea olim latinitate donata jam dederant Bollandiani in Actis SS. d. 18. Martii, ejus mensis t. 2, p. 428—438, unde et in Patrol. lat. transierunt, apud Migne, t. 73, p. 281—294.

17. Rabula, episc. Edessae. *2. cl.*

Kal. II, 229. — Obiit a. 435. — Cfr. Asseman. *B. o.* I, p. 197.

20. Ignatius *Nurana*[1]), *2. cl.* episc. Antiochiae et martyr. *1. cl.*

Coronatio s. Ignatii *Nurana* (Ignei). Evangelium ex Marci c. 9, 52—56. C. 19[2]). — Kal. I, 358, 85; II, 48, 626.

21. Amphilochius, episc. Iconii. *3. cl.*

Amphilochii ep. Iconii. C. 37. — Kal. I, 333, 357; II, 47.

24. Vigilia Natalis. *1. cl.* Eugenia martyr. *3. cl.*

Profestum Nativitatis C. 77. — Kal. 360—361; II. 629.

Eugeniae et eorum qui passi sunt in Perside sub Cosroa rege impio. C. 77. — Eugeniae m. C. 77, et parentum ejus. C. 69. Eorum acta syriace edidit Bedjan, t. 5. pp. 469—514. — Kal. I, 361; II, 570.

25. Nativitas D. N. J. C. *1. cl.*

Nativitas Dei magni et Salvatoris. 69. — Kal. I, 363; II, 629.

26. Laudes (Qullâsa) B. M. V. *1. cl.*

Festum de laudibus[3]) Deiparae C. 77. — Laudes Deiparae. C. 69. — Commemoratio Deiparae Mariae et Da-

---

[1]) *Nurana* = Igneus. Cfr. Kalend. I, 358.

[2]) De rationibus lectionis hujus evangelii relegesis, quae supra dicta sunt in Kal. I, 85 et 357.

[3]) Festum de laudibus (qullâsa, qullôso) illi memoriae respondere, quam in ritu graeco post majora festa Domini eorum Sanctorum fieri videmus, qui praecipuam partem in mysterio haberent, animadversum jam est in Kalendar I, 63. Nomen *Qullôso* quod spectat, silentio praeterire non possumus, cl. Dr. Nestle pro singulari sua humanitate nobis benigne significasse, putare se *Qullôso* potius a *καλεῖν* (unde *ἐκκλησία*) descendere, quam a *καλῶς* vel *κλέος*, quemadmodum aliorum auctoritati nixi supra innuimus p. 62. Quae doctissimi viri sententia, aliis omis-

D. M.
vidis et Jacobi, fratris Domini, et Josephi Justi. C. 20. — Kal. I, 365; II, 629.

27. Infantes Bethlehem. *1. cl.*

64.000 (in alio exemplari 14.000) infantes, quos misit occidere Herodes. C. 77. — Kal. I, 370; II, 581.

30. Agnes martyr. *2. cl.*

S. Agnetis virginis, quam vocant „virginem desponsatam“ *(b'thūltā dam'khirtā)* C. 77 ad 21. Januar.
Kal. I, 79.

31. Hareth et socii martyres Najran *2. cl.*

Homeritarum in Nagran et Arethae ducis[1]) et reliquorum puerorum et mulierum. C. 77. — Acta syriaca exhibet Knös, *Chrestomathia syriaca,* p. 37—54 — Kal. I, 306; II, 613.

Kânun et-tsânî sive alter. Januarius.

1. Circumcisio Domini. *cl. 1.* Basilius et Gregorius pontifices. *1. cl.*

Circumc. Kal. I, 46.
Obitus Basilii Caesareae archiepiscopi. C. 79; Com. s. Gregorii Nysseni et reliquorum doctorum graecorum. C. 77. — Kal. I, 47, 65; II, 609, 630.

2. Silvester Papa roman. *3. cl.*

Kal. I, 50; II, 569, 609.

3. Zosimus martyr. *3. cl.*

S. Zosimi martyris et reliquorum. C. 20. — In Cilicia sanctorum martyrum Zosimi, Athanasii commentariensis, Theopempti et Theonae, qui in persecutione Diocletiani

---

sis, etiam inde aliquid commendationis habere videtur, quod nomini *Qullōso* in originali graeco bis respondeat σύναξις, hodie scilicet et d. 7. Januarii; σύναξις autem ejusdem ferme potestatis est atque ἐκκλησία; utrumque vocabulum enim identidem significat *evocativum coetum fidelium ad laudes Sanctorum celebrandas.*

[1]) Hic commemoratione digna est controversia de auctore persecutionis martyrum Homeritarum (proprie *Himyaritarum)* nuper habita inter *Halévy* et *Duchesne;* quum nimirum ille contra antiquam traditionem contendisset in *Revue des Études Juives,* motam fuisse persecutionem *non a Judaeis,* sed ab Arianis, novae opinionis levitatem in iisdem actis solide confutavit *Duchesne,* an. 1890, n. 40. Videantur quae de tota hac disceptatione referunt Analecta Bollandiana, t. 10, p. 58—59 *(Les martyrs de Nedjran).*

D. M.

illustre martyrium obierunt. Martyrol. rom. ad h. d. — Kal. I, 54; II, 627.

6. Epiphania D. N. J. C. ejusque Baptismus. *1. cl.*

Benedictio aquae. Inde in C. 19 notantur *Sabbatum ante benedictionem aquae, Dominica ante ben. aquae, nox benedictionis aquae et Sab. post ben. aquae.* — Kal. I, 50.

7. Laudes (Qullāsa) s. Joannis Bapt. *1. cl.*

Laudes ejus, Joannis Baptistae. C. 77. — Kal. I, 63—64.

8. Stephanus protomartyr. *1. cl.*

Kal. I, 368; II, 629.

12. Barsa episc. Edessae. *2. cl.*

Obiit a. 377. Cfr. Asseman. *B. o.* I, pp. 398 et 324, et Martyrol. rom. 30. Januar.

14. Martyres montis Sinai. *3. cl.*

Omnium Patrum qui occisi sunt in monte Sinai et in Raithun. C. 77. — Omnium monachorum, coenobitarum, eremitarum et in montibus degentium. C. 68. — Kal. I, 68; II, 44.

15. B. M. V. de seminibus. *1. cl.* — Joannes monachus ex Evangelio aureo.

Deiparae festum de seminibus *(zar'a).* C. 77. — Joannis Calybitae *(dam'talthā* = tugurii) C. 77. — Joannis filii regum *(Bar Malke)* C. 77. — Joannis, qui pro Christo pauper est appellatus. C. 79. — Joannis filii regiorum *(Bar Malkane),* Romani *(d'men Roma* = ex Roma) Wright, *Catalogue* cit., part. 3, pag. 1121, Cod. 957, n. 6. — Possessor Evangelii aurei (Passim.). — Arab. *Jūchannā lkch lkūchi* (Catal. fest.) — Kal. I, 70, 436; II, 625, 658.

16. Vincula s. Petri Apost. *2. cl.* — Paulus primus eremita. *3. cl.*

Adoratio catenae, quae cecidit e pedibus Principis Apostolorum Petri. C. 21. — Petri et Pauli in vincula conjectorum. C. 77. — Kal. I, 71—72: II, 624, 643. Pauli primi eremitae vita syriaca legitur apud Bedjan, t. 5, pp. 561—572.

17. Antonius Magnus abbas. *2. cl.*

Antonii Magni hegumeni. C. 79; et Patrum aegyptiorum, et commemoratio fidelium, qui asceteriis et monasteriis dona dant. C. 77. — Kal. I, 72; II, 42, 565, 642. Vitam Athanasianam syriace redditam exhibet Bedjan, t. 5, pp. 1—121.

D. M.

18. Athanasius et Cyrillus, Doctores, episcopi Alexandriae. *2. cl.*

Archiepiscoporum Alexandriae et synodi Ephesi. C. 77. Kal. I, 74—76; II, 568, 609.

19. Macarius Aegyptius, abbas. *3. cl.*

Kal. I, 78; II, 44, 621. Vitam syriacam dat Bedjan, l. c., pp. 177—262.

21. Maximus confessor. *2. cl.*

Maximi et sociorum ejus. C. 77. — Kal. I, 78; II, 44.

22. Timotheus Apostolus. *2. cl.*

Kal. I, 79; II, 609.

23. Clemens episcopus Ancyrae et mart. *3. cl.*

Kal. I, 80.

24. Babyla episc. Antiochiae et martyr. *2. cl.*

Coronatio Babylae et puerorum sociorum ejus: Barbati 12 annorum, Apyllii 9 annorum, et Arbi 7 annorum. C. 77. ad d. 23. h. — Kal. I, 80, 270; II, 594.

25. Conversio s. Pauli Apost. *2. cl.*— Gregorius Theologus, episc. Nazianzi et doctor. *2. cl.*

Sancti Achae eremitae, qui particulam ligni crucis nobis attulit (Kal. I, 276), et Gregorii Theologi, et Gregorii patris et Nonae et fratris Caesarii et Gorgoniae sororis. C. 77. — Kal. I, 81; II, 48, 569, 609.

27. Translatio reliquiarum s. Joannis Chrysostomi. *2. cl.*

Translatio ossium Joannis Chrysostomi per Proclum discipulum e Comana urbe in metropolim. C. 77. — Kal. I, 82; II, 609, 618.

28. Ephraem Syrus, doctor. *1. cl.*

Kal. I, 84; II, 43, 609, 630.

29 Sepultura (seu inhumatio) reliquiarum Ignatii *Nurana*, episc. Antioch. et mart. *1. cl.*

Relatio corporis episcopi Ignatii *Nurana* ad urbem Antiochiam. C. 79. — Kal. I, 85; II, 626.

31. Cyrus et Joannes martyres. *3. cl.*

Kal. I, 88; II, 42.

D. M.

Šebet. Februarius.

1. Širina virgo et mart. in Perside. *3. cl.*

Martyrium Širinae Persae. C. 69 (ad 8. h.). — Širina, quae et Šira palmam martyrii consecuta est an. 558, Februario mense. Admirandum ejus certamen illustratum videas apud Bollandianos in Act. SS. 18. Maji, ejusmensis t. 4, p. 170—182.

2. Ingressus D. N. in templum (seu Purificatio B. M. V.). *1. cl.*

Ingressus D. N. J. C. in templum. C. 19. — Kal I, 91; II, 643. Cum iis, lector, utiliter conferes doctas observationes, quas *cl.* Stiglmayr aetati hujus festi illustrandae nuperrime scripsit in Actis Moguntinis *Katholik* 1885, I, 566—575, adhibitis praesertim testimoniis *Peregrinationis Silviae, Cyrilli Alexandrini,* hom. div. 12 (apud Migne, Patr. gr. t. 77. pp. 1040—1049) et *Theodoti Ancyran.,* hom. 4 (ibid. pp. 1389—1412), quae ipse per te consules.

3. Simeon senex. Qullāsa ejus *2. cl.*

Simeonis senis, h. e., Hypapante. C. 68. — Qullāsa s. Simeonis (passim). — Kal. I, 93.

4. Isidorus Phirmiensis. *3. cl.*

Kal. I, 94; II, 215, 652.

5. Agatha martyr. *3. cl.*

Agatha m. Cc. 19 et 69. — Kal. I, 94.

9. Maron abbas. *2. cl.* — Nicephorus martyr. *3. cl.*

Maro. Kal. I, 103. — *Niceph.* Kal. I, 97.

11. Blasius episc. Sebast. *3. cl.*

Blasii episc. C. 77, Sebastes C. 20. — Kal. I, 98; II, 569.

13. Meletius episc. Antiochiae *3. cl.*

Meletii episc. C. 21, Antioch. C. 20. — Kal. I. 99.

14. Xystus Papa rom. *3. cl.*

Xisti Romae. C. 69. — Silvestri, Liberii et *Xysti* et Julii, Romae Pontificum, et mart. Bonifatii et soc. C. 77. (d. 19. Decemb.)

S. Xysti III res gestae sunt amplissimae, quae volumine praegrandi potius quam brevi annotatione indigeant. Martyrol. rom. 28. Mart. jcta. not. Baronii.

15. Onesimus, discipulus Apostolorum et mart. *3. cl.*

Kal. I, 104; II, 569.

D. M.

17. Marutha episc. Martyropoleos. *2. cl.*

S. Maruthae Maipheractae et plurimorum martyrum maipharactarum. C. 20. — Kal. I, 267; II, 334—335.

18. Flavianus episc. Antioch. et mart. *2. cl.*

Natalis sanctorum Flaviani secundi [1], episcopi Antiocheni (499—512), et Eliae, episcopi Hierosolymorum, qui, pro synodo Chalcedonensi ab Anastasio imperatore in exilium acti, victores migrarunt ad Dominum. Martyrol. rom. ad d. 4. Julii. Res gestas prolixiori commentario prosequuntur Bolland. Jul. t. 2, p. 22—28.

19. Ephraem et Isaac doctores *1. cl.*

S. Ephraem et s. Isaac. C. 68. — De s. Isaac (seniore) sancti Ephraemi discipulo, cfr. Asseman. *B. o.* I, p. 165. Kal. I, 84.

20. Šahdost pontifex et martyr in Perside. *3. cl.*

S. Šadosti episcopi, h. e., *amici regis,* et 128 martyrum. C. 69. — Consonat Martyrol. rom. h. d. — Acta olim jam ab Asseman. vulgata nunc iterum edidit Bedjan, *Acta martyrum* etc. t. 2, n. 6. Videatur etiam Assemani, *B. o.* t. 1, p. 188.

22. Cathedra s. Petri Antiochiae. *2. cl.*

Kal. I, 377, 390.

23. Polycarpus episc. Smyrnae et martyr. *2. cl.*

Kal. I, 110; II, 49, 570.

24. Inventio s. Joannis Baptistae. *3. cl.*

Inventio capitis s. Joannis B. in urbe Emesa. C. 19. — Kal. I, 111; II, 578 [2]).

Adâr. Martius.

1. Eudocia martyr. *3. cl.*

Eudociae Samaritanae martyris. C. 80. — Kal. I, 115; II, 412.

3. Coelestinus Papa rom. *3. cl.*

S. Coelestini Patriarchae. C. 37.
Elogium dat Martyrol. rom. d. 6. Apr. — Kal. I, 75.

---

[1]) De Flaviano I. (381—404) videatur Boschius, *De Patriarchis Antioch.* in Act. SS., Jul. t. 4, commentar. praev., pp. 62—64.

[2]) Ad d. 27. Febr. singularis habetur annuntiatio in C. 19: „Marciani, qui Constantinum M. e baptismo suscepit.“

D. M.

4. Gerasimon solitarius. *3. cl.*

Commemoratio s. Gerasimi, cui animalia subjecta fuerunt. C. 80. — Kal. I, 117; II, 43.

5. Conon martyr. *3. cl.*

S. Cononis hortulani et martyris. C. 20. — Kal. I, 117.

6. Quadraginta duo martyres Syriae. *2. cl.*

42 martyrum Amorii. C. 80. — Kal. I, 118.

9. Quadraginta martyres Sebastae. *1. cl.*

Kal. I, 118; II, 577. Acta Syriaca 40 martyrum Sebast. vulgavit Bedjan t. 3, pp. 355–375.

10. Septem martyres Corinthii. *3. cl.*

11. Sophronius episc. hierosol. *3. cl.*

Sophronii archiepiscopi hierosolymitani. C. 80. — Kal. I, 119; II, 49, 149.

12. Gregorius Magnus Papa rom., Doctor. *2. cl.*

Kal. I, 120.

17. Alexius confessor. *3. cl.*

Alexii viri Dei et commemoratio terrae motus, qui fuit diebus Theodosii C. 20. — Alexii filii Euphemiani et matris ejus Aglaidis C. 20. Alius est autem a Calybita [1]), qui ab Evangelio nominatur. C. 37 (ad d. 17. Jul.). — Kal. I, 123. Terrae mot. Kal. I, 284.

18. Cyrillus hierosolymitanus, *3. cl.* et Doctor. *2. cl.*

Kal. I, 124; II, 576, 609.

19. Joseph vir Mariae *1. cl. (more Latinorum).*

Kal. I, 125, 365; II, 611.

22. Basilissa et Callinica martyres. *3. cl.*

De iisdem Latini Graecique hodie agunt in Martyrol. rom. et in Menaeis.

25. Annuntiatio B. M. V. *1. cl.*

Kal. I, 126; II, 553, 637.

---

[1]) In praesenti hoc argumento illustrando nostris diebus praeter alios multam operam posuerunt Amiaud, *La Légende syriaque de saint Alexis, l'homme de Dieu*, Paris, Vieweg, 1889; — Poncelet, *La Légende de Saint-Alexis*, in Actis: *La science catholique*, t. 4, p. 269—271; 632—645 (a. 1890); Analecta Bollandiana, t. 10, p. 483-484 (a. 1891).

D. M.

27. Undecim martyres in Perside. *3. cl.*

„Qui sub Sapore, Persarum rege saevissime trucidati" referuntur in Martyrol. rom., etiam a Graecis eodem hoc die coluntur.

29. Cyrillus diaconus martyr. *3. cl.*

Kal. I, 128; II, 574.

30. Joannes Climacus. *3. cl.*

Kal. I, 128; II, 44, 139.

31. Abda episc. Seleuciae, et Benjamin diaconus, mart. *3. cl.*

Latini solum Benjamin hodie colunt; Graeci vero natalem s. Abdae episcopi simul celebrant. Pretiosa fragmenta ex Actis s. Abdae vulgavit Hoffmann, *Auszüge*, p. 34. 35.

Nisân. Aprilis

1. Maria Aegyptiaca. *3. cl.*

Kal. I, 130; II, 47, 643. Vitam syriacam vulgavit Bedjan, t. 5, pp. 342—385.

2. Barlaha martyr. *3. cl.*

Sancto Barlahae plures dies h. m. tribuuntur. Ad d. 24. annuntiatur: „s. Barlahae martyris, servi paganorum." C. 69. — Graecis Latinisque est *s. Barlaam*, in Martyrol. rom. d. 19. Novemb. relatus, a ss. Basilio M. et Joan. Chrys. praeclaris orationibus encomiasticis exornatus.

7. Adrianus uxorque ejus Jazdin, martyres in Perside. 3. *cl.*

Juxta nonnullos antiquos codices syriacos nomen *Jazdin* hoc loco ultima sui parte truncatum est, legendumque in forma integra *Jazdunduchta*, quod significat *Filia Dei*. S. Adriani uxor quippe variis vocabulis in fastis orientalibus signata legitur, ut ecce: *Natalia, Anatolia, Jolitta*, et in iis, quos diximus, codicibus, *Jazdunduchta*, nacta, ut videtur, illustrem appellationem a celebri illa *Jazdunduchta, adiabenarum foeminarum nobilissima, quae,* ut ipsa, *sanctos martyres in carcere detentos propriis facultatibus aluerat* [1]). — Kal. I, 260; II, 596, 659.

11. Leo Papa romanus, Doctor, *1. cl.*

Kal. I, 106—107.

13. Serapion abbas. *3. cl.*

Kal. II, 45, 625. Vitam syriacam videas apud Bedjan, t. 5, pp. 263—341.

---

[1]) Ita Acta apud Asseman. *B. o.* I. 190.

D. M.

14. Simeon Barsabbaë, episc. Seleuciae et soc. martyr.

In codicibus syriacis hodiernae annuntiationi inserta legitur nota chronographica: „Feria sexta crucifixionis D. N. J. C.“ [1]): cui quidem consonat Martyrol. rom. ad d. 21. Apr. Acta syriaca exhibet Bedjan, t. 2, pp. 131—207. — Kal. I, 137—138. Cfr. etiam Hoffmann, *Auszüge,* p. 16.

17. Acacius episcopus Amidae *3. cl.*

Amidae in Mesopotamia s. Acacii episcopi, qui pro redimendis captivis etiam ecclesiae vasa conflavit et vendidit. Martyrol. rom. ad d. 9. April.

19. Paphnutius presbyter et martyr. *3. cl.*

Kal. I, 142. — Acta syriaca habet Bedjan, t. 5, pp. 514—542.

20. Eugenius abbas. *2. cl.*

„Monachatum proprie dictum in plena sua forma, quemadmodum Antonius in Aegypto et Hilarion in Palaestina et Syria primi ejus fuerunt fundatores, sic eodem ferme tempore et paulo ante concilium Nicaenum, *Eugenius,* s. Antonii discipulus, in Mesopotamiam atque inde in totam ecclesiae chaldaicae ingentem provinciam invexit. Eum ob reverentiam *Avun (Abun),* h. e., *Patrem nostrum* Chaldaei ab initio ad haec usque tempora appellant; qua proinde appellatione (*Ἀώνης, Ao*), et quidem sola, Sozomenus agnovit illum atque memoriae prodidit in *Hist. eccles.* l. 6, c. 33.“ Ita Khayyath, *Syri orient. et Rom. Pontif. Primat.* p. 182—183. — Ejus septuaginta duo discipuli *de agmine s. Eugenii* vel simpliciter *de agmine* esse leguntur. Vitam s. Eugenii syriace edidit Bedjan, *Acta martyr.,* t. 3, pp. 376—480. — In codicibus syr. vatic. dicitur *Eugenius princeps septuaginta* vel *septuaginta duorum* (discipulorum). Refertur etiam d. 2. Novemb.

23. Georgius martyr. *1. cl.*

S. Georgii militis, daemonum expulsoris. C. 37, d. 1. Jun. — Vitam syriacam ex antiquis manscr. nuper vulgavit Bedjan *Acta martyrum et SS.,* t. 1, p. 45 sqq. — Kal. I, 143.

25. Marcus Evangelista. *1. cl.*

Kal. I, 145; II, 610, 643.

---

[1]) Prima magna trucidatio ac crudelissima carnificina (anno 31. Saporis regis) per decem continuos dies perdurabat, a feria VI Crucifixionis D. N. J. usque ad Dominicam secundae hebdomadis *χαρμοσύνης*, quae respondet nostrae Dominicae in Albis. Cfr. Kal. II, 302, 340.

D. M.

27. Simeon episcopus hierosolymitanus. *2. cl.*
Kal. I, 146; II, 570.

30. Jacobus Zebedaei Apostolus. *1. cl.*
Kal. I, 148; II, 630.

Ijâr. Majus.

1. Evodius episcopus Antiochiae, martyr. *2. cl.*
S. Evodius, primus Antiochiae a s. Petro Apostolo ordinatus episcopus, glorioso martyrio vitam finivit. Martyrol. rom. ad d. 6. Maji.

7. Inventio s. Crucis. *1. cl.*
Festum inventionis sacrosanctae Crucis dominicae e Kalendario Latinorum (d. 3. h. m.) transiit ad 7. Maji, diem apparitionis ejusdem mysterii. Apparitio Crucis in coelis Hierosolymis. C. 20. — Manifestatio s. Crucis. C. 21. — In C. 69. s. Helena imperatrix commemoratur die 6. — Kal. I, 153; II, 564, 614.

8. Joannes Evangelista. *1. cl.*
Plures codices venerationi Joannis E. jungunt commemorationem Deiparae, Evangelio diei assignato „Stabant juxta crucem" (Joan. 19). — Kal. I, 53; II, 413. 610, 630.

9. Christophorus martyr. *3. cl.*
De Christophoro optime meruerunt Analecta Bollandiana, graece et latine editis, quae caeteris antiquiora et praestantiora sunt, ejusdem Actis nuper repertis ac novissime etiam exhibita vetustissima latina „Passione" t. 10, pp. 393—404, quam cum graecis Actis contulisse non parum attinuerit.

10. Simon Zelotes Apost. *1. cl.*
Kal. I, 156; II, 622.

12. Epiphanius episc. Cypri et Doctor. *2. cl.* Jacobus episc. Nisibenus *2. cl.*
Epiphan. Kal. I, 158; II, 48, 582, 609.
Jacobus Magnus, Nisibi episcopus, s. Ephraemi magister, † a. 338. Cfr. Asseman., *B. o.* I, p. 17. — Kal. II, 627, 667.

13. Isaac Doctor. *1. cl.* — Glyceria martyr. *3. cl.*
Isaac, cognomento Magnus, floruit medio saeculo 5. Cfr. Asseman. *B. o.* I, p. 207—212. — Kal. II, 413.
Glycer. Kal. I, 159; II, 413.

D. M.

14. Addaeus apostolus. *1. cl.*
In plerisque omnibus codicibus Addaeo junctus est Abgarus rex. — Kal. I, 255; II, 289, 627.

15. B. V. M. de spicis. *1. cl.*
„Festum Deiparae ad spicas" (šeblā) C. 69 respondet priori „Deiparae festo seminum" (žar'ā) d. 15. Januar. — Kal. 413, 664.

16. Abdjesus episc. Ctesiphontis et martyr. *3. cl.*
S. Hebedjesus, episcopus, ex primoribus illorum 40 martyrum est, qui anno persecutionis 36, Saporis 66, Christi 366, martyrii coronam acceperunt mense Majo. Cfr. Asseman. *B. o.* I, p. 192. — Kal. II, 413.

20. Quatuor Evangelistae. *1. cl.*
Kal. II, 610.

21. Helena regina. *3. cl.*
Kal. I 163; II, 413, 569, 583.

22. Basiliscus mart. *3. cl.*
Kal. I. 163.

29. Petrus episc. alexandrinus et martyr. *2. cl.*
Coronatio Petri alexandrini, *qui rupto pariete exiit*, C. 69. — Kal. I, 334; II, 165, 651.

31. Hermias martyr. *3. cl.*
Hermiae, cui propinatum est venenum mortiferum, quin damnum caperet. C. 69. — ‚Ipsum carnificem ad Christum convertit et ejusdem martyrii coronae participem fecit'. Martyrol. rom. ad h. d. — Kal. I, 168. — Plura alia mensi Majo illustrando afferemus t. 2, p. 412—413.

Haziran sive Cheziran. Junius

4. Metrophanes episc. CPolitanus. *3. cl.*
Commemoratio Metrophanis episc. CPolitani. C. 21. — Kal. I, 172; II, 48, 616—617.

5. Dorotheus presbyter et martyr. *3. cl.*
Festum s. Dorothei et Eustathii episc. C. 20. — Kal. I, 173.

11. Barnabas et Bartholomaeus Apostoli. *1. cl.*
Festum Apostolorum Bartholomaei et Barnabae in civitate Cypri. C. 21. — Kal. I, 177; II, 608.

D. M.

14. Methodius pontifex et confessor. *3. cl.*
Kal. I, 182; II, 48.

15. Primum templum sub nomine B. M. V. *1. cl.* — Sallita monachus. *3. cl.*
Primum templum Deiparae. Kal. II, 644.
S. Šallitae, qui pro peste et lue prodest. C. 37. ad 15. Novemb. — S. Šallita, natione Aegyptius, *ex agmine s. Eugenii,* floruit in Perside saeculo 4. Obiit 18. Septemb. juxta Acta, quae nuper vulgavit Bedjan, *Acta martyrum et SS.*, t. 1, p. 424—426. Ecclesia syro-chaldaea honoribus s. Šallitae plures dies per annum consecravit [1]).

17. Manuel et socii martyres. *3. cl.*
Kal. I, 184.

18. Ephraem Doctor et Leontius martyr. *2. cl.*
Leontii martyris ex Tripoli. C. 20. — Kal. I, 184.

19. Judas frater Domini, Apostolus. *1. cl.*
Judae, filii Josephi, fratris Domini, Apostoli ex 12, auctoris epistolae. C. 82; et Apostolorum Thaddaei ex 12 et Thaddaei ex 70. C. 20. — Kal. I, 185; II, 626.

21. Eusebius episc. Samosatenus et martyr. *2. cl.*
Jazdini eremitae et Eusebii Samosat. C. 69. Hieromartyris Eusebii (C. 77), episc. Samosatae. (C. 87). — Kal. I, 186; II, 48 [2]).

24. Nativitas s. Joannis Baptistae. *1. cl.*
Nativitas Joannis B., in qua sol exultat. C. 82. — Kal. I, 187; II, 579.

25. Febronia virgo et martyr. *2. cl.*
S. Febroniae martyris ex Nisibi, urbe Syriae. C. 82. — Kal. I, 190; II, 47, 603. Acta syriaca legito apud Bedjan, t. 5, pp. 573—615.

29. Petrus et Paulus, principes Apostolorum. *1 cl.*
Kal. I, 192—196; II, 644.

30. Apostoli simul. *1. cl.*
Kal. I, 197; II, 587, 619; jctis. animadversionibus nostris in *Zeitschrift* für kath. Theologie 1887, p. 747—748.

---

[1]) D. 2. Maji commemoratio fit „s. Achudemas, quem puerum s. Šallita resuscitavit a mortuis". Kal. II. 512

[2]) In Cod. syr. vat. N. 37. d 1. Oct. consignatur memoria „s. Platonis, archiep. mart., qui paralyticus fuerat et ab Eusebio episcopo Samosatae sanatus est".

D. M.

Tamuz. Julius.

1. Cosmas et Damianus. *1. cl.*

Qui in Horologio Melchitarum arabice vocantur *Elladsî lam jakûn jagbul ag'rat* (qui non accipiebant mercedem), in codicibus karšunicis vaticanis *argenti contemptores et osores* dicuntur. Kal. I, pp. 303 et 312. Caeterum de 13 medicis anargyris, inter quos Cosmas et Damianus eminent, satis est disputatum in Kalendar. (31. Jan., 1. Jul., 17. Oct., 1. Nov.) et in Zeitschrift für kath. Theologie (1894, p. 732—742). Iis ex codicibus syriacis (69, 77, 78) id unum hic adjecisse suffecerit, quod ad 1. Nov. etiam „sterilibus filios impetrasse" dicantur.

2. Bišoi monachus. *2. cl.*

Bišoi ipse est s. Pšoi, celeberrimus s. Pachomii discipulus, quem eodem hoc die cum magistro suo memoratum legimus in Kalendar. coptico, t. 2, p. 644. De eo videatur Asseman., *B. o.* I, p. 41, et Palladius, *Histor. Laus.* c. 15. Acta syriaca edidit Bedjan, t. 3, pp. 572—620.

3. Thomas Apostolus. *1. cl.*

„Translatio corporis s. Thomae Apostoli", quam a Syris et Maronitis hoc die celebrari ex eorundem Kalendario cognovimus (I, 432), etiam a Latinis recolitur, brevi hac annuntiatione in Martyrologio rom. signata: „Edessae in Mesopotamia translatio s. Thomae Apostoli ex India."

5. Discipuli 72. *2. cl.*

Kal. I, 52; II, 606.

8. Procopius martyr. *3. cl.*

Acta syriaca latine reddita exhibet ad h. d. Assemani, *Kal. Eccl. univ.*, t. 6, p. 467—468. — Kal. I, 205.

14. Justus martyr. *3. cl.*

Kal. I, 211.

15. Cyriacus puer cum matre Julitta, martyres. *1. cl.*

Acta sincera nunc habes in Analectis Bollandianis, t. 1, p. 192—207. — Kal. I, 211—212; II, 567. Syriaca exhibet Bedjan, t. 3, pp. 254—283.

17. Marina martyr. *3. cl.*

Kal. I, 217; ubi et acta syriaca indicavimus II, 603.

20. Elias propheta. *2. cl.*

Ascensio s. Eliae prophetae in coelum, et s. Barlabae. C. 21. — Kal. I, 218; II, 668.

D. M.

21. Simeon Salos, confessor. *2. cl.*

S. Simeonis *Salos* et Joannis, fratris ejus. C. 69. — S. Joannis et Simeonis, qui vocatur *Zaloz.* C. 77. — Sanctorum Simeonis *Zalos* et Joannis, fratris ejus. C. 21. — S. Joannis et Simeonis, qui fuit stultus propter Christum. C. 20. — Assemanii judicio *Salos* vox est syriaca, quae sonat *simplex, stultus.* (Kal. I, 218—219.) — Rmus. David in epistola ad nos data scripsit: *Simeon Salos,* in impresso Finquit autem posuit: *Simeon iammaja,* ea in re secutus, ut videtur, antiquum interpretem, qui vocabulum *Salos* in suspicionem graecitatis adduxit; *σάλος* enim, lat. *salum,* praeter alia etiam oram maris, mare, jactationem ejus, qui navigat, significat. Unde *Simeon iammaja* fere *Simeon nauta* reddi posset.

22. Maria Magdalena. *2. cl.* — Lucius *(Nuhra)*, martyr in Perside. *3. cl.*

M. Magdal. Kal. I, 220; II, 611—612. — Ut in Kalendar. arabico (supra p. 432), ita et in codicibus syriacis Lucius noster *Nuhra* sive *Nuhrana* dicitur ab arab. *nuhra* = lux.

In antiquis cod. syr. vat. die 25. praeter alias memorias signatur „Coronatio Ebedmessiae, quem pater Levi interfecit, deinde ad fidem conversus est, a. 701, *pro sterilibus feminis*". Ipse est sanctus adolescens Abdu'l Masich, cujus Acta syriaca cum interpretatione latina nuper vulgavit Jos. Corluy in *Analect. Bolland.,* t. 5, pp. 5—52, ubi et rationes adjectae *σημειώσεως pro sterilibus feminis* declaratas invenies. In Actis dicitur „coronatus die parasceves, 27 mensis Thamuz, an. 701 Alexandri", quod omnino in ipsum illum annum (cyclum solarem 6 cum lit. dom. G habentem) convenit. Est autem annus Christi 389.

26. Hanna mater B. M. V. *2. cl.*

Kal. I, 222; II, 594, 600.

27. Panteleemon martyr. *2. cl.*

Coronatio gloriosi martyris Pantaleonis medici. C. 21. — Kal. I, 225—226; II. 606, 647.

29. Martha soror Lazari. *2. cl.* — Callinicus martyr. *3. cl.*

Martha. Kal. I, 396; II, 611—612.

Callinic. Kal. I, 226; II, 596.

Ab. Augustus.

1. Šammuni et filii et Eleazar eorum magister, martyres. *1. cl.*

Festum Machabaeorum Samonae (Š'mũni) et septem filiorum ejus, et Eleazari magistri eorum. Cc. 20 et 69. — Kal. I, 230, 405; II, 593.

D. M.

2. Inventio Stephani protomartyris. *2. cl*

Inventio ossium s. Stephani. C. 20. — Kal. I, 231.

6. Transfiguratio D. N. in monte Thabor. *1. cl.*

Festum tabernaculorum. Apparitio gloriae D. N. super montem Thabor. C. 68. — Kal. I, 235; II, 562, 588.

7. Domitius martyr. *2. cl.*

Kal. I, 238. Act. SS. Julii t. 2, pp. 225—226.

9. Mathias Apostolus. *1. cl.*

Mathiae Apostoli et aliorum, qui a Secundo judice caesi sunt. C. 20. — Kal. I, 243; II, 608.

10. Laurentius martyr. Romae. *3. cl.*

Laurentii principis eorum, qui martyrium passi sunt. C. 69. — Kal. I, 243; II, 125.

11. Euplus et Susanna martyres. *2. cl.*

Eupl. Kal. I, 244.

Susanna digno encomio ornatur in Martyrol. rom. ad h. d.

14. Habibus martyr. *3. cl.*

S. Abibi oculorum sanatoris. C. 69. — Kal. I, 328; II, 618. — Eum an. 317 martyrii palma coronatum putat Asseman. *B. o.*, I, p. 16—17.

15. B. M. V. Assumptio. *1. cl.*

Migratio Deiparae. C. 69. — In cod. karšunico 19 adscriptum legitur *pro vitibus*. — Kal. I, 245—250.

16. Saba martyr. *3. cl.*

Coronatio s. Sabae martyris, qui per integros 490 dies excruciatus est. C. 68.

Commemoratio terrae motus. C. 21. — Kal. I, 145.

18. Florus et Laurus ejus frater, martyres. *3. cl.*

Festum martyrum fratrum gemellorum Flori et Lauri. C. 20. — Kal. I, 251.

19. Andreas dux exercitus martyr. *3. cl.*

Coronatio martyrum militum Andreae et sociorum 2995. C. 20. — Kal. I, 252; II, 596.

20. Labbaeus apostolus. *1. cl.*

Labbaeus, qui et Thaddaeus. C. 69; ex 72 discipulis, apostolus Armeniae. Kal. I, 253; II, 589, 590.

21. Bassa martyr. *3. cl.*

Kal. I, 255.

D. M.

23. Eustathius episc. Antiochiae. 2. *cl.*
Kal. I, 109; II, 48.

25. Titus, discipulus s. Pauli. 2. *cl.*
Kal. I, 256, 260; II, 609.

28. Augustinus episc. Hippon. et Doctor. 2. *cl.* — Moyses Aethiops, monachus. 2. *cl.*
August. Kal. I, 261.
Moysis Aethiopis, qui mortuos spoliabat. C. 69. — Kal. I, 261; II, 44.

29. Decollatio s. Joannis Baptistae. 1. *cl.*
Kal. I, 261—262, II, 599.

Elul. September.

1. Simeon stylita. 1. *cl.*
Festum Simeonis, stylitarum principis. C. 20. — Kal. I, 225, 267; II, 45, 110. — Cfr. Delehaye, *Les stylites*, p. 192—200.

2. Anthimus martyr. 3. *cl.* — Aitilaha et Ekebšima martyres. 3. *cl.*
Martyrium Anthimi, Nicomediae episcopi. C. 19. — Kal. I, 270; II, 603.
Aitil. I, 267; II, 616. Acepsimas, episcopus et Aithala, diaconus, Assemani, *B. o.* t. 1, p. 194, sententia passi sunt a. 370.

5. Šarbel martyr. 3. *cl.*
Šarbelii sacerdotis C. 69. — Šarbelii et Babaeae sororis ejus. C. 37. — Sanctum Šarbelium cum sorore sua hoc die sepultum credunt Syri.

7. Sozon martyr. 3. *cl.*
Profestum Deiparae et Sozontis martyris. C. 77. — Kal. I, 271.

8. Nativitas B. M. V. 1. *cl.*
Nativitas Deiparae, et Joakim et Annae, parentum ejus. C. 37. — Kal. I, 272; II, 600, 640.

9. Joakim *(2. cl.)* et Hanna *(1. cl.)*, parentes B. M. V. [1]).
Kal. I, 272; II, 497, 594, 600.

---

[1]) Respondet Laudibus (Qullāsa) Joakim et Anna.

D. M.

14. Exaltatio s. Crucis. *1. cl.*

Exaltatio Crucis et obitus s. Joannis Chrysostomi C. 21. — Kal. I, 274; II, 601, 640.

15. Niceta martyr. *3. cl.*

Nicetae martyris, et Deiparae, quae mortuum suscitavit. C. 37. — Kal. I, 277.

16. Euphemia martyr. *2. cl.*

Coronatio s. Euphemiae martyris. C. 77. — Kal. I, 207, 277; II, 591.

18. Mattai confessor et abbas. *3. cl.*

Mattai eremitae. C. 37. — Eum s. Behnami fuisse magistrum, supra p. 465 didicimus ex Actis ad 10. Decemb.[1]).

22. Phoca martyr Antiochiae. *3. cl.*

Coronatio Phocae martyris, quem coluber voce humana allocutus est. C. 37. — Kal. I, 220, 282; II, 606.

23. Annuntiatio conceptionis Joannis Baptistae. *2. cl.*

Kal. I, 282—283.

24. Thecla martyr. *2. cl.*

Theclae protomartyris (C. 77), virginis (C. 69), discipulae s. Pauli (C. 20). — Kal. I, 283; II, 606.

25. Euphrosyna virgo. *3. cl.*

Euphrosynae, quae et Smaragdus, filia Paphnutii. C. 37. — Kal. I, 284; II, 47. Commemoratio terrae motus CPoli. C. 21.

28. Chariton, confessor. *3. cl.*

Charitonis hierosolymitani, ex Iconio urbe, qui obiit Hierosolymis. C. 20. — Kal. I, 288; II, 43.

29. Cyriacus monachus vocatus Ruhana. *2. cl.*

S. Cyriaci, *discipuli s. Charitonis.* C. 37. — Kal. I, 288; II, 43. — S. Cyriacus, cognomento *Ruhana,* h. e., Spiritualis, discipulus s. Euthymi Magni eo sensu hic dicitur discipulus s. Charitonis, quod in monasteriis ab eo erectis habitaverit et in ejus spelunca sit sepultus.

---

[1]) Sanctum hunc ascetam, in fastis ecclesiae Alexandrinae per Ludolfum editis annuntiatum, fere timidi memorant Bollandiani in praetermissis ad h. d., quod religione tangantur, hominem inter sanctos referre, de quo nescire se fatentur, an catholicus fuerit?

D. M.

30. Hieronymus presbyter et Doctor. 2. *cl.* — Gregorius Illuminator Armenorum pontifex. 2. *cl.*

Gregorii catholici, qui Armenos convertit, postquam duros cruciatus ab eis sustinuit. C. 37. — S. Gregorii Armeniae majoris, et monialium, quae cum eo passae sunt. C. 20. — Kal. I, 290; II, 560—563, 586.

De Paschaliis syriacis.

Quum utrique ecclesiae Syrorum, Antiochensium et Maronitarum, eaedem tabulae paschales sint communes, *Πασχάλιον* syriacum hoc loco, medium inter utriusque nationis Kalendarium, describimus, quo et juvenes academici linguarum orientalium cupidi habeant, in quo utiliter exerceantur.

Legitur autem Paschalion hoc modo:

Titulus. Lûchâ d'ʿîdâ daqejâmta, *Tabula festi Paschalis.*
Columna 1. Šattâ mešîchâjta, *Anni Christi.*
Columna 2. Rîš çaumâ, *Initium jejunii.*
Columna 3. Qejâmtâ, *Resurrectio.*
Columna 4. Sulâqâ, *Ascensio.*
Columna 5. Pentiqostî, *Pentecostes.*
Columna 6. Pagrê d'mârân, *Corpus Domini.*

In columnis ad perpendiculum directis exhibentur indicata festa mobilia ab anno 1881 ad an. 1906, ex Kalendarii Gregoriani lege determinata. Menses signantur nominibus arabicis, proindeque *initium jejunii (Dominica Quinquagesimae* Latinorum) occurrit Februario (Šebet) vel Martio (Adâr), *Pascha Domini* Martio vel Aprili (Nîsân), *Ascensio* cum solemniis *Pentecostes* et *Corporis Domini* Majo (Ijâr) vel Junio (Haziran).

ܫܢܝ̈ܐ ܕܝܘܢܝ̈ܐ	ܡܥܠܬ ܨܘܡܐ	ܩܝܡܬܐ	ܣܘܠܩܐ	ܦܢܛܩܘܣܛܐ	ܨܘܡܐ ܕܫܠܝ̈ܚܐ
ܐ̇ܩܦܐ	ܟܙ . ܫܒܛ	ܝܙ . ܢܝܣܢ	ܟܘ . ܐܝܪ	ܗ . ܚܙܝܪܢ	ܝܘ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܒ	ܝܛ . ܫܒܛ	ܛ . ܢܝܣܢ	ܝܚ . ܐܝܪ	ܟܚ . ܐܝܪ	ܚ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܓ	ܕ . ܫܒܛ	ܟܗ . ܐܕܪ	ܓ . ܐܝܪ	ܝܓ . ܐܝܪ	ܟܕ . ܐܝܪ
ܐ̇ܩܦܕ	ܟܕ . ܫܒܛ	ܝܓ . ܢܝܣܢ	ܟܒ . ܐܝܪ	ܐ . ܚܙܝܪܢ	ܝܒ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܗ	ܝܗ . ܫܒܛ	ܗ . ܢܝܣܢ	ܝܕ . ܐܝܪ	ܟܕ . ܐܝܪ	ܕ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܘ	ܙ . ܐܕܪ	ܟܗ . ܢܝܣܢ	ܓ . ܚܙܝܪܢ	ܝܓ . ܚܙܝܪܢ	ܟܕ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܙ	ܟ . ܫܒܛ	ܝ . ܢܝܣܢ	ܝܛ . ܐܝܪ	ܟܛ . ܐܝܪ	ܛ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܦܚ	ܝܒ . ܫܒܛ	ܐ . ܢܝܣܢ	ܝ . ܐܝܪ	ܟ . ܐܝܪ	ܠܐ . ܐܝܪ
ܐ̇ܩܦܛ	ܓ . ܐܕܪ	ܟܐ . ܢܝܣܢ	ܠ . ܐܝܪ	ܛ . ܚܙܝܪܢ	ܟ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨ	ܝܘ . ܫܒܛ	ܘ . ܢܝܣܢ	ܝܗ . ܐܝܪ	ܟܗ . ܐܝܪ	ܗ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܐ	ܚ . ܫܒܛ	ܟܛ . ܐܕܪ	ܙ . ܐܝܪ	ܝܙ . ܐܝܪ	ܟܚ . ܐܝܪ
ܐ̇ܩܨܒ	ܟܙ . ܫܒܛ	ܝܙ . ܢܝܣܢ	ܟܘ . ܐܝܪ	ܗ . ܚܙܝܪܢ	ܝܘ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܓ	ܝܒ . ܫܒܛ	ܒ . ܢܝܣܢ	ܝܐ . ܐܝܪ	ܟܐ . ܐܝܪ	ܐ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܕ	ܕ . ܫܒܛ	ܟܗ . ܐܕܪ	ܓ . ܐܝܪ	ܝܓ . ܐܝܪ	ܟܕ . ܐܝܪ
ܐ̇ܩܨܗ	ܟܕ . ܫܒܛ	ܝܕ . ܢܝܣܢ	ܟܓ . ܐܝܪ	ܒ . ܚܙܝܪܢ	ܝܓ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܘ	ܝܘ . ܫܒܛ	ܗ . ܢܝܣܢ	ܝܕ . ܐܝܪ	ܟܕ . ܐܝܪ	ܕ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܙ	ܟܚ . ܫܒܛ	ܝܚ . ܢܝܣܢ	ܟܙ . ܐܝܪ	ܘ . ܚܙܝܪܢ	ܝܙ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܚ	ܟ . ܫܒܛ	ܝ . ܢܝܣܢ	ܝܛ . ܐܝܪ	ܟܛ . ܐܝܪ	ܛ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܩܨܛ	ܝܒ . ܫܒܛ	ܒ . ܢܝܣܢ	ܝܐ . ܐܝܪ	ܟܐ . ܐܝܪ	ܐ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪ	ܟܗ . ܫܒܛ	ܝܗ . ܢܝܣܢ	ܟܕ . ܐܝܪ	ܓ . ܚܙܝܪܢ	ܝܕ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪܐ	ܝܙ . ܫܒܛ	ܙ . ܢܝܣܢ	ܝܘ . ܐܝܪ	ܟܘ . ܐܝܪ	ܘ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪܒ	ܛ . ܫܒܛ	ܠ . ܐܕܪ	ܚ . ܐܝܪ	ܝܚ . ܐܝܪ	ܟܛ . ܐܝܪ
ܐ̇ܪܓ	ܟܒ . ܫܒܛ	ܝܒ . ܢܝܣܢ	ܟܐ . ܐܝܪ	ܠܐ . ܐܝܪ	ܝܐ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪܕ	ܝܕ . ܫܒܛ	ܓ . ܢܝܣܢ	ܝܒ . ܐܝܪ	ܟܒ . ܐܝܪ	ܒ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪܗ	ܗ . ܐܕܪ	ܟܓ . ܢܝܣܢ	ܐ . ܚܙܝܪܢ	ܝܐ . ܚܙܝܪܢ	ܟܒ . ܚܙܝܪܢ
ܐ̇ܪܘ	ܟܗ . ܫܒܛ	ܝܗ . ܢܝܣܢ	ܟܕ . ܐܝܪ	ܓ . ܚܙܝܪܢ	ܝܕ . ܚܙܝܪܢ

II.
KALENDARIUM RITUS SYRO-MARONITICI.

Catalogus festorum

ex

Officio feriali juxta ritum ecclesiae Syrorum Maronitarum [1])

exscriptus [2]).

Festivitates hujus Kalendarii non esse Maronitis peculiares et proprias, sed aliis ritibus etiam, graeco praesertim et latino, communes, res ipsa loquitur [3]). Pleraeque sane in praesenti opere jam sunt descriptae; reliquae in Martyrologio romano occurrunt. Atque hinc est, cur eas, necessariam brevitatem ex instituto nostro secuturi, hoc loco inexplicatas sistamus: ex *Analect. Bolland.* paucos quosdam fontes hucusque intactos pro exercitiis academicis attulisse contenti.

OCTOBER. Initium anni Syrorum.

1. Ananias ex 72 discipulis.
2. Cyprianus et Justina.
3. Dionysius episc. [4])
6. Thomas Apost.
7. Sergius et Bacchus.
9. Jacobus, filius Alphaei, Ap.
11. Philippus diacon.
16. Longinus centurio.
18. Lucas Ev. et Thaddaeus discip.
20. Artemius m.
21. Hilarion, pater monachor.
22. Abercius episc. [5])
23. Jacobus frater Domini.
24. Arethas et socii.
26. Demetrius m.
29. Anastasia m. et Abraham monach.
30. Zenobius et soror ejus Zenobia.

---

[1]) Edit. Romae an. 1830. Solent Syrorum Kalendaria, libris liturgicis praefixa, scriptura karšunica exhiberi, h. e., arabico sermone composita literis syriacis exarari.

[2]) Authenticus hic πίναξ seu *Phinqit* muneris est clmi. Dris. Bickell, veteris atque officiosi amici, qui festorum indicem e romano suo codice describendi laborem ultro subire voluit.

[3]) De indole Kalendarii Syrorum Maronitarum videri poterit Rmus. David, op. cit. pp. 103—104.

[4]) Anal. Boll. t. 10, pp 63—64.

[5]) L. c. p. 65—66.

NOVEMBER.

1. Omnes SS. Cosmas et Damian.
2. Acindynus et socii. [1]
5. Galaction et Episteme.
8. Michael archang.
10. Maura m.
11. Menna et Victor mart. et Martin. episc.
12. Joannes Eleemosyn.
13. Joannes Chrysostom.
14. Philippus Apost. [2]
15. Gurias, Samonas et Habib.
16. Matthaeus Ev.
17. Gregorius Thaumaturg.
18. Romanus mart.
19. Barlaam mart.
20. Isaac Syrus.
21. Praesentatio B. M. V. in templo.
22. Caecilia V. M.
23. Clemens Rom.
24. Amphilochius episc.
25. Catharina v.
26. Petrus alexand.
27. Jacobus Intercisus.
30. Andreas Apost.

DECEMBER.

1. Commemoratio quatuor majorum et duodecim minorum patrum [3].
4. Barbara virg
5. Initium jejunii Nativitatis et Pater Saba.
6. Nicolaus episc.
7. Ambrosius episc.
9. Conceptio B. M. V.
12. Spiridion episc.
13. Lucia m.
17. Daniel proph. et Ananias, Azarias et Misael.
20. Ignatius antioch.
25. Nativitas D. N. J. Ch.
26. Commemoratio Dnae. N. Mariae. Stephanus protomart.
29. Innocentes in Bethlehem. Dominica post Nativit. Dni. Abraham, Isaac, Jacob, David et Joseph, sponsus B. M. V.

JANUAR. Initium anni Christianorum.

1. Circumcisio D. N. J. Chr. et Basilius et Gregorius.
2. Silvester Papa.
4. Commemoratio 70 discipulorum.
5. Syncletica monialis.
6. Baptismus D. N. J. Ch.

[1]) Anal. Boll. t. 11, pp. 473—474.
[2]) Ibid. t. 10, p. 478.
[3]) Cfr. Kal. II, 609.

7. Commemor. Joannis Bapt.
10. Gregor. Nyssen.
11. Theodosius archimandrita.
13. Jacobus Nisibenus.
15. Paulus protoreclusus.
16. Comm. Petri Ap. quando liberatus est e carcere.
17. Antonius pater monachorum.
18. Athanasius et Cyrillus.
19. Macarius Aegypt.
21. Agnes virgo [1]).
22. Anastasius monach.
23. Clemens Ancyran. cum socio.
24. Timotheus ex 72 discipulis.
25. Commemor. Conversionis Pauli Apost.
26. Polycarpus episc.
27. Com. Joannis Chrysostomi.
28. Ephraem Syr.
29. Šarbîl et soror ejus Barbaja et Barsamja episc.
31. Cyrus et Joannes.

FEBRUAR.

2. Ingressus Dni. N. in templum.
3. Simeon senex et Anna prophetissa.
5. Agatha mart.
8. Theodorus mart.
9. Maro monach.
11. Blasius episc.
12. Meletius Antioch.
21. Eustathius Antioch.
22. Cathedra Petri Antioch. et commemor. patriarcharum antiochenorum.
23. Thomas monach.
26. Porphyrius episc.
27. Thallelaeus mon.

MARTIUS.

1. Eudocia mart.
7. Septem pueri Ephesi.
9. Quadraginta martyres.
11. Sophronius hierosol.
12. Gregorius Papa.
13. Euphrasia virgo,
15. Abbas Amon.
17. Mar Rîšâ seu Alexius
18. Cyrillus hierosolym.
19. Joseph Sponsus B. M. V. [2])
21. Benedictus.
25. Annuntiatio B. M. V.
26. Gabriel archang.
29. Cyrillus diac. mart.

APRILIS.

1. Maria Aegyptiaca.
2. Theodosia mart.
7. Aphraates monach.
13. Martinus Papa.

[1]) Anal. Boll. t. 10, p. 367.
[2]) L. c. p. 375.

17. Simeon episc. Persa cum sociis martyribus.
23. Georgius mart.
25. Marcus Ev.
27. Simeon episc. hierosol.
28. Theodora et Didymus.
30. Jacobus Apost. filius Zebedaei.

MAJUS.

1. Jeremias prophet.
2. Athanasius Alexandr.
3. Inventio Crucis in Jerusalem.[1]
4. Timotheus et Maura.
5. Pelagia mart.
6. Job Justus.
8. Joannes Ev.
9. Isajas propheta.
10. Simon Apost.
12. Epiphanius episc. Cypri.
14. Abbas Pachomius.
15. Commemoratio Dnae. N. Mariae.
16. Abda episc. Persa cum soc.
20. Thallelaeus m. cum sociis.
21. Helena mater Constantini.
24. Simeon Stylita.

JUNIUS.

1. Justinus mart.
2. Commem. quatuor Evang.
5. Dorotheus episc.
9. Julianus monach.
11. Bartholomaeus et Barnabas Apost.
12. Onuphrius Aegypt.
13. Aquilina mart.
14. Elisaeus proph.
15. Initium jejunii Apostolor.
18. Leontius mart.
19. Judas frater Jacobi.
22. Eusebius Samosatenus.
24. Nativitas Joannis Bapt.[2]
25. Commemor. sacerdotis Zachariae et Elisabeth. — Febronia Nisib.
27. Samson Xenodochus.
29. Petrus et Paulus Apost.
30. Commemoratio duodecim Apostolorum.

JULII.

1. Cosmas et Damian.
2. Commem. Dnae. N. Mariae.
3. Commem. Thomae Apost.
8. Procopius mart.
15. Quiricus et mater ejus Julitta.
17. Marina mart.
19. Arsenius abbas.
20. Elias propheta.
21. Ezechiel propheta.
22. Maria Magdal.
24. Christina mart.

[1]) Anal. Boll. t. 11, p. 470 jcto. t. 10, p. 367.
[2]) Ibid. t. 12, pp. 450—451.

25. Anna mater B. M. V.[1])
27. Panteleemon mart.
28. Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, diaconi.
29. Martha soror Mariae Magdalenae.
31. Monachi martyres monasterii Maronis[2]).

AUGUSTUS.

1. Initium jejunii B. M. V. et Commemoratio Machabaeorum martyrum.
2. Marana et Cyra.
6. Manifestatio D. N. J. Ch.
7. Dometius monach. m.
9. Mathias Apost.
10. Laurentius martyr.
15. Assumptio B. M. V.
20. Samuel propheta.
21. Thaddaeus seu Lebbaeus Apost.
25. Commemor. Bartholomaei Apost. et Titi discipuli.
27. Abbas Poimen.
28. Augustin. episc. et Abbas Moyses Aethiops.
29. Decollatio Joannis Bapt.
31. Commemoratio B. M. V. in novo anno coptico.

SEPTEMBER. Initium anni Graecorum.

1. Josue filius Nun. — Simeon Stylita.
2. Mamas martyr.
3. Babylas antioch.
4. Moyses proph. cum fratre Aaron.
8. Nativitas B. M. V.
9. Commemoratio Joachim et Annae.
11. Theodora alexandrina.
13. Cornelius centurio.
14. Festum s. Crucis.
15. Commemoratio conciliorum oecumenicorum[3]).
16. Euphemia mart.
17. Sophia et filiae ejus.
20. Eustathius mart. cum soc.
21. Jonas propheta.
23. Annuntiatio Nativit. Joan. B. Zachariae facta.
24. Thecla protomartyr.
25. Euphrosyna virgo.
26. *Μετάστασις* Joannis Ev.

[1]) Anal. Boll. t. 13, pp. 49—51.

[2]) In Kalendario supra descripto p. 432 dicuntur *discipuli s. Maronis.*

[3]) De rationibus propriis hujus festi apud Maronitas videatur Rmus. David l. c.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

Quod bene vertat, commentarium *de festis immobilibus*, qualiscunque est, auxiliato D. O. M., ad finem usque deduximus. Si quorundam doctorum exspectationem non explevimus, quod pauca haec nostra nimis exiliter ac jejune prolata censeant, idcirco tamen poenitendos labores nos impendisse non existimabimus: semper eadem illa, quam praefando jam tetigimus [1], canonica usi excusatione: *Veterani rudeque donati, si ad eorum manus pervenerint, etiam si rejiciant, nihil nos offendent, ut quae non sua ipsorum causa sic in unum fuerint congesta,* quae antea dispersa vagabantur. *Neque tamen caeteris invideant, qui eo disciplinae nondum pervenerunt, quo illis ascendere concessum est. Nos solum tyronum laboribus levandis, quantum per facultatem licuit, incubuimus* [2]. Nemo igitur aegre feret, si pro iisdem juvenibus clericis, qui opusculum nostrum comite patientia hucusque legere sustinuerint, breve quoddam *Parergon* addamus, ex scriniis canonistarum depromptum, quo s. Theodori Studitae textus classicus, supra allatus p. 322, ad principia juris ecclesiastici publici paucis exactus, planius intelligatur.

I.

Περὶ τοῦ πεντακορύφου κράτους τῆς ἐκκλησίας.	**De quinivertice potestate Ecclesiae.**

1. Jure divino constitutus est unus Episcopatus et — super unum hunc Episcopatum — unus Primatus Petri.

---

[1]) Pag. XXVI.

[2]) Ita Corpus juris canonici gl. *in Antilogia finali contra maledicos.*

2. Jure divino omnes episcopi pares sunt potestate ordinis.

3. Jure divino non prohibente, imo et ob Ecclesiae utilitatem suadente et ob ejusdem ordinem unitatemque omnino exigente singulorum episcoporum jurisdictioni certi quidam positi sunt fines, immediate quidem jure humano, mediate vero jure divino.

Magna dispositione provisum est, — verba sunt s. Leonis M. *epist. ad Anastas. Thessalonicen.* —, *ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia* (metropolitae), *et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem* (patriarchae), *per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret et nihil a suo capite dissideret* [1]).

Hinc factum est,

4. Ut jure ecclesiastico humano varii jurisdictionis gradus (episcoporum, metropolitarum, patriarcharum) constituerentur in ipso ordine episcoporum. Sed unde haec potestatis distinctio proprie repetenda? Ubi ejus radix quaerenda?

5. Quum nemo ex episcopis *vi sui episcopatus,* h. e., jure divino in coëpiscopos ullam habeat potestatem, stabilis praerogativa potestatis alicujus episcopi (metropolitae, vel patriarchae) ejusque successoris in caeteros (suae provinciae vel sui patriarchatus) episcopos eorumque successores (vi episcopatus metropolitae et patriarchae omnino pares) repeti aliunde nequit, quam ex Primatu Petri, h. e., ex summa potestate illius, qui ab ipso Christo Deo constitutus est princeps totius Ecclesiae, Primatu in omnes episcopos pari ratione ornatus.

6. Haec praestantia in certos quosdam episcopos (metropolitas, patriarchas) quamvis e primatu esset derivata, *juris ordinarii* naturam tamen induit, manente nihilominus semper integra potestatis plenitudine penes ipsum Ecclesiae principem.

7. Ergo ex Primatu ipsius Petri ejusque in Romano episcopatu successoris varii jurisdictionis gradus (metropolitarum, patriarcharum) fluunt.

Ob hanc potestatis particulam e Primatu Petri in veteres patriarchas derivatam *Petri Sedes una* vocabatur *et trina:* ad quam trium sedium unitatem referuntur, quae s. Gregorius M. scribit

[1]) Epist. 14, apud Migne, Patr. lat. tom. 54, p. 676.

Eulogio Antiocheno, lib. 7, ep. 40: *Quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit,* quae in tribus locis unius est. *Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et praesentem vitam finire dignatus est* (Romanam). *Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam* (Marcum), *discipulum, misit* (Alexandrinam). *Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus*[1], *sedit* (Antiochenam). *Quum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi praesident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo*[2]).

Uni ergo trinaeque Petri Sedi tres patriarchae *auctoritate divina* praesidere dicebantur; Alexandrinus et Antiochenus quidem ob potestatis particulam e divino Primatu Petri in ipsos derivatam, Romanus vero ob hujus Primatus plenitudinem sibi immediate a Deo collatam: quapropter etiam illorum cathedrae Romani Pontificis throni censebantur, ut ex aliis s. Gregorii literis ad eundem Eulogium (lib. 13, ep. 41) patet, ubi ait: *Sanctissima Sedes vestra, quae nostra est*[3]).

Hinc intelligitur, quomodo metropolitae et patriarchae in jure dicantur *vicem apostolicam tenere* (s. Isid. c. 1. Dist. 21), scilicet in episcopatibus suae provinciae vel sui patriarchatus; etenim per hanc potestatis praerogativam e supremo Ecclesiae Primatu in eos manantem ipse Ecclesiae Primatus (in Romano Pontifice divina ordinatione residens) singulis episcopatibus, etiam in longinquis regionibus positis, quasi propius accessit ac veluti praesentior evasit. (S. Leo l. c.).

---

[1]) Patriarcha Antiochenus in conc. Chalcedonensi, Actione 7, *θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως* thronum esse s. Petri gloriatur. Et s. Joannes Chrysostomus, civis ipse Antiochenus, Antiocheni episcopatus *(τῆς ἐπισκοπῆς ταύτης)* privilegia ex sede Petri inibi collocata colligit, *homilia in s. Ignatium,* n. 4:

Πολὺς ἦν τῆς πόλεως ταύτης τῷ θεῷ λόγος, ὡς καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐδήλωσε· τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάτην ἁπάσης Πέτρον, ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον ἐνδιατρῖψαι ἐκέλευσεν· οὕτως αὐτῷ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἡ πόλις ἀντίῤῥοπος ἡ ἡμετέρα.

Praecipua Deo hujusce civitatis cura fuit, id quod et re ipsa declaravit: siquidem quem toti orbi terrarum praefecit, Petrum, cui claves coelorum dedit, cujus arbitrio et potestati cuncta permisit, hunc longo tempore hic jussit commorari; ita nempe ipsi nostra civitas orbi terrarum par fere videbatur. (Apud Migne, Patr. gr. tom. 50, p. 591).

[2]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 77, p. 899.

[3]) Apud Migne, Patr. lat. tom. 77, p. 1290.

8. Quemadmodum ex suprema sancti Petri ejusque in Romana Sede successoris auctoritate venit, ut patriarchae Alexandrinus et Antiochenus caeteris Orientis episcopis essent imperio superiores: ita etiam ex divino ejusdem Romani Pontificis Primatu jura patriarchica fluxerunt, quae postea CPolitano [1]) ac demum etiam patriarchae Hierosolymitano [2]) tributa fuerunt: sicque tempore s. Theodori Studitae numerabantur *πέντε πατριαρχικοὶ θρόνοι, quinque patriarchales sedes* [3]), et vere erat *πενταχόρυφον κράτος τῆς ἐκκλησίας, quinivertex potestas Ecclesiae,* ita tamen, ut Sedes Romana *κυρίως* maneret *ἡ κορυφὴ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, vertex ecclesiarum Dei, ὁ κορυφιακὸς θρόνος, supremus verticalis thronus, per quem omnes invicem uniuntur,* ut idem s. auctor scribit l. c.

Romani Pontificis Primatum fontem esse atque originem, unde varii hi ac multiplices Antistitum ordines exorti sunt, Pius PP. VI. in Brevi de Nuntiaturis per exclusionem, ut ajunt, docet archiepiscopos Germaniae, hac usus argumentatione c. 9. sect. 1, nn. 8—9:

Unde graduum distinctio, vi cujus ab Ecclesiae primordiis factum est, ut unus episcopus pluribus aliis quocunque tandem nomine praesideret?

Non a jure divino; quippe ordo Episcopatus unus est et par in omnibus. Non ab universali concilio; quippe longo jam antea invaluerat ea distinctio, quam de cogendo universali concilio cogitaverunt. Non a provincialibus synodis; quippe provinciarum distinctionem antecedere debuit ipsa graduum distinctio, qua unus in definita quadam regione caeteris ejusdem provinciae episcopis praeesset.

Non ex pacto convento inter episcopos; nam nec minuere poterant aut alteri subjicere auctoritatem sibi divinitus tributam

---

[1]) CPolitanae urbis episcopo dignitatem patriarchae noluerunt initio tribuere Romani Pontifices, quod esset contra Nicaenum canonem 6; sed postea moti precibus imperatorum ratam habuerunt.

[2]) Etiam metropolitam Serbiae honorifico patriarchae titulo recentiori aetate insignitum fuisse, vidimus supra p. 451.

[3]) Nugantur auctores schismatici graeci, sive dum necessitatem quinque thronorum patriarchalium ex quinque sensibus, ad perfectum Christi corpus constituendum requisitis, deducunt (Theodor. Balsam. *Meditat.* apud Migne, Patr. gr. tom. 138, pp. 1015—1016; Nilus Doxopatr. *Notitia thronorum patr.* ibid. tom. 132, pp. 1097—1098), sive dum thronorum ordinem ex serie literarum initialium repetunt, atque inde Romanum *διὰ τοῦ Ρ στοιχείου, propter Alphabeti literam R* (Th. Balsam. l. c.) aliis postponunt.

nec praeter institutum divinum alterius cujusvis auctoritatem amplificare, nec successoribus suis eam legem praescribere.

Sola ergo suprema Petri ejusque successorum auctoritas, quae Apostolorum et episcoporum auctoritati antecellit, quemadmodum aetate nobis proximiore vestras ecclesias (Germaniae metropolitas compellat), ad gradum metropoliticum extulit, ita antiquioribus saeculis patriarchatus et primatias instituit.

9. Quum autem constans et perpetua in Ecclesia sit doctrina, episcopum haeresis aut schismatis labe infectum omni prorsus jurisdictionis potestate privari [1]), hoc casu ea, quae in metropolitas vel patriarchas erat e Primatu potestas derivata, necessario *illuc revertitur, unde discessit,* quemadmodum ait Pius PP. VI. *Const. Caritas* ed. 13. Apr. 1791, § 18: tunc enim rivuli in suum fontem refluunt, et particularium Sedium jura ac privilegia ad matricem rursum redeunt ecclesiam, ex qua primo emanarunt; sicque metropolitica et patriarchalis potestas sursum versus, ad primigeniam suam scaturiginem, ad Petrum ejusque in Primatu successorem, revolvitur.

II.

Περὶ τῶν ἐπισκόπων, τῶν διαδόχων τῶν ἀποστόλων.

De episcopis, Apostolorum successoribus.

1. Delecti a Christo Apostoli duplicem sustinuere personam, Apostolorum et episcoporum; proindeque

2. Facultates praerogativaeque ipsis tributae in duplici differentia ita versantur, ut aliae sint Apostolatus propriae ac cum Apostolorum personis exstinguendae (cujusmodi sunt inspiratio in scribendo, amplissima in totum orbem potestas), aliae vero propter ordinem atque indelebilem characterem episcopalem cum successoribus episcopis communicandae;

3. Episcopi non sunt Apostolorum in Apostolatu successores, sed in episcopatu tantum; licet autem amplissima illa

[1]) Huc praeter alia facit longior s. Cypriani disputatio in *epist. 55. ad Antonianum,* quam sic concludit n. 24: Qui ergo nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, et se ab Ecclesiae vinculo atque a sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem. (Apud Migne, Patr. lat. tom. 3, p. 816; apud Hartel (ep. 55), Corpus scriptorum eccles. vol. 3, part. 1, p. 643).

in totum orbem potestate caeterisque ordinariis Apostolorum praerogativis careant, sunt tamen veri nominis principes ac magistratus, vero proprieque dicto imperio (divina ordinatione per Romanum Pontificem accepto) ita pollentes, ut provincias suas non tamquam alienas, sed ut proprias regant;

4. Haec successio in principatu ecclesiastico non ita est accipienda, ac si singulis Apostolis singuli successissent episcopi, verum ita intelligenda, ut collegio Apostolorum generatim successisse in regimine Ecclesiae dicatur collegium episcoporum, nemine ex Apostolis, praeter unum Petrum in Romana Sede, proprium determinatumque successorem habente.

5. Tandem Apostolorum episcoporumque collegium sejunctum a capite suo Petro cogitari nunquam potest [1]). *Religionis sacramentum*, inquit s. Leo M. *epist. ad episcopos Viennenses, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus etc. . . ., ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret* [2]).

Merito igitur Justinianus Augustus, quum nonnulli *contradicere judaice atque apostatice essent ausi* [3]), primigeniam hanc omnium episcoporum cum Sede Romana unionem sancte servatam voluit *Cod. l. 1, tit. 1. de summa Trinitate, l. 8, Inter claras:* isque non modo in Occidente *ob verae et apostolicae fidei rectitudinem* maximis laudibus elatus [4]), sed a Graecis imo sacris Kalendariis inscriptus [5]). Inserta

---

[1]) Plura de hoc argumento animadvertimus in *Commentar. in Concil. plenar. Baltimor. tert.*, t. 2, pp. 265—266.

[2]) Epist. 10, apud Migne, Patr. lat. tom. 54, pp. 629 et 1290.

[3]) L. 8. *Inter claras* mox citand., §. 1.

[4]) Cfr. Synod. Roman. sub s. Agathone PP. celebrat., apud Hardouin. Conc. tom. 3, p. 1123, et apud Migne, Patr. lat. tom. 87, p. 1225.

[5]) In Menaeis sic enuntiatur ad d. 2. Augusti: *Τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ γενομένου βασιλέως Ἰουστινιανοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις Ἀποστόλοις;* in aliis Sanctorum catalogis, teste Fabrio in *Prooem. Instit.*, pridie ejus

legi citatae est epistola, quam pientissimus imperator Joanni PP. II. scripsit die 5. Januarii an. 533, eaque omnino digna est, quae hic, ἐν τῷ ἐσχατοκολλίῳ, quod vocant, legatur.

Victor Justinianus, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, Joanni Sanctissimo Archiepiscopo almae Urbis Romae et Patriarchae.

Reddentes honorem Apostolicae Sedi et Vestrae Sanctitati (quod semper nobis in voto et fuit et est) et ut decet patrem honorantes Vestram Beatitudinem, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestrae Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem Vestrae Apostolicae Sedis, et statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet et incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque sacerdotes omnes universi orientalis tractus et subjicere et unire Sedi Vestrae Sanctitatis properavimus. In praesenti ergo, quae commota sunt (quamvis manifesta et indubitata sint et secundum Apostolicae Vestrae Sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita et praedicata) necessarium duximus, ut ad notitiam Vestrae Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam innotescat Vestrae Sanctitati, quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum.

---

diei occurrit, quod nempe Kalendis Augusti imperium auspicatus fuisset; in *Kalendario CP.* saeculi octavi cum uxore sua Theodora ita memoratur die 14. Novemb., postridie ejus obitus: *Ἰουστινιανοῦ καὶ Θεοδώρας τῶν βασιλέων;* ex qua formulae simplicitate Morcelli conjicit, initio hanc commemorationem eo tantum pertinuisse, ut gratiae quotannis Deo agerentur, quod tales Augustos orbi Romano rectores dedisset, quorum opera non modo imperium creverat, sed Ecclesiae quoque splendor, plurimis praesertim magnificentissimisque templis passim excitatis, auctus fuerat.

Conclusio tomi I.

Ut unde exorsus est ibidem terminetur praesens hic tomus, coronidis instar statum ecclesiae orientalis in Austria et Hungaria usumque liturgicum linguae slavicae in locis ritus latini breviter describemus: quod utrumque nos hic praestaturos, in praefatione recepimus pp. XXII—XXIII.

Conspectus ecclesiae orientalis in Austro-Hungaria.

I. Dioeceses catholicae.

A. Ritus graeci.

a) Dioeceses ruthenae.

1. In Galicia.

Sub Metropolita Halicensi:

Archidioecesis Leopoliensis et } canonice unitae.
Dioecesis Cameneciensis }

Monasteria virorum 8.
Monasterium monialium 1.

Sub Episcopo Premisliensi:

Dioecesis Premisliensis, }
" Sanachiensis et } canonice unitae.
" Samboriensis }

Monasteria virorum 6.
Monasterium monialium 1.

Dioecesis Stanislaopolitana recens erecta [1]).

[1]) Eam Augustissimus Imperator Franciscus Josephus I. fundandam decrevit d. 8. Maji 1850; postmodum canonice erecta 1885 primum epi-

Sedi Apostolicae immediate subjecta:

(olim Dioecesis Chelmensis et Beltinensis in Russia) Ecclesia paroch. ad s. Norbertum Cracoviae.

2. In Hungaria:

Dioecesis Eperjesiensis.
Monasteria virorum 2.

Dioecesis Munkacsiensis.
Monasteria virorum 5.

3. In Croatia:

Dioecesis Crisiensis.

b) Dioeceses rumenae.

1. In Transsylvania:

Archidioecesis Fogarasiensis et Albae-Juliensis.
Monasterium virorum 1.

2. In Hungaria:

Dioecesis Armenopolitana seu Szamos-Ujvariensis.
Monasterium virorum 1.

Dioecesis Magno-Varadinensis.

Dioecesis Lugosiensis.

c) Viennae in Austria.

Pro catholicis omnium nationum ritus graeci ibidem degentibus:

Ecclesia paroch. ad s. Barbaram, jurisdictioni Archiepiscopi Leopoliensis rit. gr. subjecta.

d) In variis Hungariae partibus praeterea

Praelaturae titulares rit. gr. modo numerantur 20.

---

scopum accepit Rmum. D. Jul. Pelesz, saepius in cursu Kalendarii laudatum.

B. Ritus armeni.

1. In Galicia et Bukowina:

Archidioecesis Leopoliensis.
Monasterium monialium 1.

2. Viennae in Austria:

Sub proprio archiepiscopo titulari.
Congregatio Mechitharistarum.

3. In Hungaria et Transsylvania:

Fideles ritus armeni subsunt episcopis latinis, locorum ordinariis, exceptis domibus ad Congregationem Mechitharistarum Venetorum spectantibus.

II. Dioeceses et communitates ab Ecclesia catholica separatae.

A. Ritus graeci [1]).

1. In Hungaria, Slavonia et Transsylvania:

a) Dioeceses serbicae.

Archidioecesis et patriarchatus Carlowiciensis.
Monasteria virorum 13.

Dioecesis Bacskaënsis.
Monasteria virorum 2.

Dioecesis Carlstadiensis.
Monasterium virorum 1.

[1]) In Austro-Hungaria communiter proprio nomine *διακριτικῷ* vocantur *Graeci orientales* seu *Graeco-orientales;* germanice *Griechisch-morgenländische;* hungarice *Görög-keletiek;* serbice *Grčko-iztočni;* rumenice *Greci resariteni.* In Diplomatibus c. r. Josephi II. promiscue dicuntur *οἱ μὴ ἡνωμένοι, μὴ οὔνιτοι Ῥωμαῖοι· οἱ τοῦ ἀνατολικοῦ δόγματος, οἱ μὴ ἡνωμένης ἀνατολικῆς ἐκκλησίας Ῥωμαῖοι.* Vide *Καισαροβασιλικὸν προνόμιον χαρισθὲν παρὰ τοῦ κραταιοτάτου Καίσαρος τῶν Ῥωμαίων Ἰωσὴφ τοῦ Δευτέρου* d. d. 3. Augusti an. 1782, quo capellae confraternitatis s. Georgii Viennae omnia jura ecclesiae parochialis tributa leguntur.

Dioecesis Budensis.
Monasterium virorum 1.

Dioecesis Pakraciensis.
Monasteria virorum 3.

Dioecesis Temesvariensis.
Monasterium virorum 1.

Dioecesis Weršeciensis.
Monasteria virorum 3.

b) Dioeceses rumenae.

Archidioecesis Cibiniensis.

Dioecesis Aradensis.
Monasterium virorum 1.

Dioecesis Caransebesensis.

2. In Dalmatia et Istria:

Dioecesis Dalmatiae et Istriae.
Monasteria virorum 3.

Dioecesis Catarensis et Ragusina.
Monasteria virorum 8.

3. In Bukowina:

a. Archidioecesis Černowiciensis Rumenorum et Ruthenorum.
Monasteria virorum 3.

b. Metropolia Bělokriniciensis Lippowanorum seu Philipponum, ex Resolutione Caesarea d. 18. Augusti 1859 (intimata per Decretum Ministerii pro Cultu et Instructione publ. d. 30. Aug. 1859, Nr. 13021—251) cum duobus episcopis *starověrciis* seu *jedinověrciis,* Metropolita *(Svjatitel)* altero, altero suffraganeo coadjutore.
Monasterium virorum 1.

4. Viennae in Austria:

a. Pro subditis imperii Turcici:
Parochia ad s. Georgium [1]), cum clero regulari

[1]) Ἐφημερικὴ ἐκκλησία τῆς ἀδελφότητος τοῦ ἁγίου Γεωργίου τῶν

ex aliquo monasterio Rumeliae, a parochianis electo [1]).

b. Pro aliis orientalibus non tamen Russis:

Parochia ad ss. Trinitatem [2]), cum clero regulari graeco ex aliquo monast. Archipelagi assumpto [3]).

c. Pro Russis ibidem habitantibus:

Capella caesarea legationis russicae, cum presbytero ejusdem nationis parochi munere fungente.

5. In Bosna et Hercegovina:

a) Sarajevi.

Archidioecesis metropolitica Dabrobosnensis [4]).

b) Mostarini.

Archidioecesis metropolit. Hercegovino-zachulmensis.

c) Dõnjoj Tuzli (Dolnja Tuzla).

Archidioecesis metropolitica Zwornikiensis-tuzlensis.

Vi conventionis inter gubernium austro-hungaricum et patriarcham CP. initae a. 1880 [5]) tres isti metropolitae fere *αὐτοκεφαλίας* dignitate ornati existunt [6]).

B. Ritus armeni.

Communitates Armenorum monophysitarum in ducatu Bukowinae patriarchae Constantinopolitano monophys. obnoxiae

---

τῆς Ὀθωμανικῆς ἐξουσίας ὑπηκόων τῶν ἐν Βιέννῃ πραγματευομένων μὴ ἡνωμένων Ῥωμαίων. (Ita diploma Josephi II. cit.)

[1]) *Ὁ ἐφημέριος καὶ οἱ συμβοηθοὶ αὐτοῦ τὸ γένος καὶ τὴν θρησκείαν μὴ οὖνιτοι Ῥωμαῖοι τοῦ μοναδικοῦ τάγματος, ἐκλελεγμένοι ἀπὸ ὅποιον μοναστῆρι τῆς Ῥομέλης.* (Ibid. § 2.)

[2]) *Ἡ Ἑλληνοβλαχικὴ τῶν Κ. Β. ὑπηκόων κοινότης τῆς ἁγ. Τριάδος.*

[3]) *Οἱ ἐκλεχθησόμενοι ἱερεῖς πρέπει νὰ ὦσι κεχειροτονημένοι εἴς τι μοναστήριον τοῦ Ἀρχιπελάγους (Κανονισμὸς τῶν ἐργασιῶν, διὰ τὴν ἔκκλητον τῆς κοινότητος,* § 143).

[4]) Hi tres metropolitae etiam alios titulos honorificos gerunt; Dabrobosnensis sc. appellatur *Exarcha universae Dalmatiae*, Zachulmensis *Exarcha Moesiae superioris*, Tuzlensis *Exarcha honorarius Dalmatiae*.

[5]) Cfr. *Archiv für kath. Kirchenrecht*, t. 65, pp. 437—441.

[6]) Rationes *ἀξιώματος τῆς αὐτοκεφαλίας* in ecclesia orientali vigentis accurate cum primis enucleateque nuper illustravit vir cl. D. A. Lib.

sunt clerumque suum ab eo accipiunt. Dicuntur et ipsi *Armeni orientales*, ut a caeteris gratiam et communionem cum ecclesia catholica habentibus distinguantur.

Orientales christiani in Austro-Hungaria universim [1]) numerantur septuagies centena millia (7.000.000) circiter, e quibus amplius quadragies centena millia (4.000.000) catholici sunt, reliquos autem a vera Christi Ecclesia sejunctos moerentes intuemur [2]).

De libris glagoliticis

h. e. de usu linguae slavicae in ecclesiis ritus latini, literis glagoliticis scriptae sive impressae.

1. Selecta quaedam documenta de legitimo ejus usu.

Ex Constitutione Urbani PP. VIII. *Ecclesia catholica*, edita d. 29. April. an. 1631, Missali Romano Illyrico praefixa: *Ecclesia catholica, cui divina favente clementia, nullo meritorum nostrorum suffragio, praesidemus, sicuti una est, ita requirit nostrae pastoralis vigilantiae sollicitudo, ut Christifideles idipsum non solum sapiant, sed etiam quantum possibile est, omnes etiam unanimes uno ore, in orationibus et sacrificiis honorificent Deum. Quum itaque, sicut accepimus, Missale idiomate slavonico olim a fel. rec. Joanne VIII. praedecessore nostro concessum, a centum circiter annis typis editum non fuerit, atque inde acciderit, ut Slavonum ecclesiae Missalium inopia adeo laboraverint, ut plerisque in locis, nec Sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium offerre, nec populi ecclesiae praecepto de illo audiendo satisfacere commode potuerint, nos Missalium inopiae hujusmodi ad divini nominis laudem et gloriam, animarumque Christifidelium illarum partium salutem occurrere volentes, venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotio fidei in universum Orbem propagandae praepositis injunximus, ut quamplura Missalia, slavonico conscripta idiomate, a provincia Dalmatiae Romam jussu nostro afferri, iisque per nonnullos linguae slavonicae peritos, juxta emendationes a fel. etiam rec. Pio V. et Clemente VIII. Romanis Pontificibus, similiter praedecessoribus nostris, factas, et eorum literis Apostolicis approbatas,*

Baro d'Avril in Actis literariis *Revue des questions historiques* (mense Julio 1895) sub titulo „*Les églises autonomes et autocephales* (451—1885).

[1]) Non computatis Bosniacis et Hercegowinensibus *τοῦ ἀνατολικοῦ δόγματος* (500.000 c.), qui se nuperrime ditioni Austriacae permiserunt.

[2]) De praesenti conditione juridica ecclesiarum orientalium in Austro-Hungaria egregium commentarium scripsit cl. Dr. Vering, *Griechisch-orientalische Kirche* in „Oesterreich. Staatswörterbuch“ pp. 951—957.

correctis, Missale, quod Romano prorsus conforme esset, componi, illudque praefato idiomate slavonico, ad usum et commodum eorumdem Christifidelium ecclesiarum, locorum et provinciarum, ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, imprimi curarent. Quae omnia quum praefati Cardinales diligenter praestiterint, eadem per praefatos Cardinales et pie et accurate in praemissis ordinata et gesta approbantes, ac praefatum Missale antiquum abrogantes, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, antiquorum Missalium slavonici idiomatis tam impressorum quam manuscriptorum usum, tenore praesentium, sub indignationis nostrae, ac aliis arbitrii nostri, imo iis etiam poenis, quae eorundem Pii, et Clementis praedecessorum nostrorum literis continentur, tenore praesentium, penitus et omnino interdicimus. Praeterea sub eisdem poenis eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium, prohibemus omnibus et singulis presbyteris et clericis, tam saecularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali nota dignis regularibus, earumdem ecclesiarum, locorum et provinciarum, ubi hactenus, ut praefertur, praefato idiomate slavonico celebratum fuit, ne elapsis octo mensibus a die publicationis praesentium in Urbe, alio, quam hujusmodi novo Missali, nisi maluerint latino, utantur.

Hoc ipsum Missale anno Christi 1745, curante linguae slavonicae apprime perito Matthaeo Caramanio, Jadrensium archiepiscopo (1745—1771), typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide prodiit, una cum *Kalendario Sanctorum*, in morem Sanctae Romanae Ecclesiae accommodato.

Ex Constitutione Innocentii PP. X. *Romanum Pontificem*, edita d. 22. Febr. an. 1648, et jussu Innocentii PP. XI. Breviario Romano Illyrico praefixa anno 1688: *Romanum Pontificem, cui ex dispositione divina omnium Orbis ecclesiarum cura incumbit, sedulo decet invigilare, ut cuncta ad Catholicam fidem divinumque cultum pertinentia, rite recteque in ecclesiis praedictis peragantur; et praesertim ut sacrae scripturae et alii codices, qui fidei cultusque hujusmodi fundamenta et sacras preces, laudibus, gratiisque Deo persolvendis, continent, quocumque tempore, vel idiomate, aut charactere conscripti sint, mendis atque erroribus plane careant, illisque omnino expertes ab omnibus habeantur. Quum igitur Illyricarum gentium, quae longe lateque per Europam diffusae sunt, atque ab ipsis gloriosis Apostolorum Principibus Petro et Paulo potissimum Christi fidem edoctae fuerunt, libros sanctos jam inde a D. Hieronymi temporibus, ut pervetusta ad nos detulit traditio, vel certe a Pontificatu fel. rec. Joannis Papae VIII. praedecessoris nostri, uti ex ejusdem data super ea re epistola constat, ritu quidem romano, sed idiomate slavonico, et charactere s. Hieronymi vulgo nuncupato*[1]) *conscriptos, opportuna recognitione indigere compertum sit: nos rec. mem. Urbani Papae VIII. etiam praedeces-*

[1]) H. e., glagolitico.

soris nostri, qui Missale Illyricum emendatum juxta nuperrimas illius reformationes charactere Hieronymiano, ac lingua slavonica typis vulgari mandavit, vestigiis inhaerentes, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio propagationis fidei per universum mundum praepositorum consilio, venerabili fratri Raphaëli[1]) *Archiepiscopo Achridae, seu Primae Justinianae, mandavimus, ut Breviarium Illyricum, ante annos centum impressum, recognosceret, et ad formam Breviarii Romani latini nuper a praedicto Urbano praedecessore reformati in praedictam linguam slavonicam redigeret. Quod quum idem Raphaël Archiepiscopus diligenter praestiterit, dictumque novum Breviarium Illyricum a peritis praedictae linguae, et in sacris literis edoctis viris comprobatum fuerit: idcirco nos motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, de simili praedictorum Fratrum nostrorum consilio, Breviarium praedictum tenore praesentium confirmamus et approbamus, typisque mandari jubemus.*

Rituale Romanum Illyrica lingua jussu Urbani PP. VIII. Romae editum ex typographia de *Propaganda Fide* anno 1640 curante Bartholomaeo Cassio[2]), Dalmata, Societatis Jesu, qui illud Rituale *Illyrice* reddiderat anno Christi 1636, uti liquet ex ejusdem epistola, literis Pauli V. de Romano Rituali die 17. Jun. 1614 datis subjuncta. Cassii versionem probavit primo Mutius Vitellescus Societatis Jesu Praepositus Generalis, Romae 13. Martii 1637; deinde Franciscus Manolla Spalatensis, J. V. D. et Canonicus S. Hieronymi Illyricorum de Urbe, die 25. Martii 1637, ubi ait, *se, jubente Nicolao Riccardio S. Palatii Apostolici Magistro, vidisse, diligenterque perlegisse hoc Rituale Romanum ex Latino Illyricum factum communiori modo loquendi, ab admodum R. P. Bartholomaeo Cassio Soc. Jesu in Basilica S. Petri Poenitentiario.* Ipse vero Cassius in epistola ad Urbanum VIII. testatur, jussu ejusdem id opus a se susceptum. *Prudenti,* inquit, *ac piissimo consilio factum est, B. Pater, ut Rituale Latinum fieret Illyricum, Te praecipiente, et expetitum a tota natione in lucem ederetur. Perdifficile enim erat Illyricis sacerdotibus non paucis sacros Ritus latino eloquio scriptos intelligere, eosque in praxi exercere, apud quos non ea latinae linguae viget eruditio, ut possint exequi praescripta rite recteque, sicut oportet. Meum itaque fuit, sacra jubente Congregatione, quum adhuc essem in Basilica Vaticana Poenitentiarius Illyricus, diuturno labore in pene infinita idiomatis Illyrici varietate perscribere communiori dialecto Illyricis, quod Latinis sermo latinus praescripsit. Quod quidem eo libentius atque alacrius elaboravi, quo gratius ac jucundius Tuae Sanctitati futurum existimavi. Ditissimus profecto thesaurus ecclesiae Illyricae erit, sa-*

[1]) Raphaël Levacovich, Croata, Ord. Minorum s. Francisci de Observantia, Archiepiscopus Achridanus, obiit an. 1650.

[2]) Barthol. Kassich † an. 1650. De eo videatur De Backer-Sommervogel, *Bibliographie,* t. 4, pp. 936—938.

crorum Rituum Rituale effectum Illyricum, quo et gens universa ditabitur et catholica fides in latissimis provinciis propagabitur [1]). Pergit de sua novi Testamenti versione Illyrica disserens: *Utinam aliquando etiam lucem aspiciat selecta a me ex antiquis Illyricis codicibus versio Illyrica novi Testamenti, Tuo imperio, Tuisque perurbanis auspiciis, ut ea tota natio luce nova Evangelicae praedicationis et veritatis illustrata, contra haereses et schismata, Tuae Sanctitatis aeterna recordatione glorietur et oblectetur* [2]).

2. *De hodierna mixtura linguarum slavicae et latinae.*

Inde ab anno 1828, quo lingua latina in Seminario centrali Jadrae fuit inducta, usus antiquae linguae slavicae pluribus in ecclesiis paulatim in desuetudinem abire ac consuetudo invalescere coepit, ut ea tantum slavice efferantur, quae alta voce sunt cantanda, latine vero caetera omnia dicantur, quae submissa voce a sacerdote recitari debent; imo eo usque ventum est, ut, antiquo idiomate slavico relicto, lingua moderna croatica vel serbica ea cantentur, quae ex praescripto rubricarum Missalis Romani cantanda sunt [3]); de qua nova linguarum liturgicarum mixtura id certe valet, quod de innovationibus liturgicis generatim agentes plus semel indubitatis rationibus docuimus [4]), eas scilicet nonnisi per ratihabitionem Romani Pontificis, cui juris de liturgia dicundi potestas est reservata, legitimas fieri posse.

De usu linguae slavicae in ritu latino Rmus. D. Parčić, vir rerum slavicarum peritissimus, pro singulari sua humanitate et benevolentia, nobis has notitias ex Urbe Roma perscribere dignatus est:

a) In dioecesi Segniensi (slav. *Senj:* germ. *Zengg)* hinc inde adhuc vivit, sed Missae quidem celebrantur slavice, lingua tamen quam maxime corrupta, propemodum ad vulgarem sermonem accommodata, et ex libris impressis characteribus latinis.

Adhibetur praeterea

b) In dioecesi Veglensi (slav *Krk;* ital. Veglia) maxima

[1]) Recentissimae editionis romanae, literis latinis impressae an. 1894, titulus hic est: *Rimski Ritual (Obrednik) izdan po zapoviedi sv. otca Pape Paula V a pomnožan i poizpravljen Benedictom XIV čestite uspomene s dodatkom važnih novinijch blagoslova. U Rimu, Tisak sv. sbora de Propaganda fide.* Sed plura de nova hac editione animadvertimus in *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1895, pp. 380—382.

[2]) Plura de Illyrica hac Novi Testamenti versione reperies apud Asseman. *Kal. Eccl. Univ.* tom. 1, p. 120.

[3]) In oppido *Fiume* editum est anno 1824 Evangelistarium croaticum, usibus ecclesiasticis accommodatum, vulgo *Schiavet* nuncupatum.

[4]) In Actis literariis *Archiv f. kath. Kirchenr.,* tom. 5, pp. 371 seqq.: in *Revue des sciences ecclésiastiques,* tom. 1, pp. 459 seqq.; in opere *De rationibus festorum utriusque SS. Cordis,* edit. 4, pp. 464 et 472.

ex parte in insula ejusdem nominis, quae novem paroeciis et quinque curatiis constat.

c) In dioecesi Jadertina (slav. *Zadar;* ital. *Zara)* in paroeciis praesertim insularibus.

d) In dioecesi Spalatensi (slav. *Spljet;* ital. *Spalato)* in Paroeciis sitis intra fines sic dictae *Poljicae,* quae olim propriis statutis et communalibus legibus regebatur et in omnibus fideliter adhucdum linguam hanc servat.

e) Praesertim vero et tamquam speciale privilegium peramanter servatur in Provincia Regulari Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Seraphici, quae hodiedum constat septem conventibus, scil. 1. S. Francisci in civitate Vegla; 2. S. Mariae in Capite insulae Veglae; 3. S. Mariae Magdalenae in loco dicto Dubašnica ins. Veglae; 4. S. Martini in Valle insulae Crepsae (slav. *Cres;* ital. *Cherso);* 5. S. Michaelis Jadrae; 6. S. Pauli in scopulo prope Jadram et 7. S. Mariae Gratiarum in scopulo Pervic prope Sibenicum.

De singulis quibusque Paroeciis sermo haud institui potest, quum saepe saepius hoc dependeat a parochis et presbyteris, quibus, annuente episcopo, sponte hoc privilegio ad populi aedificationem frui visum fuerit, nisi maluerint latinum amplecti; quinimo Missae privatae fere ubique locorum hic memoratorum latine leguntur [1]).

Quamprimum vero nova librorum sacrorum recensio hoc slavico sermone, quae in votis est, in lucem prodierit, tunc procul dubio firmabitur ac reviviscet iis in locis, quibus ex antiquissimo Sedis Apostolicae privilegio ejusdem linguae usus concessus fuit. Haec ille.

Addi iis potest, multis in locis divinum officium ex Breviario Romano latine recitari, exceptis majoribus quibusdam festivitatibus, in quibus Vesperae et Completorium antiqua lingua slavica persolvuntur.

Votis Rmi. D. Parčić mox satisfactum iri, firma spes est, quum post novam editionem Missalis glagolitici jam feliciter absolutam et Sedes Apostolica et episcopatus illarum regionum junctis viribus plurimum operae curaeque in ordinando usu liturgico linguae slavicae in ecclesiis ritus latini consumant. Pro arcto institutae scriptionis nostrae limite satis habemus, duas leges ex recentioribus Actis publicis attulisse, Decretum S. C. Rituum d. d. 13. Febr. 1892, et Constitutionem Rmi. D. Georgii Posilović, Archiepiscopi et Metropolitae Zagrabiensis, olim

[1]) Elenchus authenticus omnium ecclesiarum rit. lat., in quibus lingua slavica erat in usu an. 1857, extat apud Ginzel, *Geschichte der Slavenapostel Cyrill und Method,* Append. 3, pp. 121—132.

Episcopi Segniensis et Modrussensis, publicatam Dominica Paschatis, d. 25. Mart. 1894.

In priori lege Sedes Apostolica has normas statuit[1]):

I. Dove s'usa per legittima consuetudine la lingua slava, questa deve essere la lingua slava *antica*, non la moderna e volgare;

II. Non è lecito mescolare la lingua slava colla latina nella Messa, eccetto il Vangelo e l'Epistola, che possono leggersi o cantarsi in latino;

III. I sacerdoti slavi addetti ad una chiesa di rito latino[2]) debbono celebrare in latino la messa solenne; del medesimo rito latino debbono far uso i sacerdoti latini celebrando in una chiesa slava[3]).

Statuto vero episcopali Rmus. Posilović „in suis dioecesibus secundum mentem Summi Pontificis et consuetudinem Majorum accurate ordinat liturgiam romanam cum lingua slavica et Missali Romano slavica lingua, glagolitico charactere, edito Romae 1893, ad aeternam memoriam jubilaei episcopalis Leonis PP. XIII., ad exaltationem Sedis Apostolicae, in honorem ss. apostolorum Cyrilli et Methodii atque ad felicem reunionem omnium Slavorum in una sancta, catholica et apostolica Ecclesia.“ Est autem tota Ordinatio adeo pie, sapienter, graviter conscripta[4]), ut magna et praeclara Rmi. auctoris in Ecclesiam merita nulla unquam sit obscuratura oblivio.

Ut exteri lectores notionem scripturae glagoliticae animo concipere possint, *Tabulas paschales* ex Missali hic sistimus (pp. 508—509), adjecto, comparationis causa, Paschalio slavico ritus graeci (pp. 510—511) eadem quidem lingua, sed diverso charactere exarato.

Tabula glagolitica est ad verbum e latino expressa legiturque, more Slavorum meridionalium, hoc modo:

Titulus. *Tablica vremennaja prazdnikov dvižimih,* Tabula temporaria festorum mobilium.
Columna 1. *Lěta gospodnja,* anni Domini.
Columna 2. *Pismja nedělnoje,* litera dominicalis.
Columna 3. *Zlato čislo,* aureus numerus.
Columna 4. *Epakt,* Epacta.
Columna 5. *Sedmodesětnica,* Septuagesima.
Columna 6. *Den pepelnij,* dies cinerum.

[1]) Cfr. *Civiltà Cattolica,* 1894, vol. 3, p. 485.
[2]) H. e. in ecclesia ritus latini cum usu linguae latinae.
[3]) H. e. in ecclesia r. lat. cum usu linguae slavicae.
[4]) Extat in „Katolički List“, 1894, pp. 136—140.

(reliqua sequentur p. 512)

ⱅⰰⰱⰾⰻⱌⰰ ⰲⱃⰵⰿⰵⱀⱀⰰⱑ.

ⰾⱑⱅⰰ ⰳⰴⱀⱑ	ⱂⰻⱄⰿ ⱀⰵⰴⱑ	ⰸⰾⱅⰰ. ⱍⰻⱄⰾ.	ⰵⱂⰰ-ⰽⱅⰹ	ⱄⰵⰴⰿⰻⰴⰵ-ⱄⱑⱅⱀⰻⱌⰰ	ⰴⰵⱀⱐ ⱂⰵⱂⰵⰾⱀⰻⰻ̆	ⱂⰰⱄⱈⰰ
ⱍⱋⱁⰰ	ⰱ	ⰰ	*	ⰲⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰱ. ⰿⰰⱃ.	ⰶⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰱ	ⰰ	ⰱ	ⰰⰺ	ⰴ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰱ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰸ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰲ	ⰶ	ⰲ	ⰻⰱ	ⰻⰰ. ⰻⰰⱀ.	ⰶ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰴ. ⰿⰰⱃ.
ⱍⱋⱁⰳ	ⰵⰴ	ⰳ	ⰲ	ⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰶ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰲⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰴ	ⰳ	ⰴ	ⰳⰺ	ⰰ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰷⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰴ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰵ	ⰲ	ⰵ	ⰻⰴ	ⰻⰰ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰺ. ⰿⰰⱃ.	ⰻⰴ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰶ	ⰱ	ⰶ	ⰵ	ⰵ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰲ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰷ	ⰰⰶ	ⰷ	ⰶⰺ	ⰻⰸ. ⰻⰰⱀ.	ⰴⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰰ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱁⰸ	ⰵ	ⰸ	ⰻⰷ	ⰶⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰵ. ⰿⰰⱃ.	ⰻⰰ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂ	ⰴ	ⰺ	ⰸ	ⰱ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰰ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰵ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰰ	ⰳ	ⰰⰺ	ⰻ	ⰻⰴ. ⰻⰰⱀ.	ⰰⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰸ. ⰿⰰⱃ.
ⱍⱋⱂⰱ	ⰲⰱ	ⰱⰺ	ⰰ	ⰳⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰱ. ⰿⰰⱃ.	ⰶⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰲ	ⰰ	ⰲⰺ	ⰱⰺ	ⰻⰸ. ⰻⰰⱀ.	ⰴⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰱ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰳ	ⰶ	ⰳⰺ	ⰻⰲ	ⰻⰰ. ⰻⰰⱀ.	ⰶ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰴ. ⰿⰰⱃ.
ⱍⱋⱂⰴ	ⰵ	ⰴⰺ	ⰳ	ⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰶ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰳⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰵ	ⰴⰳ	ⰵⰺ	ⰴⰺ	ⰱ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰸⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰴ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰶ	ⰲ	ⰶⰺ	ⰻⰵ	ⰳⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰲ. ⰿⰰⱃ.	ⰷⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰷ	ⰱ	ⰷⰺ	ⰶ	ⰵ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰲ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰺ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱋⱂⰸ	ⰰ	ⰸⰺ	ⰷⰺ	ⰻⰸ. ⰻⰰⱀ.	ⰴⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰱ. ⰰⱂⱃ.
ⱍⱌ	ⰶ	ⰰ	ⰻⰸ	ⰰⰺ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰻⰷ. ⱇⰵⰲⱃ.	ⰴⰺ ⰰⱂⱃ.

ⱂⱃⰰⰸⰴⱀⰻⰽⱁⰲⰺ ⰴⰲⰻⰶⰻⰿⰺⰻⰳⰺ.

ⰲⱁⰸⱀⰵ-ⱄⰵⱀⰻⰵ	ⱂⰵⱀⱅⰻ-ⰽⰻⱄⱅⰻ	ⱅⱑⰾⱁ ⰳⰲⱁ	ⰻⱀⰴⰻⰽⱅ	ⱀⰵⰴⱑⰾⱑ ⱂⱁ ⱂⰵⱀⱅ	ⱀⰵⰴⱑⰾⱑ ⰰ ⱂⱃⰻⱎⰵⱄⱅⰲⰰ
ⰻⰵ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰴ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰵⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰸ	ⰻⰳ	ⰻⰶ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰷⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰷ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰷ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰹ	ⰻⰵ	ⰲ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰲ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰲⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰳ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰰⰹ	ⰻⰷ	ⰱ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰻⰱ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰰ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰱⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰱⰹ	ⰻⰴ	ⰼ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰳⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰳ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰳ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰲⰹ	ⰻⰵ	ⰻⰸ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰲ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰲⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰻⰳ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰳⰹ	ⰻⰲ	ⰻⰷ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰸⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰸ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰸ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰴⰹ	ⰻⰴ	ⰻⰶ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰼⰰ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰰ	ⰻⰶ	ⰱ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰼ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰸ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰻ ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰱ	ⰻⰳ	ⰰ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰴⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰴ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰴ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰲ	ⰻⰵ	ⰼ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰶ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰶⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰷ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰳ	ⰻⰶ	ⰻⰸ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰻⰵ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰴ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰵⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰴ	ⰻⰳ	ⰻⰶ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰰⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰰ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰰ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰵ	ⰻⰶ	ⰲ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰲ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰲⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰳ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰶ	ⰻⰷ	ⰱ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰻⰲ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰱ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰲⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰷ	ⰻⰴ	ⰰ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰳⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰳ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰳ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰸ	ⰻⰵ	ⰻⰸ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰻⰶ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰵ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰶⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰹ	ⰻⰳ	ⰻⰷ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰸⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰸ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰸ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰰⰹ	ⰻⰴ	ⰻⰶ. ⱀⱁⰵⰿⰲⱃ.
ⰰⰹ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰻⰰ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰰ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰱⰹ	ⰻⰶ	ⰲ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.
ⰻⰳ. ⰿⰰⰻⱑ	ⰲ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰳⰹ. ⰻⱆⱀⰻⱑ	ⰲⰹ	ⰻⰴ	ⰱ. ⰴⰵⰽⰵⰿ.

ПАСХАЛЇА ЗРЯЧАЯ

Лѣта ѿ Адама	Лѣта ѿ Хрта	Ін-дїктъ	Кругъ Солнцу	Кругъ Лунѣ	въ руцѣ Лѣто	Ключъ граничный	Рож. Хрв.	Мясопус. нед.	Мясопус. дней
҂зтпѳ	҂аѡпа	ѳ	ке	зі	г	Ф	т	з	д
҂зтч	҂аѡпв	і	кѕ	иі	д	Ж	с	е	г
҂зтча	҂аѡпг	аі	кз	ѳі	е	Ш	н	и	в
҂зтчв	҂аѡпд	ві	ки	а	з	Р	в	з	а
҂зтчг	҂аѡпе	гі	а	в	а	Ҍ	р	д	ѕ
҂зтчд	҂аѡпѕ	ді	в	г	в	Х	ч	з	е
҂зтче	҂аѡпз	еі	г	д	г	П	т	ѕ	д
҂зтчѕ	҂аѡпи	а	д	е	е	Ж	н	ѳ	г
҂зтчз	҂аѡпѳ	в	е	ѕ	ѕ	Є	п	з	а
҂зтчи	҂аѡч	г	ѕ	з	з	Ї	в	ѕ	
҂зтчѳ	҂аѡча	д	з	и	а	Ь	р	и	ѕ
҂зѵ	҂аѡчв	е	и	ѳ	г	П	т	ѕ	е
҂зѵа	҂аѡчг	ѕ	ѳ	і	д	Ж	с	е	г
҂зѵв	҂аѡчд	з	і	аі	е	Ш	н	и	в
҂зѵг	҂аѡче	и	аі	ві	ѕ	К	п	ѕ	а
҂зѵд	҂аѡчѕ	ѳ	ві	гі	а	Б	р	е	
҂зѵе	҂аѡчз	і	гі	ді	в	Х	ч	з	е
҂зѵѕ	҂аѡчи	аі	ді	еі	г	И	п	ѕ	д
҂зѵз	҂аѡчѳ	ві	еі	ѕі	д	Щ	с	и	г
҂зѵи	҂ац	гі	ѕі	зі	ѕ	Є	п	з	в
҂зѵѳ	҂аца	ді	зі	иі	з	Ї	в	ѕ	
҂зѵі	҂ацв	еі	иі	ѳі	а	Ѿ	р	з	ѕ
҂зѵаі	҂ацг	а	ѳі	а	в	О	ч	ѕ	е
҂зѵві	҂ацд	в	к	в	д	Ж	с	е	д
҂зѵгі	҂аце	г	ка	г	е	Ш	н	и	в
҂зѵді	҂ацѕ	д	кв	д	г	К	п	ѕ	а
҂зѵеі	҂ацз	е	кг	е	ѕ	Ѣ	в	ѳ	
҂зѵѕі	҂аци	ѕ	кд	ѕ	в	Х	ч	з	ѕ
҂зѵзі	҂ацѳ	з	ке	з	г	Ѕ	т	е	д
҂зѵиі	҂аці	и	кѕ	и	д	Щ	с	и	г
҂зѵѳі	҂ацаі	ѳ	кз	ѳ	е	Т	н	з	в
҂зѵк	҂ацві	і	ки	ї	з	Г	в	е	а
҂зѵка	҂ацгі	аі	а	аі	а	Ѿ	р	з	ѕ
҂зѵкв	҂ацді	ві	в	ві	в	О	ч	ѕ	е
҂зѵкг	҂ацеі	гі	г	гі	г	Я	т	д	д
҂зѵкд	҂ацѕі	ді	д	ді	е	Т	н	з	г
҂зѵке	҂ацзі	еі	е	еі	ѕ	К	п	ѕ	а
҂зѵкѕ	҂ациі	а	ѕ	ѕі	з	Ѣ	в	ѳ	
҂зѵкз	҂ацѳі	к	з	зі	а	П	р	ѕ	ѕ
҂зѵки	҂ацк	г	и	иі	г	Ѕ	т	е	е
҂зѵкѳ	҂ацка	д	ѳ	ѳі	д	Щ	с	и	г
҂зѵл	҂ацкв	е	і	а	е	Л	н	ѕ	к
҂зѵла	҂ацкг	ѕ	аі	в	ѕ	Д	п	е	а
҂зѵлв	҂ацкд	з	ві	г	а	Ѿ	р	и	
҂зѵлг	҂ацке	и	гі	д	в	О	ч	ѕ	е
҂зѵлд	҂ацкѕ	ѳ	ді	е	г	Ъ	т	и	д

ПО КЛЮЧЕВЫМЪ СЛОВАМЪ.

Мясопу́стъ		Благовѣщеніе		Пасха Христова		Пасха римска предъ нашею	Геώргія		Петро́ва пост недѣль	Петро́ва пост дней	Петра и Павла
Ф	єı	р	є҃	А	вı	седм.	ч	в	г		
Ïа	ла	ч	вє	М	кн	равно	т	д	є	а	п
Ф	к	т	д	А	зı	є нед.	с	св	в	к	к
Ф	вı	н	є	А	н	седм.	п	г	г	д	р
Ïа	кз	п	свѣт	М	кд	равно	в	є	є	є	т
Ф	ѕı	в	є	А	гı	равно	р	в	в	ѕ	с
Ф	н	р	ѕ	А	є	седм.	ч	г҃	д		н
Ф	кн	т	г	А	кд	є нед.	с	вє	а	в	п
Ф	вı	с	є	А	ѹ	равно	ч	г	г	г	р
Ф	д	н	ѕ	А	а	седм.	п	а	д	д	ч
Ф	вд	п	д	А	ка	є нед.	в	ск	а	є	т
Ф	ѹ	р	ѕ	А	є	равно	ч	г	д		с
Ïа	ла	ч	вел	М	кн	седм.	т	д	є	а	п
Ф	к	т	д	А	зı	є нед	с	св.	в	в	к
Ф	є	с	лаз	А	в	равно	н	д	д	г	р
Ïан	кн	п	свѣт	М	кд	равно	в	є	є	є	ч
Ф	ѕı	в	є	А	гı	седм.	р	в	в	ѕ	с
Ф	н	р	ѕ	А	є	седм,	ч	г	д		н
Ф	ка	ч	д	А	нı	д нед.	т	свѣт	в	а	п
Ф	гı	с	є	А	ѹ	седм	н	г	г	г	в
Ф	д	н	ѕ	А	а	седм.	п	д	д	д	ч
Ф	зı	п	є	А	дı	д нед.	в	в	в	є	т
Ф	ѹ	в	ѕ	А	ѕ	седм.	р	г	г	ѕ	с
Ф	а	ч	вел.	М	кн	седм.	т	д	є	а	н
Ф	ка	т	д	А	зı	седм.	с	свѣт	в	в	к
Ф	є	с	лаз.	А	в	равно	н	д	д	в	р
Ф	кє	н	г.	А	кв	є нед.	п	свѣт	а	д	ч
Ф	зı	в	є	А	гı	седм.	р	в	в	ѕ	т
Ф	а	р	вел	М	кѹ	равно	ч	д	є		н
Ф	ка	ч	д	А	нı	є нед	т	свѣт	в	а	п
Ф	гı	т	є	А	ѵ	седм.	с	в	г	в	в
Ïан	кѹ	н	пасх.	М	кє	равно	п	є	є	д	р
Ф	зı	п	є	А	дı	є нед.	в	в	в	є	т
Ф	ѹ	в	ѕ	А	ѕ	седм.	р	г	г	ѕ	с
Ïан	кє	р	свѣт	М	кв	равно	ч	є	ѕ		н
Ф	дı	т	є	А	ѵ	равно	с	в	г	в	п
Ф	є	с	лаз.	А	в	седм.	н	д	д	г	р
Ф	кє	н	г	А	кв	є нед.	п	свѣт	а	д	ч
Ф	ѵ	п	ѕ	А	з	равно	в	г	г	є	т
Ф	в	р	вел.	М	кѹ	седм.	ч	д	є		с
Ф	ка	ч	д	А	нѵ	є нед.	т	свѣт	в	а	п
Ф	ѕ	т	ѕ	А	г	равно	с	г	д	в	к
Ïан	кѹ	с	вел.	М	кѕ	седм.	н	є	є	г	р
Ф	нѵ	п	є	А	дı	седм.	в	в	в	є	ч
Ф	ѹ	в	ѕ	А	ѕ	седм.	р	г	г	ѕ	с
Ф	кв	р	д	А	ѹı	д нед.	ч	свѣт	в		п

Columna 7. *Pasha,* Pascha.
Columna 8. *Voznesenie,* Ascensio.
Columna 9. *Pentikosti,* Pentecoste.
Columna 10. *Tělo Hristovo,* Corpus Christi.
Columna 11. *Indikt,* Indictio.
Columna 12. *Nedělja po Pentik.,* Dominicae post Pentec.
Columna 13. *Nedělja 1. prišestva,* Dominicae I. Adventus.

Tabula slav. rit. gr. (pp. 510—511) inscribitur: *Paschalija zrjačaja po ključevym slovam,* h. e., tabula paschalis synoptica juxta claves literarum dominicalium et annalium.

Lectio columnarum, more Ruthenorum, ex ordine haec est:

1. *Lěta ot Adam,* anni ab Adamo.
2. *Lěta ot Christa,* anni a Christo.
3. *Indikt, ἰνδικτιών.*
4. *Krug solncu, ἡλίου κύκλοι.*
5. *Krug luně, σελήνης κύκλοι.*
6. *V rucě lěto,* litera dominicalis, *κυριακὸν γράμμα.*
7. *Ključ graničnyj, κλεὶς κεφαλαία,* clavis capitis anni.
8. *Roždestvo Christovo, ἡ τοῦ Χριστοῦ γέννησις.*
9. *Mjasojast, κρεωφαγία:* quot hebdomades et dies habeat.
10. *Mjasopust, ἡ ἀπόκρεως.*
11. *Blagověščennije, ὁ εὐαγγελισμός.*
12. *Pascha Christova, Πάσχα τοῦ Χριστοῦ.*
13. *Pascha Rimska pred našeju,* Pascha Rom. ante nostrum.
14. *Gergija,* festum s. Georgii.
15. *Petrova post,* jejunium Petri.
16. *Petra i Pavla,* Petri et Pauli (festum).

Caetera, quae ad interpretationem tabularum paschalium spectant, latius persequemur tomo 2., ubi rationes festorum mobilium erunt illustrandae.

ΠΙΝΑΞ

ΤΩΝ

ΕΝ ΤΑΥΤΗΙ ΤΗΙ ΒΙΒΛΩΙ ΑΝΑΦΕΡΟΜΕΝΩΝ ΑΓΙΩΝ

ΚΑΤΑ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ ΣΥΝΤΕΘΕΙΣ.

INDEX

SANCTORUM

QUI HOC LIBRO REFERUNTUR

AD ALPHABETI LITERAS DIGESTUS.

Lectoris commodo etiam praecipua festa Domini huic Sanctorum indici inserimus.

B.

C.

D.

E.

F.

I.

L.

M.

N.

Q.

R.

U.

V.

Indicem rerum in priori hoc tomo proditarum aut explicatarum non adjicimus, quum eas index generalis omnium notabilium, quae in toto opere comprehenduntur, in fine alterius tomi sit exhibiturus. Lectorem tamen de locis ex altero tomo in priori allegatis monemus, eas citationes ad editionem I. tomi II. referri.

ERRATA-CORRIGE.

Mendorum typographicorum demissa atque humilis excusatio.

Quum propter diuturnum oculorum morbum curam errorum typotheticorum utcunque emendandorum variis officiosis amicis necesse esset committeremus, quumque facilis sit in peregrinis et ignotis nominibus lapsus, nec nulla quandoque operarum oscitantia, caveri omnia menda non potuerunt. Eorum catalogum tamen hic contexere et inutile et lectoribus fastidiosum existimavimus. Parum profecto interest puncti, commatis, apicis vel alicujus literae aut vocabuli mutatio, quae quidem officinatori facile elabuntur, sed intelligenti lectori nullam de sensu haesitationem nullamve moram afferunt[1]. Confidimus autem, non adeo peccatum a typotheta nostro fuisse, ut sensus ullibi sit omnino deturpatus aut in contrarium conversus: quamvis, fatendum, ex ejusmodi erroribus hinc inde factum sit, ut minus limpida evaderet oratio.

Enixe propterea amicos lectores rogamus, ut afflictioni nostrae benigne compatiantur, et menda, quae legendo deprehenderint, vel ipsi litura corrigant, vel pro comitate sua dissimulando condonent.

[1]) Ejusmodi errata sunt p. 201, l. 17, *Βλαχέρνων (Βλαχερνῶν);* p. 208, l. 11 *parentîrolu* (parentîloru); p. 150, l. ult. *Ephesin.* (Nicaen.) p. 285, l. ult. *c. 24* (c. 14); p. 359, l. 1, *1870* (1879); p. 417, in inscript. *Rumenorum* (Ruthenorum); pp. 429—435, in inscript. *Marcon* (Maron).; p. 473, l. 26 *Jazdunduchta* (Jazdunducht); p. 525, l. paenult. (del.).

Index synopticus.

Commentarius in festa immobilia totius anni.

Sub prelo.

Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν, τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ τῆς δυτικῆς.	Kalendarium manuale utriusque ecclesiae, orientalis et occidentalis.

Tom. II.

Μέρος β'. περιέχον τὰς κινητὰς τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἑορτάς.	Pars II. Complectens mobilia totius anni festa.

Cum variis iconibus festivis et scripturis peregrinis.

Index synopticus.

Introductio. Index iconum et scripturarum peregrinarum.

Liber I.

Annus ecclesiasticus graecus cum latino comparatus.

Cap. I. *Τριῴδιον.* Festa mobilia ante Pascha.
Cap. II. *Πεντηκοστάριον.* Festa mobilia post Pascha.
Cap. III. *Ὀκτώηχος.* Festa mobilia post Dominicam omnium Sanctorum (Dom. SS. Trinitatis).

Liber II.

Annus ecclesiasticus aliorum rituum orientalium.

Cap. I. Annus eccles. Armenorum.
Cap. II. Annus eccles. Coptorum.
Cap. III. Annus eccles. Syro-chaldaeorum.
Cap. IV. Annus eccles. Syrorum Antiochenorum.
Cap. V. Annus eccles. Syrorum Maronitarum.
Cap. VI. Annus eccles. Syrorum Malabarensium.

Παράρτημα. Index generalis. *Ἀπολυτίκιον.*

Apud eundem bibliopolam veneunt:

Ἑορτολογίου προχείρου κ. τ. λ. μέρος γ'., πρόσθετον, Kalendarii manualis etc pars III., addititia,

(sub titulo)

Symbolae ad illustrandam historiam ecclesiae orientalis in terris Coronae s. Stephani, maximam partem nunc primum ex variis tabulariis Romanis, Austriacis, Hungaricis, Transsilvanis, Croaticis, Societatis Jesu aliisque fontibus accessu difficilibus erutae, patrocinantibus almis Hungarica et Rumena literarum academiis editae. — 2 vol.

Conspectus operis. *L. I. Πρόδρομος.* — Quaestio I. De usu ritus graeci missionariis latinis concedendo vel non. Pag. 3 seqq. — Quaestio II. De ordinationibus schismaticorum iterandis vel non. Pag. 96 seqq. — Quaestio III. De instructione pro missionariis inter Orientales. Pag. 111 seqq. — *L. II.* De historia unionis ecclesiae Rumenorum cum Sede Apostolica. Pag. 123 seqq. — *L. III.* De historia ecclesiae Rumenorum cum Sede Apostolica unitae. Pag. 391 seqq. — *L. IV.* De historia unionis Serborum. Pag. 699 seqq. — *L. V.* De historia unionis Ruthenorum et Armenorum. Pag. 819 seqq. — *L. VI.* Addititius, exhibens parerga ad praecedentes quinque libros. Pag. 945 seqq. — Indices. Pag. I—CXX.

Nicolaus Nilles, S. J., De rationibus festorum Sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae libri IV. — Editio V.

Conspectus operis. *Vol. I.* Historic. et dogmatic. — Lib. I. De rationibus festi SS. Cordis Jesu, pp. 1—538. — Lib. II. De rationibus festi purissimi Cordis Mariae, pp. 539—600.

Vol. II. Ascetic. et literar. — Lib. III. Varia pietatis exercitia ad cultum utriusque SS. Cordis spectantia, pp. 1—514. — Lib. IV. Bibliographia SS. C. J., pp. 515—620. — Appendix: pp. 643—653.

— — Varia pietatis exercitia erga SS. Cor Jesu, cum Append. ritus graeci: *Ἀκολουθία τοῦ ἀκαθίστου τῆς γλυκυτάτης καὶ ἁγιωτάτης Καρδίας τοῦ Ἰησοῦ.* Pag. 96.

Nic. Nilles, S. J., Selectae disputationes academicae juris ecclesiastici.

Elenchus disputationum ex actis academicis collectarum:

Fasciculus I.

1.

De juridica votorum solemnitate. — Accedit declaratio apostolica circa solemne votum paupertatis.

2.

De libertate clericorum religionem ingrediendi. — Accedunt quaestiones duae: I. De sumptibus in educationem clericorum factis, utrum sint dioecesi restituendi? — II. De servitiis per aliquod temporis spatium dioecesi praestandis, an religionem ingressuri ad ea obligari possint?

3.

De studio rei kalendariae clericis praescripto, in academiis promovendo. — Accedunt disputationes duae: I. De mira Kalendarii forma non ita pridem a Russis proposita. — II. De veris rationibus christiani Paschatis rite agendi, cum variis tabellis paschalibus ad usus academicos accommodatis.

Fasciculus II.

1.

De solemnibus votis accidentalibus religionis.

2.

De dispensatione in solemni voto religioso castitatis. — Accedunt binae literae apostolicae de praesenti hoc argumento novissime ad equestrem Ordinem teutonicum datae.

3.

De canonibus ritualibus in Breviario et Missali Romano praescriptis.

4.

Tolerari potest. De juridico valore Decreti tolerantiae.

5.

De societatibus ad temperantiam promovendam. — Accedunt Statuta et indulgentiae confraternitatis temperantiae in Silesia canonice erectae.

6.

„In scrinio pectoris sui“: disput. germ. — Accedit notitia Concordati ad mentem Card. Tarquini declarata.

Fasciculus III.

1.

De vocatione ad statum ecclesiasticum. — Accedunt duae quaestiones breviter disputatae: I. De vocatione et officio parochi. II. De sacra musica „bene morata".

2.

De vita et honestate clericorum. — Accedunt notiones juris commercialis ad praesentem materiam spectantes.

Fasciculus IV.

Commentaria in Acta Concilii plenarii baltimorensis tertii, in septem stationes distributa. — Accedunt selecta quaedam documenta de Apostolatu a s. Petro Claver in America, inter nigros praesertim, exercito. (Distract.)

Fasciculus V.

Commentaria in Decreta Concilii plenarii baltimorensis tertii secundum ordinem titulorum, capitum, paragraphorum ipsius Concilii digesta. (Distract.)

Fasciculus VI.

Parerga ad Commentaria in Concilium plenarium baltimorense tertium. — Accedit disputatio de judiciis ecclesiasticis et de sententiis ex informata conscientia latis. (Distract,)

H. Hurter, S. J. Nomenclator literarius recentioris theologiae catholicae, theologos exhibens, qui inde a Concilio Tridentino floruerunt, aetate, natione, disciplinis distinctos. Editio altera plurimum aucta et emendata. 3 vol. 1895.

N°I.



del R. v. Wedell

Buch & Steindruckerei. Fl. Kupferberg Mainz